

FF. PRÆDICATORUM.
BENITIÆ.
No. 3.
102
B a
ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

GOUDIN

PHILOSOPHIA THOMISTICA

=

LOGICA

PHILOSOPHIA

JUXTA INCONCUSSA TUTISSIMAQUE

D. THOMÆ DOGMATA

QUATUOR TOMIS COMPREHENSA

AUCTORE

P. F. ANTONIO GOUDIN

ORDINIS PRÆDICATORUM

Provinciae Tolosanae Alumno, in Sacra Facultate Parisiensi Doctore Theologo,
et in Majori Conventu et Collegio Parisiensi
ejusdem Ordinis Regente.

—

EDITIO NOVISSIMA

—

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

T. 1.

LOGICA

URBEVETERI
PRELIS SPERAINDEO POMPEI
1859.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/philosophiathomi0001pfan

REVMO IN CHRISTO PATRI

FR. ALEXANDRO VINCENTIO JANDEL

ORDINIS PRAEDICATORUM

GENERALI MAGISTRO

FR. VINCENTIUS MARREDDU EJUSD. ORDINIS

FELICITATEM.

Quamvis ea sit utilium, ac optimarum rerum conditio, quae ut probentur commendatione non egent aliena: imo ipsa obnitente hominum protervia, feruntur in orbem, et integra, et viva se sistunt: nova tamen ANTONII GAUDINI Institutionum editio, licet utilitate præstet, non sine tuo munere, tuoque nomine insignita pubblico juri reddenda erat. Siquidem opus tantopere expetitum, ac sub tuis auspiciis edendum, singularis doctrinae virorum consen-

sus, quorum vota libenter exceperas, innuere videbatur; id praeterea animi mei laetitia, quæ in novissima hac D. Thomae gloria, nec premi silentio poterat, nec votis deesse.

Sane quod doctiorum vota exceperis dixerim, P. Revme. non equidem domesticos intellexi, qui in laudandis rebus suis facillime, licet immerito, incusari poterant, sed extraneos, hosque ob singularem in philosophicis peritiam commendatissimos: qui modernorum jactantiæ, et ipsi pertesi, quæ tribus abhinc sæculis in omnibus pene Accademiis superbe obstrepuit, quaeque, praeter verba, nihil ad perfectum adduxit, Magistrum avidissime inquirunt, qui dignitate, et vetustate satis sit, omnem veritatem in tuto ponere. A Bacone, a Cartesio, a Leibnitio, qui jugum Aristotelicum, ut inquiunt, excussisse gloriantur, quique primitus pro rationis independentia tumultuarunt, nihil magis exagerant neoterici, quam in antiquos irreverentiam, temporis acti ignorantiam, atque barbariem; sui vero excellentiam, lumina, veritatum omnium inventionem, seque a natura delectos, ut genus humanum e sepulchro ad vitam revocarent. Attamen si horum portenta introspicias, si Redemptoris nostri memineris sententiae « *a fructibus eorum cognoscetis eos* «

illico tibi monstrum se parat ingens, horrendumque. Horum, quos memoravimus, Antesignanorum discipuli omnem modum prætergressi, seposita reverentia, omnique Religione, ac proprii ingenii laxatis habenis, quamdam Babelicae confusionis imaginem præseferunt. Perperam ab iisdem repetes quid de animae humanae natura, origine, progressu, fine pro certo tenendum; quid de ejusdem intellectuali ac morali oeconomia; deque juris naturae, societatis, ac Religionis principiis; quid tandem de mundi hujus origine, Auctore ac regimine sentiendum sit: tot namque habebis sententias quot capita. Repudiata antiquorum doctrina de animæ cum corpore, in unum suppositum humanum, substantiali unione; deturpata naturali cognitionum nostrarum origine, serie, ac certitudine, mutata antiqua scientiarum lingua, necesse fuit hominem in plura discerpere, et rationem unius cum altero confundere. Hinc a præjacta Baconiana philosophia experimentali, Lokius materialistarum, ac sensistarum turpe aedificium extruxit, quod ultimo Condillaccus, et Tracy instaurarunt. A Dubio methodico Cartesii, atque ab eo individuali principio *Ego cogito* diversimode accepto vel Scepticismus, vel Idealismus, vel etiam Pantheismus succum et

nervos acceperunt ; ex quibus vel corporum existentia tollitur, vel Deus cum mundo visibili confunditur. A Methodo Leibnitiana , quae *demonstrationis* , *et rationis sufficientis* ipsi appellari placuit, illico sublata humana libertas, naturae, societatis , ac religionis jus omne subversum ; rebus humanis *fatum* inexorabile substitutum, ac Rationalismi Germanici , quod modo a Kantio , Ficte, Hegel ad ultimum usque Pantheistarum absurdum productum est , fundamentum ac basis. Nec itaque mirum, semel ac Deus verus, æternus, immutabilis, absolutus, cum mente humana , cum homine ipso confunditur ; si tot philosophantium turba, corruptissimis moribus implicata , bonorum paci invideat , seditiones undequaque excitet , ac sine spe et sine Deo in hoc mundo vagetur. Hic *fructus* instauratae tandem Philosophiae ; quae nedum *intellectualibus* , ac *moralibus* indigentiis , ut jactabat, ipsa occurrerit, in intricatissimum potius anxietatum , ac dubiorum labyrinthum mentes hominum injecit ; et ita quidem, ut non humanitatis in philosophando mireris progressum , sed rationis humanae in regressu vituperium.

Verum , fieri nunquam potest , ut error obruat veritatem , et filii tenebrarum semel ac semper irruant in lucem. *Ille* namque qui rerum

vicissitudines superno moderatur consilio, aberrationibus hominum terminos indixit, faciens de *tenebris lucem splendescere.* Misit ergo in corda virorum de litteris ac religione optime meritorum, qui de medela ingruentibus hisce malis cogitarent. Quod cum illi advertissent statim inclamarunt: *Ss. Patrum tectone juvenum animos esse imbuendos*: sicque fieri posse, ut, mente scientiae divinae luce collustrata, quae humana sunt, suo quaeque ordine intelligantur; corruptique hominum mores in melius reformentur. Prae caeteris eum in Magistrum, ac Ducem seligerunt, qui speciali Dei munere, omnium Patrum, omniumque antiquorum sapientiam in se complexus est, Sanctum Thomam Aquinatem; in eoque Uno veram ac germanam philosophandi rationem omnino esse quaerendam. Nec immerito. Eum quippe, et Erasmus vocat virum: *non suo tantum saeculo magnum, cui nullus recentiorum Theologorum par sit diligentia, cui sanius ingenium, cui solidior eruditio.* Atque ex protestantibus, quod maxime mirandum, Leibnitius, Wolphius, Crocius, Brucherus, aliique multi: *insignem et admirandam Aquinatis sapientiam* praedicant. Et Brucherus quidem fatetur, *Pontifices, Academias, Gymnasia, et quidquid de doctrina, et eruditione ju-*

dicari solet, in profundendis Thomae *laudibus decertasse.* Suam vero sententiam aperiens, invitus etiam fatetur, *omnino fuisse in* Thoma *judicandi aciem haud mediocrem, ingenium excellens, lectionis copiam, et inexhaustam prorsus industriam.* Magnum profecto pondus tribuit veritati, hostium, inimicorumque lubens, ac invita laus!

Insuper gaudendum est summopere quod doctiorum votis tam cito respondeat eventus. Incredibili namque studio, tum ex Catholicis, tum ex protestantibus, Aquinatis volumina, non sine maximo animarum fructu, modo pervolvunt, ac meditantur. Ex Catholicis dicam, penes quos, licet Aquinatis Auctoritas maxima, novitatis tamen amore, vel etiam modernorum loquacitate incaute irretiti, in philosophicis a D. Thomae principiis aliquatenus nonnulli desciverant, modo cum inermes, ac impares in refutandis hujus temporis philosophorum erroribus, se cognoverint, ab Eo non sine spe victoriae, arma mutuantur fortissima. Qua in re, Virum laudo inter Hispanos omni virtute, ac eruditione cumulatissimum, Illmum Dominum *Antonium Palau* Vicensis primum, nunc Ecclesiae Barchinonensis Antistitem; qui eliminatis e suis Seminariis novitiis Auctoribus, quos fa-

ctio quaedam in D. Thomae locum irreverenter substituerat, ejusdem S. Doctoris *Summam*, omnium tum Magistrorum, tum audientium plausu, anno nondum elapso, Theologicae Cathedrae restituit. Tanti viri exemplo exciti, et alii in Pastorali officio consocii, deque Romana Sede inter varios rerum turbines optime meriti, idipsum in suis Seminariis perfecerunt. Eminet inter caeteros Abulensis Episcopus, qui datis litteris ad laudatum Barchinonensem Archiepiscopum, pro nova editione Explicationis in D. Th. Summa Hyeronimi de Medicis fatetur se, non alio posse in errores, ac haereses per Hispaniam nunc serpentes irrumpere quam Angelici Praeceptoris doctrinae praesidio. Ex protestantibus vero, sub quorum nomine omnes sectarios comprehendimus, cum nullum fuerit absurdum, somniumque nullum, quod inter eos, suos non habuerit sectatores; nunc seposito partium studio, sectarum deinde confusione pertesi, (nam omnis stultitia laborat fastidio sui) de redeundo ad Ecclesiae sinum, ex scriptis D. Thomae, quae avidissime legunt, multi consulto, prudenterque deliberant. Ex quo profecto, non parum firmitatis obtinet spes nostra, quod quantocius, instaurata D. Thomae disciplina,

omnes unum Deum verum, ac vivum agnoscant, ac sub Pastore uno in ovile Christi congregentur; nam et potens est Dominus *ex lapidibus istis suscitare filios Israel.*

Atque haec potissima causa est eorum qui non multis abhinc annis, qui cum D Thomae doctrinam ab omnibus, et in omnibus sectandam inclamant, Antonii Goudini Institutiones, utpote ad eam perfectae assequendam aptissimas, laudant et commendant. Longe enim ab ea, quae saeculi nostri est levitate, non quod Gallia summorum virorum foecunda eum protulerit in lucem, neve in familiam nostram adscitus, sibi, et Ordini profuerit quam maxime, Antonium nostrum extollunt, sed quod opus ediderit eo honore dignum, quod *terrenae, animali, diabolicae* (1) hujus aevi philosophiae opponatur. In eo quippe sanae rationis principia saeculorum pondere firmata, christianae deinde veritatis luce irradiata, quae si inter hujus temporis philosophantium tumultus quaeras, profecto tempus et operam perdes. Laudant praeterea brevitatem, concinnitatem, ordinem, quibus summopere juvatur adolescentum memoria, et ad verae sapientiae consecutionem via para-

(1) Jacob 3. 15.

tur expedita, ac facillima. Adde ; opus semel aeditum , saepiusque variis in locis recusum in omnium pene manibus olim versabatur; et in privatis, pubblicisque studiis Italiae, Galliae, Hispaniae ac Germaniae, quousque Enciclopedistae, quae antiquorum erant , irridendi consuetudinem induxerant , summo in honore habitum est. Atque utinam a patrum nostrorum disciplina , quorum intererat , rerum publicarum rectores non divertisset novitatis amor! profecto tam absurda, et impia dogmata , quae scientias pene omnes corrumpunt , quasi e sepulchro rediviva certe non erupissent !

Desiderio ergo optimorum ut fieret satis, novam hanc editionem arripuimus , et quo esset caeteris nitidior, pro modulo tenuitatis nostrae vim et operam impendimus. Eo itaque exemplari usi sumus , quod ab Auctore, Parisiis anno 1692 ultimam manum recepit , in multis auctum , ac perpolitum. Nec incongruum putavimus si editioni nostrae adnecteremus Opusculum , novitiis perquam utile , a Fr. Hermano Christianopulo Ordinis nostri compilatum, *Chronologiae* ac *Geographiae* elementa continens ; quodque in editione Matritensi anno 1779. optimo consilio ea in parte , quae de *Mundo caelesti* inscribitur , insertum reperivimus. Deinde nota-

tiones quasdam, sive appendices appellari liceat, breves quidem, ne mole crescerent volumina, adjecimus; quas, vel pro textus expositione, vel pro quovis juvenum adjumento non inopportunas judicavimus. Erunt, fortasse, qui et hanc nostram curam reprehendent, quasi Opus in lucem revocaverimus, quod neque in suis partibus absolutum, neque vulgaribus hujus temporis opinionibus, in Physica, praesertim, et Astronomia arrideat. Quibus respondendum est, non omnes uno uti judicio. Neque antiqua abjicienda sunt, quia junioribus non placent, dummodo vera sint. Deinde, quae juniores in Physica et Astronomia tradunt magna ex parte vel incerta, vel dubia, vel etiam aperte falsa sunt, ut ex eorum systematibus, quae in dies mutantur, apparet. Quae si nonnulla vera sunt, et ea vel casu inventa, vel ab antiquis furata, suppresso nomine, ut sua ostentant, quod multis argumentis probare possemus, si hujus loci esset, quae dicimus confirmare. Nec deerunt fortasse sinceri, ac veraces, qui haec praestabunt apertius, et quid juniores supra veteres hiis in scientiis valeant, et progressus tanta jactantia et clamore divulgatos ad suos quoque terminos reducant.

Caeterum si quae a probatissimis viris non

sine laude Antonio nostro tribuuntur, si Galliae Germaniae et Italiae votum S.THOMAE doctrinam, ut antidotum optimum contra errores omnes inculcat, profecto et Ordinem nostrum commendat, qui in tradenda Magistri optimi doctrina tenax adeo, ac constans semper fuerit. Supremi ergo tui Magisterii cursum haec facta mirifice illustrant, quae, ut puto satis sunt, quo tot labores pro totius Ordinis bono susceptos, et gaudio compensent, et honore. Quamobrem qui hanc editionem curarunt, totum quod habent meriti, in tui laudem refundunt, et qua par est gratitudine tibi inscriptam volunt.

Tandem; quia res tota ad veritatem tuendam, morum rectitudinem inculcandam, proximorum nempe salutem procurandam ordinata est, restat, ut uberes gratiae et laetitiae fructus *ille* de superis concedat, qui dat *velle*, et *perficere pro bona voluntate*. Vale.

DE FR. ANTONIO GOUDIN

Summarium Biographicum

Quantum apud posteros mereantur gratitudinis, et memoriae, qui Religioni sese dederunt, quique in eo saniora, atque perfectiora sectantes, ea ipsa in alios diffundere curarunt, ii solum enarrare possunt, qui ejusdem studii participes, non parum utilitatis, et emolumenti consequuti sunt. Atque eos honore profecto dignos esse, ne ab hominum memoria excidant, qui labore et virtute aliis profuere, una omnium sententia est. Quorum numero Antonius Goudin certe accensendus est, qui non sibi soli, sed et iis proficere curavit, qui ad Philosophiam S. THOMAE clare, et sine ambagibus manuduci desiderant. Gratum ergo studiosis facere satagimus, si de ejus vita quaedam summarie exhibeamus, prout a nostris majoribus scripto tradita sunt, quaeque ab eruditissimo *Jacobo Exchard* in suo de Scriptoribus Ordinis Praedicatorum Opere collecta reperivimus.

Antonius Goudin *Gallus, patria Lemovicensis adolescens annorum XVIII. Lemovicis Ordinem amplexus est anno 1657. Absoluto tyrocinio litteris applicatus philosophicis atque theologicis, ea contentione animi ingeniique felicitate inter æquales atque condiscipulos emicuit, ut ex discipulo magister factus in Conventu Lemovicensi publice easdem alios docuerit magna apud omnes nominis eruditionisque suæ fama. Qua excitatus Avenionensis Antistes ex eodem assumptus Ordine Prædicatorum, Dominicus de Marinis Artium Cathedram in Accademia Avenionensi novam instituens, quam S. Doctoris Aquinatis doctrinæ semper addictam voluit, ejusdemque Ordinis sodalibus in perpetuum annexam, eumdem Antonium nostrum illius professorem primum accersivit. Quo in munere non conditoris tantum Archiepiscopi spem implevit, sed ejus etiam et omnium*

illius Accademiæ provocavit admirationem, conciliavitque animos, adeo ut jam in gravioris momenti negotiis unus prope esset atque præcipuus eidem Antistiti, virisque præcipuis ejusdem Civitatis a consiliis: aggregatus etiam atque cooptatus honorifice Accademiæ ejusdem sacræ Theologiæ magistris et Synodalis examinator institutus, Dominico de Marinis ad superos assumpto anno 1669 Brivensis Prior electus ibidem triennium præfuit. Exinde in novitiatu generali Parisiensi lector a Magistro Ordinis Johanne Thoma de Roccaberti institutus, plures annos theologiam docuit. Tandem in Conventum, et Studium generale S. Jacobi Parisiense pro ratione provinciæ suæ Tolosanæ translatus et affiliatus, ut ajunt, non solum lauream in sacra facultate Parisiensi consequutus est, verum et ejusdem Conventus Prior electus et institutus: quo munere dum omnium bonorum approbatione fungitur, præmatura morte interceptus diem incurrit extremum anno MDCXCV. Octobris XXV, ætatis circiter LVI. Edidit hoc titulo.

I. Philosophia juxta inconcussa tutissimaque D. Thomæ Dogmata T. IV. comprehensa. Lugduni, Anton. Julieron 1671 in 12. Quam recensitam, auctam, et illustratam typis iterum commisit Parisiis Edmundi Couterot 1674 in 12. T. I pag. 297. T. II. pag. 380. T. III. pag. 468. T. IV. pag. 574.

Editio decima ab Auctore ex integro recensita, emendata et illustrata prodiit Parisiis apud eumdem in 12. 1692. vol. totidem. (1)

II. Oratio funebris. Illustr. D. D. Dominicus de Marinis Archiepiscopus Avenionensis post funera superstes et immortalis virtute et doctrina perpetuis monimentis etc: in pompa illius funebri coram Excell. Prolegato Avenione celebrata; Lugduni, Julieron 1669 in 4. Hanc gallice translatam et editam dicunt.

Theologiæ cursum edere parabat, quod mors interrupit, sed MS. servatur in gymnasio Sanjacobeo.

(1) Causam, quae Auctorem nostrum impulit, ut alteram sui Operis editionem moliretur, in multis auctam, et locupletatam, aperuit ipse in praemonitione ad Lectorem, ut sequitur.

AUCTOR

STUDIOSO LECTORI

Cum Avenione annis abhinc quatuor supra viginti in illius Urbis Academia Philosophiam publice docerem, Cursum meum typis dedi, hoc unum spectans, ut meos tunc auditores a scribendi onere, quo potior temporis et otii pars magno labore, modico fructu in scholis teri solet, sublevarem. At ea fuit sors Operis, ut ubique vulgatum supra spem benignius exciperetur, adeo ut plerique publici Professores tum in Gallia, tum aliis in regionibus, eo in scholis suis ad erudiendos in Philosophia juvenes uti non dedignati sint. Quod sane factum ab iis arbitror, non ob aliquam singularem Operis praestantiam, sed quod Adolescentium captui, quorum gratia illud edidi, plerisque aliis sua perpiscuitate, brevitate, ac rerum, quas continet, varietate accomodatius esse judicaverint. Hinc plures ejus editiones prodiere, pleraeque etiam furtivis prælis quæ me inscio factæ librum variis mendis deturparunt. Huic malo statim mederi non valui, quod jus Privilegii penes me non esset. Itaque patienter ferendum fuit. Verum Privilegii tandem compos, Librum in manus serio ac pluries resumpsi, non emendandum modo, sed quantum ætate maturiori, indefessa bonorum Auctorum lectione, familiari virorum eruditorum com-

mercio, diuturnoque harum rerum consecutus sum, in eam ex integro formam restituendum, quæ studiosæ juventuti erudiendæ aptior visa est, et eo, quem supra meritum consecutus erat, publico favore minus indigna. Ad hæc quid præstiterim, paucis accipe. In toto Opere superflua resecui, laxiora pressi, ut nullo brevitatis dispendio additamentis locus esset. Quæstiones, quæ passim deerant in scholis nobilibus celebres, adjeci. Debilioribus nervos et robur, obscuris lumen, incompositis ordinem, omnibus meliorem formam et dispositionem addere adlaboravi. Logicam plerisque observationibus et præceptis vulgo prætermissis, quæ ad efformandam mentem apprime utilia visa sunt, locupletavi. Physicam hiis experimentis et inventis, quibus eam ævi nostri homines magnopere ornarunt, longe uberius, quam antea, illustravi; hoc præcipue curans, ut in illa nobili Philosophiæ Parte studiosi scholae nostræ Adolescentes ita vetera nossent, ut si quid a Modernis aut ingeniose cogitatum est, aut præclarius illustratum, aut novis experimentis detectum, id minime ignorarent: falsa vero systemata, quæ pleraque renovavit, aut peperit ætas nostra, validis argumentis possent refellere. Moralem et Metaphysicam accuratius recensui, disposui, ac variis in locis auxi et illustravi. Haec cum in superiori, tum maxime in hac postrema Operis editione pro viribus egi, amice Lector, an peregerim haud satis scio. Unum spondere possum, si quem fructum ex prioribus editionibus cæpere Adolescentes, ex hac posteriori matutiore longe uberiorem percepturos. Vale.

Parisiis die 30 *Augusti An.* 1692.

PRÆFATIO

Quæ sit Operis ratio, et œconomia.

Ut instituti nostri, simulque totius Operis rationem statim aperiam, consilium est universæ Philosophiæ Cursum juxta Angelicam DIVI THOMÆ Doctrinam ita tradere, ut in eo tanti Viri principiis et rationibus cuncta, quæ in quatuor Philosophiæ partibus discuti solent, quantum fieri poterit breviter quidem, clare tamen expendantur. Nam si Pythagorica Schola tantum magistro suo concessit, ut ejus authoritatem pro ultima ratione redderet, Ipse dixit, (gr. AVTOS EPHA) *quanto majoris ponderis erit illius Viri authoritas juncta validissimis ejus rationibus, cujus Doctrinam Christus approbavit, quem miris elogiis Ecclesia ad cœlum extulit, cujus Dogmata nuper a sancta Sede* inconcussa, tutissimaque *pronuntiata sunt, quem totus Orbis ut Doctorum Principem et Angelum veneratur? Scio quidem jam ferè omnes tanti Viri admiratione captos, partim illum licet invitum ad se pertrhaere, ut Opinionibus suis ex ejus nomine robur concilient, aut saltem ne aperte videantur a tanto Doctore recedere: partim sincere ipsum sequi, ut ab eo cœlitus edocto veritatem discant; partim etiam, ut Scholam Thomisticam omnium Principem suis laboribus exornare possint. Cæterum in tanta turba unum spondere possum, me scilicet, quamvis ad posteriorum sublimitatem attingere non sperem, saltem priorum malam fidem declinaturum, et in toto Cursu daturum operam, ut potius me Divo Thomae, quam illum mihi accommodem. Quia vero plures, etsi Thomistarum doctrinam præ cæteris omnibus profundam ac solidam fateantur, abstrusam tamen, et quae ob suam sublimitatem non satis incipientium ingenio ac-*

comodata sit, existimant; conabor præcipue in hoc Opere illam ea claritate verborum, expressionum familiaritate, sensibilium exemplorum frequentia expendere, ut non modo Tironibus, quibus scribo, perviam fore, sed etiam facilem sperem. Nec prætermittam ea vel inventa, vel experimenta, quibus solertes viri nostris temporibus Physicam exornaverunt, easve quæstiones, quæ nunc inter recentiores vigènt, aut demum si quid jucundi ac curiosi occurrit ad emolliendam intricatiorum disputationum austeritatem; nam

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

Quantum ad Operis partitionem, illam sequor, quæ tironibus visa est accomodatior; adolescentem enim in Philosophicis rudem informandum suscipio. Illi ergo primo Philosophiam in universum commendo, ut ejus dignitate ac utilitate ad hoc studium accendatur; tum vero doctrinam S. Thomæ, ut juxta S. Ambrosium primus discendi ardor nobilitas sit Magistri. *Hæ duæ præliminares dissertationes, licet forte prolixiores, moram non injicient; nam lectione illas delibasse sufficiet. Deinde subjicio disputationem de Philosophia in universum, ut juniores disputandi avidi aliquid utile habeant, circa quod primos illos igniculos statim exserere possint. Postea vero Logicam aggredior, ac primum quidem præcepta a quæstionibus, quibus obrui magis quam juvari possent, sejuncta, proprio tractatu complector. Altero vero quæstiones, quæ in Scholis de rebus Logicis agitantur. Tum pergo ad Physicam, quæ Philosophiæ pars, cum res magis obvias sensibus contineat, primo post Logicam loco commodius explicatur. Deinde ad Moralem, quæ paullo a sensibus est remotior, Phisicæ tamen conjuncta, cum de Animi affectibus agat. Postremo Metaphysicam trado, quod ea circa res sublimiores et a sensu remotissimas versetur, quarum cognitio hominem jam in aliis exercitatum requirat, sitque omnium scientiarum naturalium apex et complementum.*

DISSERTATIO PRIMA

PRÆLIMINARIS

DE COMMENDATIONE PHILOSOPHIÆ

Etsi Philosophia in summo pretio apud cultiores populos semper fuerit, solique Barbari eam neglexerint, quidam tamen rejiciendam putant. Alii quidem ex zelo, qui non est secundum scientiam, quod putent, illam non satis cum sanctitate sociari posse; quasi vero Deus, qui scientiarum Dominus est, servos eruditos dedignaretur. Alii vero ex deceptione, rati Philosophiam esse simplicium deceptricem, hæresum parentem, et nutricem, rixarum ministram, sumentes non causam pro causa, et vitia hominum re optima abutentium Philosophiæ tribuentes; ut si quis vellet abolere leges, et tribunalia, quod illis sæpe mali et astuti homines abutantur ad perniciem innocentium, vel eliminare Medicinam, quod imperiti Medici sæpe mortem pro remedio propinent. Alii Philosophiam contemnunt ut Christianis inutilem, quorum eruditionem Scripturæ Sacræ intelligentia, et peritia Historiæ Ecclesiasticæ, Conciliorum et Sanctorum Patrum totam contineri putant; quibus sane verbum Domini jure aptari potest, *Hæc oportuit facere, et illa non omittere,* Matth. 23. Plura enim sunt in Scripturis, Patribus, et Conciliis, quæ sine Philosophia vix intelligi possunt; ipsique Sancti Patres exemplo suo docuere, jungendam esse Philosophiam cum Sacris Litteris, ut patet ex eorum scriptis et gestis. Alii demum maligne Philosophiam rejiciunt, ut scilicet rudibus hominibus facilius illudere possint; quo motivo Lutherus et alii Hæretici scientias speculativas damnant; cum tamen ipsi ad fabricanda sua sophismata iis impie abutantur. Eodem consilio Mahometes suis sectatoribus studia interdixit, ratus ineptissimam sectam armis felicius, quam rationibus promovendam fore, nec nisi apud ignaros valituram;

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

nam *omnis, qui male agit, odit lucem, ne arguantur opera ejus.* Joann. 3. Ante hos omnes impiissimus Julianus Christianos litteris incumbere prohibuit, ut destituta scientiis fides facilius extingueretur, ut notat S. Augustinus lib. 18. de Civitate cap. 52.

Contra hos omnes Philosophiam ut commendemus, hominem in triplici statu considerabimus: Primo private, ut homo est: Secundo politice, ut est membrum Reipublicæ: Tertio Christiane, ut est fidelis. Atque homini in his omnibus statibus constituto, quam sit necessaria Philosophiæ peritia singulis Paragraphis expendemus.

§. 1.

Philosophia homini, ut homo est, ad ejus mentem perficiendam est necessaria.

Probatur primo authoritate Sacræ Scripturæ, in qua Sapientia regnis, sedibus, divitiis, et omnibus humanis bonis præfertur; non solum divina illa, quæ docet timorem Dei et sanctitatem vitæ, sed etiam naturalis, quæ *scit versutias sermonum, et dissolutiones argumentorum, dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum*, ut dicitur Sap. 7. et 8. Idem perpetuo censuere viri sapientissimi. Socrates nullum malum agnovit præter ignorantiam, nullum bonum præter scientiam; virtutes enim scientias esse censebat. Plato Philosophiam, *pulcherrimum Deorum munus* passim dicit. Unde in cognitione rerum præsentem hominis felicitatem plerique magni nominis viri reposuere, cui sententiæ alludens Virgilius, *Dulces*, ait, *ante omnia musas;* et Hesiodus, *Felix, qui rerum potuit cognoscere causas.* Quam veterum sententiam laudat S. Thomas 1. 2. q. 3. a. 6. si tamen intelligatur de beatitudine imperfecta (nam perfectiorem et supernaturalem nobis Deus promisit, quæ consistit in ipsius visione, quæ est supereminens quædam Philosophia). Quid autem tam necessarium homini, quam id, per quod fit felix etiam imperfecta et naturali beatitudine? siquidem gratia non destruit naturam, sed ulterius provehit.

Probatur præterea conclusio variis rationibus. Primo, id, quod excolit mentem, est necessarium homini, ut homo est; si-

quidem per mentem homines sumus. At vero in excolenda mente omnis Philosophiæ cura versatur; cum enim in mente duplex sit potentia, scilicet intellectus et voluntas, Philosophia speculativa perficit intellectum circa cognitionem veritatis, Moralis vero dirigit voluntatem circa actionem virtutis: unde merito a Cicerone vocatur, *Animi cultura*, *vivendi ars*, *animi medicina*, *omnium bene factorum*, *dictorumque mater*, *etc.*

Secundo. Philosophia fugat ab hominibus barbariem, eosque mitiores et humaniores reddit; unde studia præambula ad Philosophiam vocantur *Humanitates*, et homines, quibus Philosophiæ lumen non illuxit, degenerant in belluinos mores, ut patet de Americanis et aliis barbaris nationibus.

Tertio. Homo ad id genitus est, ut opera Dei et ejus pulchritudinem in creaturis contempletur, quandiu est in hac vita; quippe, ut ait Apostolus, *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, Rom. 1. Sap. 13. *A magnitudine speciei creaturæ cognoscibiliter poterit Creator videri:* et Propheta, *Videbo*, inquit, *cœlos opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quæ tu fundasti:* Ps. 8. Atqui Philosophia nihil aliud est, quam contemplatio operum Dei; ergo est necessaria homini. Et ideo Deus eam Adamo ut necessarium ornamentum cum aliis dotibus infudit.

Quarto. Necessarium est, ut rex cognoscat regnum suum, civis suam patriam, paterfamilias sua prædia: sed homo est mundi Dominus; unde Scriptura ait, *Deum omnia subjecisse sub pedibus ejus*: Ps. 8. et solem, lunam, cæteraque astra esse creata in ipsius ministerium. Est etiam civis hujus vastissimæ patriæ, (quamobrem Socrates rogatus, cujus esset? scite respondit, *Mundanus sum*): ergo necesse est, ut homo cognoscat ea, quæ sunt in mundo: in hoc autem occupatur Philosophia.

Quinto. Idem probatur ex ingenti illa admiratione et veneratione, qua naturaliter afficimur erga viros doctos et sapientia præstantes. Sic Salomonem totus orbis admiratus est; et Regina Saba servos ejus beatos dixit, quod ejus sapientia fruerentur; imo, ut refert Scriptura 3. Reg. 10. *Universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret ejus sapientiam.* Sic Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, præ potentissimis regibus

honorem et famam consecuti sunt; imo quæ ad sapientes viros aliquatenus pertinuere, in summo pretio habita sunt, adeo ut lucerna fictilis Epicteti Philosophi, ut pretiosum monile, tribus drachmarum millibus empta feratur.

Sexto demum. Idem probatur ex naturali hominis desiderio, quod non fertur nisi ad ea, quæ conveniunt homini ut homo est: sed naturaliter omnis homo scire desiderat, idque tanto vehementius, quanto ingeniosior est, id est, quanto magis de homine participat; imo scientiam, cæteris rebus naturaliter homo præponit, ita ut Alphonsus Aragonum rex dixerit, *hoc uno regem pauperem fieri posse, si emi posset scientia*, et Robertus rex Neapolitanorum, *dulciores sibi litteras regno esse:* ergo scientia rerum est necessaria homini, tanquam aliquid perficiens ejus naturam.

Dices. Eccles. 1. scientia dicitur *Afflictio spiritus, et occupatio pessima;* et ibidem, *Qui addit scientiam, addit et laborem:* unde *Minerva* scientiarum præses dicta est, quasi *minuens nervos et vigorem;* imo Jerem. 10. dicitur *Stultus factus omnis homo a scientia:* ergo non est necessaria homini, sed noxia.

Respondeo ad primum locum, scientiam dici afflictionem spiritus ex objecti occasione, quia detegit miserias humanas, et vanitatem rerum creatarum; unde hoc modo tertia Beatitudo, scilicet, *Beati qui lugent*, dicitur respondere dono scientiæ apud D. Thomam 2. 2. q. 9. a. 4. Cæterum contemplatio scientiæ in se est jucundissima, ut probat idem D. Th. 1. 2. q. 31. a. 5.

Ad secundum respondeo, considerationem rerum vocari *occupationem pessimam*, id est, *laboriosissimam et difficilem;* nam licet fructus scientiæ sint jucundissimi, attamen radices sunt amaræ. Et quod hic sensus sit Scripturæ, ex eo patet, quod dicitur, hanc occupationem, scilicet inquirendi res naturales, datam esse a Deo; non autem a Deo esset, si in se mala existeret.

Ad tertium locum respondeo, per scientiam augeri laborem occasionaliter, ut mox explicuimus. Minerva vero ab Antiquis dicta est quasi nervos et robur minuens, quod studium debilitet corpus, unde ut plurimum viri studiosi sunt debiles: sed nullum est inconveniens minuere vires corporis ad perficiendam men-

tem, quia corpus animæ servire debet. Ad locum Jeremiæ respondet S. Hier. Prophetam loqui comparative ad scientiam Dei, respectu cujus nostra scientia, quantumvis magna, reputatur quasi stultitia, quo sensu Isaias dixit, omnes gentes Deo comparatas reputari quasi nihilum.

§. II.

Philosophia necessaria est homini, ut est Reipublicæ membrum, politica societate aliis hominibus conjunctum.

Homo tribus modis reipublicæ comparari potest. Primo generatim, ut pars ejus est: secundo, ut ipsi præest, veluti Principes et Magistratus: tertio, ut ei utiliter inservit per jurisprudentiam, medicinam, militiam et alias artes. Philosophiam civi his omnibus modis spectato conducere dicimus.

Et quidem primo civibus omnibus generatim conducere Philosophiam ex eo constat, quod ipsa sit omnium Rerumpublicarum recte constitutarum parens et conservatrix; vetera enim monumenta evincunt, omnes a Philosophis esse formatas. Judæorum Rempublicam constituit Moyses, quem constat fuisse insignem Philosophum. Respublica Ægyptiorum præcipuum authorem agnoscebat Mercurium Trismegistum, id est, *ter magnum*, quod esset simul Rex, Philosophus, et Sacerdos. Respublica Chaldæorum et Persarum suas institutiones a Magis, id est, Philosophis acceperat. Græci prius barbari et sylvestres, in societatem vocati sunt per Orpheum antiquum Philosophum, qui idcirco dicitur feras amœnitate cantus demulsisse et congregasse, id est, barbaros homines in unam rempublicam suæ doctrinæ suavitate vocasse; unde de illo ait Horatius lib. de Arte Poet. paullo ante finem.

Sylvestres homines sacer, interpresque Deorum
Cædibus, et victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones.

Atheniensem Rempublicam fundavit Solon, unus ex septem primatibus Græciæ Philosophis. Lycurgus Lacedæmonum Rempublicam instituit. Roma sub Romulo agrestis pastorum congrega-

tio solum fuit et asylum latronum ac sceleratorum, ex Tito Livio; sed a Numa Pompilio sapientissimo Philosopho justæ reipuplicæ formam accepit. Demum omnium rerumpublicarum origines volventi semper occurret aliquis Sapiens et Philosophus earum vel author, vel saltem reformator; unde Socrates jure dixit: *Philosophi officium est, divina nosse, et humana regere.*

Probatur etiam Conclusio specialiter quantum ad secundum, nempe Philosophiam esse necessariam his, qui præsunt Reipublicæ, ut sunt Principes et Magistratus; primo authoritate Scripturæ, in qua Sapientia dicit, *Per me Reges regnant:* Prov. 8. et alibi, *Si delectamini in sedibus et sceptris, o Reges populi, diligite sapientiam:* Sap. 6. sapientiam illam, inquam, non solum quæ consistit in timore Dei, sed etiam, ut postea subditur, *quæ scit dispositionem orbis terrarum et virtutem elementorum, initium et consummationem, et medietatem temporum; vicissitudinem, permutationes, et commutationes temporum, anni cursus, et dispositiones stellarum, vim ventorum,* Sap. 7. et alia ejusmodi, de quibus agit Philosophia; unde vetus effatum fuit, *Beatas fore respublicas, in quibus vel Philosophi regnarent, vel reges philosopharentur.*

Secundo idem suadetur exemplis. Sic Salomon, ut bene regeret populum suum, a Deo petiit sapientiam, id est, naturalem Philosophiam; quam petitionem Deus ipse laudavit. Sic Philippus Macedo, Alexandrum, ut regno dignum efficeret, Aristoteli Philosopho instruendum commisit; et ipse Philippus regnandi peritiam, in qua excelluit, sub Lyside Pythagoræo didicit, dum obses Thebis moraretur. Sic demum optimi Principes vel ipsi docti fuerunt, vel saltem doctorum consilio usi sunt; unde apud Sinenses soli litterati Reipublicæ præsunt.

Tertio id confirmatur ipso naturæ exemplo, quæ ut notat D. Thomas Op. de Erud. Princ. lib. 1. c. 2. caput cæteris membris præficiens, ipsum novem sensibus, quatuor scilicet internis et quinque externis instruxit, cum alia membra unico, scilicet tactu, prædita sint; ut nos admoneret, eos, qui præsunt corpori politico, debere præ aliis abundare sapientia et rerum cognitione. Imo secundum naturæ ordinem corpora reguntur ab Intelligentiis, inter quas sublimiores sunt sapientiores.

Quarto demum idem ratione probatur. Nam sapientis est ordinare et disponere; ordo enim est opus sapientiæ: sed ad Principes et Magistratus spectat ordinare et disponere de populis: ergo debent præ cæteris esse sapientes, et in cognitione rerum excellentes; imo ipsa Politica, quæ est scientia regendi populos, Philosophiæ pars est cum aliis connexa. Adde tandem argumentum, quod ex Persis refert Plato: Politica regnorum est quædam imitatio politicæ mundi: ergo sicut nullus Pictor exactam imaginem formare potest, nisi respiciat ad ejus exemplar, ita quoque Rectores Reipublicæ, ut eam optime administrent, debent inspicere ipsum totius politicæ exemplar, scilicet ordinem rerum naturalium, quod fit per Philosophiam: unde Minutius Felix in Octavio, *Non poterit*, inquit, *pulchre gerere rem civilem, nisi cognoverit hanc communem omnium mundi civitatem.*

Probatur Conclusio quantum ad tertium, scilicet Philosophiam esse necessariam his, qui inserviunt Reipublicæ, quod fit præcipue per Jurisprudentiam, Medicinam, et Militiam. In primis de Medicina id certum est, cum sub-alternetur Philosophiæ naturali, unde, ut dici solet, *ibi incipit Medicus, ubi desinit Physicus;* et Aristoteles Philosophiam ac Medicinam *Sorores* vocat, quod sibi mutuam opem præstent: ergo sine Philosophia imperfecta est Medicina, ideoque magni Medici fuerunt simul insignes Philosophi, ut patet de Galeno, Averroe, Avicenna, et aliis; unde, ut ait Galenus, *Si quis optimus Medicus est, idem erit Philosophus.* De Jurisprudentia quoque idem constat, cum illa sit pars quædam Moralis Philosophiæ, a qua desumit sua principia et argumenta, quibus leges defendit; unde Alcidamas apud Aristotelem vocat Philosophiam, *Propugnaculum et munimen legum,* et Cicero 5. Tuscul. eam vocat, *Inventricem legum, Magistram morum et disciplinæ; ducem vitæ, virtutis indagatricem, vitiorum expultricem.* Idem Libro de claris Oratoribus refert, Scævolam et alios juris scientia eximios multum adjutos fuisse a Dialectica.

Quantum ad Artem Militarem, eam quoque egere ope Philosophiæ Scriptura innuit, cum ait, in ipsis expeditionibus bellicis, *meliorem esse sapientiam, quam vires.* Sane Militia est corpori politico, quod manus sunt corpori naturali: Philosophia ve-

ro est velut ejus oculus; unde sicut oculi sunt necessarii ad dirigendos manuum conatus, ita quoque Philosophia ad dirigendos impetus Militiæ. Ideoque scientia politica, quæ est pars Philosophiæ Moralis, imperat Arti Militari, cujus ductu destituta militaris fortitudo perniciosa quædam feritas est, ut patet in barbaris illis nationibus, Hunnis, Vandalis, Gothis et Alanis, quæ armis quidem validæ, sed scientiarum cultura destitutæ, potius greges leonum et luporum omnia vastantium fuere, quam hominum exercitus. Hinc est, quod Antiqui finxerunt Palladem scientiarum Præsidem sub titulo *Bellona* currum Martis moderari; eamque casside, clypeo, et cuspide armarunt: quam etiam Macedones communi cum Hercule vocabulo *Alcidem*, id est, *fortem et pugnacem* nuncuparunt, ut docerent, litteras quoque armis necessarias esse. Demum idem ostenditur exemplo præcipuorum bellatorum, qui litteras quoque coluerunt. Sic Hercules Græcorum fortissimus in Philosophia excelluit; nam apud Atlantem Lybiæ regem de astris et sphæra cœlesti philosophatus est, unde fabula ortum habuit, eum de Atlantis humeris cœlum suscepisse: idem quoque apud Chironem herbarum vim et naturalem Philosophiam didicisse fertur. Sic Achilles, ut armis aptior esset, sub Chirone Philosopho et Phœnice scientias didicit; sic Alexander ante Aristotelis discipulus exstitit, quam Orbis domitor; sic pater ejus Philippus sub Lyside Philosopho eruditus est; sic Pyrrhus Epirotarum Rex Cineæ Philosophi consilio impense adjutus est in bellicis expeditionibus; sic Epaminondas, Alcibiades, Scipio, Julius Cæsar, et alii summi duces non minus litteris, quam armis excelluerunt.

Circa alias Artes, ut Agriculturam, Nauticam, etc. brevitatis causa nihil dicimus, solum notasse sufficiat cum Cicerone lib. de Orat. *Philosophiam Artium omnium parentem, ac procreatricem fuisse:* nam earum origo semper in aliquem Philosophum refunditur, illasque ex physicis speculationibus non mediocriter adjuvari experientia docet. Ergo ex his omnibus constat, Philosophiam esse homini etiam politice sumpto et ut est pars reipublicæ necessariam, eamque esse rerumpublicarum genitricem, conservatricem et adjutricem.

§. III.

Philosophia necessaria est homini, ut est fidelis, ad ipsius fidei ac religionis præsidium.

Conclusio intelligenda est de fide considerata non ex parte principii, scilicet Dei, a quo infunditur: nam Deus potest infundere et conservare fidem sine ope Philosophiæ; imo eam stabilivit, ipsa Philosophia et omni humana industria renitente, per viros ignaros, ut tantum opus soli Divinæ virtuti tribueretur: sed de fide sumpta ex parte subjecti, scilicet hominis, qui debet ipsius conservationi et propagationi cooperari etiam per media humana, ut sunt authoritas principum, severitas legum, vis armorum, et alia ejusmodi. Hoc modo dicimus, nihil magis necessarium esse fidei, quam Philosophiam.

Probatur in primis Conclusio authoritate Scripturæ, quæ sæpe utitur naturalibus rationibus; ut D. Paulus probat exsistentiam Dei ex effectibus naturalibus, ex pluviis, ex ordine temporum fructiferorum, et aliis beneficiis naturalibus. Act. 14. et Act. 17. ejus præsentiam in omnibus ostendit ex ipsius operatione, eo quod in ipso vivimus, movemur et sumus: et independentiam, eo quod omnia det omnibus. Idem patet in libro Job omni humanæ sapientiæ doctrina referto: in primis enim, ut notat Hieronymus ad Paulinum. *In eo Job omnes leges Dialecticæ, propositione, assumptione, conclusione determinat:* deinde Physicam pene universam in medium adducit, ut Meteororum generationes, pluviæ, grandinis, gelu, nivis, tonitrui, fulguris, solis, astrorumque naturam et conversiones; gemmarum et mineralium formationes, animantium industrias, etc. Metaphysicalia quoque non raro discutit agendo de Angelis, de Scientiis, de Divinis attributis, de Veritate, etc. Moralis vero nullibi copiosius traditur. Psalmorum liber Philosophica eruditione abundat. Ps. 18. D. Thoma interprete Meteorologiam et fulminis formationem exprimit Propheta. Psal. 103. mire describit cœli ac mundi dispositionem, montium et vallium distinctionem, fontium origines, pluviarum utilitates, diei noctisque discrimina, æstatis et autumni fecunditatem, hyemis sterilitatem, quando Deus vivificum si-

derum influxum subtrahens, folia et fructus in pulverem, id est, materiam primam resolvit, veris calore blando iterum resuscitanda. Frequens quoque mentio fit in aliis Psalmis operum naturalium, ut originis ventorum, nivis et grandinis formationis, subterranearum aquarum, quas Propheta *Dracones* vocat, *et abyssos* in thesauris Dei reconditas, etc. ut non sine causa dixerit Deo, *Delectasti me in factura tua, et in operibus manuum tuarum exultabo.* Ps. 91. Idem quoque ostendi posset in aliis Scripturæ libris, præcipue in libris Moysi, non mysteriis tantum, sed etiam naturali eruditione refertissimis, quorum doctrinam ideo Sancti Patres dividunt in Naturalem, Moralem, et Theologicam, ut Ambrosius Psal. 35. Basilius præf. ad Proverbia, Hieronymus præf. ad Ecclesiasten, Augustinus epist. ad Volusian. Rupertus lib. de Operibus Spiritus Sancti ostendit, omnes Artes liberales ex Scriptura sacra erui posse.

Accedit Patrum authoritas, qui sæpe inculcant utilitatem Philosophiæ ad Sacras Litteras et fidei defensionem, ut Clemens Alexan. lib. 1. Strom. ubi etiam id variis rationibus confirmat, et Augustinus lib. 3. contra Acad. cap. 18. *Eruditio*, inquit, *Artium liberalium, modesta, sana, atque succincta, et alacriores et perseverantiores et comptiores exhibet amatores amplectendæ veritatis, ut et ardentius appetant, et constantius insequantur, et inhæreant dulcius;* unde 2. de Trinit. ait, *Non ero segnis ad inquirendam scientiam Dei, sive per scripturam, sive per creaturam.* Creaturæ enim, ut dicebat D. Antonius, sunt liber Dei, qui, ut doceret homines, duos edidit libros, unum per creationem, scilicet mundum, et alterum per revelationem, scilicet Scripturam sacram. Divus etiam Gregorius Nazianzenus orat. 20. impense laudat Philosophiam, et reprehendit eos, qui pravo quodam judicio illam ut insidiosam et periculosam, ac procul a Deo avertentem aspernantur.

Probatur præterea exemplo Sacrorum Doctorum, qui pene omnes in scientiis naturalibus excelluerunt. In primis antiquos Patriarchas in naturalibus scientiis eruditissimos fuisse certum est; nam ab Abrahamo Ægyptii philosophiam didicisse feruntur. De Isaaco legitur in Genesi, eum sub vesperam egressum fuisse ad meditandum in agro, id est, ut aliqui interpretantur, ad

contemplandos syderum cursus. Jacob vero dicitur habitasse in tabernaculis, quæ juxta Hæbreos nihil aliud erant, quam publica gymnasia; unde hunc locum vertit Onchelos, *Jacob erat vir integer et minister domus doctrinæ.* Job eximium sui sæculi philosophum fuisse constat cum ex iis, quæ supra retulimus, tum quia fertur publice scientias docuisse apud Themanetas, quod innuit Eliphas dicens, *Ecce docuisti multos*, Job 4. Moysen quoque in philosophia insignem fuisse testatur Scriptura: nam Act. 7. dicitur *eruditus omni sapientia Ægyptiorum.* Et Philo in ejus vita, *Moyses*, inquit, *post comparatas domesticorum scientias, doctissimos a Græcia ingentibus præmiis advocatos magistros audivit.* Josue vero non minus Moysi sapientiæ, quam imperii heres creditur. Davidem philosophiæ peritum ostendimus ex ejus Psalmis, unde vocatur 2. Reg. 23. *Sapientissimus Princeps.* De Salomone res nota est. Daniel eruditus est in omni sapientia Chaldæorum, et reliqui Prophetæ humanæ, divinæque sapientiæ Doctores apud Hebræos semper habiti sunt.

De Patribus Ecclesiæ, ut de Augustino, Hieronymo, Clemente Alexandrino, Basilio, Chrysostomo, Gregorio Nazianzeno, etc. idem ostendere in promptu esset, nisi ex eorum scriptis, quantum etiam in sapientia humana versati fuerint, satis innotesceret; unde S. Hier. in Ep. ad Magn. enumeratis pluribus Scripturæ Doctoribus, subjungit: *Qui omnes in tantum Philosophorum doctrinis atque sententiis suos resperserant libros, ut nescias, quid in eis primum mirari debeas, utrum eruditionem seculi, vel scientiam Scripturarum.* Nec soli Patres seculari eruditione usi sunt, sed etiam ipse Apostolus Paulus, qui ad Titum 1. utitur Epimenidis versiculo: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, etc.* Et 1. Cor. 15. verbis Menandri: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Et Act. 17. verbis Arati, *Ipsius*, scilicet Dei, *et genus sumus;* D. Paulum imitatur Concilium secundum Turonense, dum suam decisionem ex Senecæ sententia confirmat Can. 15.

Probatur demum variis rationibus. Primo, quia per hoc facilius Infideles eruditi trahuntur ad fidem, ut patuit tempore Origenis, qui cum doctissimus esset, infinitos Philosophos traxit ad fidem, sicut refert Baronius tom. 2. Annalium. Unde sicut

Paulus, ut omnes erudiret, Hebræis Hebræus, et omnibus omnia factus est, ita fidelis, ut eruditos pertrahat ad fidem, eruditus quoque esse debet.

Secundo, sine philosophia fallaciæ et sophismata Hæreticorum detegi vix possunt: ergo cum frequentes sint disputationes Fidelium cum Hæreticis, necesse est, ut Doctor fidelis in subtilitatibus philosophiæ versatus sit.

Tertio, quia sacra Doctrina jucundior est, quando humana sapientia exornatur. His tribus rationibus utitur Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom.

Quarto, Theologia ad fidei conservationem necessaria est, ut ostenditur 1. p. q. 1. art. 1. sed philosophia est dispositio necessaria ad Theologiam: ergo etiam ad fidem. Unde Prov. 9. de Sapientia divina dicitur: *Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem*, id est, humanas scientias, quibus utitur, ut domina suis ancillis.

Quinto, idem suadetur ex discrimine, quod est inter veram religionem et sectas erroneas. Cum enim veritas veritatis amica sit, vera religio fovetur et magis confirmatur ex cognitione veritatum naturalium: e contra vero errores deteguntur ex tali cognitione, et ideo in falsis religionibus ignari quidem sunt pertinaciores, docti autem vix illis nisi specie tenus adhærent; nam nulla falsa religio est, in qua plurima contra lumen naturale non tradantur, quorum falsitas detecta per philosophiam reddit ejusmodi religiones contemptibiles. Unde Socrates Gentilium Deos deridebat, et hac de causa tanquam contemptæ religionis reus ab Arcopago ad cicutam damnatus est. Platonis mens eadem fuit, quamvis metu mortis eam parcius exprimeret, dicens in lib. de Rep. his vanitatibus adhærendum esse non ut veris, sed ut patriæ consuetudinibus. Aristoteles cum idem sentiret, spontanea fuga legum severitati se subtraxit. Cato deridens superstitiones veteris Romæ apud Cic. lib. de Divin. *se mirari*, ait, *quomodo Ministri harum vanitatum sibi obvii mutuum risum continerent.* Plinius Romana numina et mysteria traducit ut deliramenta, lib. 2. cap. 7. Magi Persarum, cum Xerses in Græciam transfretasset, Græcorum Templa comburi jusserunt, quæ illusorie vocabant *fictitios divinitatis carceres*, cum Dei mens simplex, pu-

ra et libera nullis locorum angustiis claudi possit. Sub Numa Pompilio Romani nulla idola colebant; noverat enim ipse per philosophiam, Deum esse mentem ingenitam, oculis mortalium minime subjectam, cui proinde simulacris repræsentari non congruebat. Averroes Arabs, Avicenna et Algazel, in philosophicis eruditi, legem Mahometis despexerunt, ut ostendit Javellus secunda parte Phil. Christ. tract. 5. circa finem, et Aristoteli magis credebant, quam Mahometi; quamvis inter Mahometanos viventes patrios ritus servarent. Apud Sinenses, ut refert P. Trigault, solus populus Idola colit, docti unum Deum Cœli Terræque Dominum agnoscunt.

E contra vero Fides Catholica in viris doctissimis firmissima, ut patet de DD. August. Hieron. Thom. etc. Immo illæ nationes diutius eam retinuerunt, in quibus litteræ magis vigent, ut Hispani, Itali, Galli, etc. Germani vero, ut notat Soto, ubi relicta scholastica sermonis venustati se totos dedere, in infinitas errorum sectas prolapsi sunt: nec aliud nuperis Hæresibus, nisi ignorantia præteriti seculi, januam aperuit; unde non immerito S. Augustinus supra citatus ait, *Eruditio Artium et clariores, et perseverantiores, et comptiores exhibet amatores amplectendæ veritatis.*

Sexto, ex ipsa hominis conditione idem suadetur: nam homo naturaliter procedit a sensibilibus ad intelligibilia, a creaturis ad Creatorem, ut patet ex Apostolo. Cum igitur gratia non destruat naturam, sed eam supponat, ita quoque lumen fidei non destruit lumen naturale philosophiæ, sed magis ipsum supponit ut præambulum et dispositionem; unde Clemens Alex. vocat philosophiam, *Catechismum ad fidem*, et Theodoretus, *Eruditionem disponentem ad suscipiendam doctrinam vitæ.*

Confirmatur magis hæc ratio. Sic enim se habet lumen fidei ad lumen naturale, sicut gratia ad naturam: sed ea, quæ perficiunt bonum naturæ, ut virtutes acquisitæ et bona indoles, non destruunt, sed adjuvant bonum gratiæ: ergo etiam philosophia, quæ perficit lumen naturale rationis, juvat ad ipsam fidem. Et ideo nationes magis eruditæ facilius suscipiunt fidem, eamque magis retinent, quam nationes incultæ et ignaræ: ut

experientia compertum est in Sinensibus, et Japonensibus eruditis, et Americanis stupidis.

Septimo probatur ex usu Ecclesiæ, quæ doctrinam de existentia Dei, de ejus providentia, de omnipotentia, de immortalitate animæ, de Angelis, de virtutibus sectandis, de vitiis fugiendis, philosophicis demonstrationibus probat et præcipit Professoribus scientiarum, ut idem faciant. Immo mysteria convenientiis ex philosophia depromptis illustrat et explicat, ut patet in Catechismo Tridentino, in lib. D. August. de Trinit. et aliis sacræ Doctrinæ libris. Eadem Ecclesia Universitates, veluti sacræ veritatis propugnacula, instituit, ut in eis humanæ divinæque scientiæ studia vigerent; et D. Thomam miris encomiis prosequitur, eo quod philosophiam cum fide conjunxerit; novit enim prudens mater, fidem satellitio rationum stipatam efficacius se hominum mentibus insinuare, altius inhærere, et fortius erroribus resistere.

Octavo, demum idem demonstratur ex officio Doctoris fidelis, a quo Scriptura tria exigit; primò, ut sit paratus ad reddendum fidei suæ rationem omni petenti Ep. 1. Pet. 3. secundo, ut potens sit exhortari in doctrina sana, ad Tit. 1. tertio, ut possit eos, qui contradicunt, arguere, ibid. sed ad hæc præstanda necessaria est philosophia: ergo philosophia est necessaria homini fideli. Probatur minor, et quidem quantum ad primum munus; nam tripliciter possumus reddere fidei rationem, scilicet demonstrando ea, quæ sunt præambula ad fidem, ut existentiam, unitatem, et providentiam Dei: ostendendo ipsa Mysteria, ut Trinitatem, Incarnationem, et Redemptionem, non repugnare, sed magis esse conformia lumini naturali: solvendo argumenta, quæ fiunt contra possibilitatem horum Mysteriorum: sed hæc tria pertinent ad philosophiam, quæ suppeditat rationes naturales, convenientias et solutiones: ergo, etc. Quantum etiam ad secundum munus, scilicet ad exhortandum, valet philosophia; loquitur enim Apostolus de exhortatione doctrinali, quæ fit, non quidem per tropos Rhetoricos, expressiones patheticas, sicut Poetica et Rhetorica; sed per vim rationum et argumentationum, quibus veritas persuadetur; ad philosophiam vero pertinet tradere modum ratiocinandi. Quantum demum ad tertium munus valet phi-

losophia, scilicet ad arguendum Adversarios fidei, quod fit, vel eos impugnando, vel sophismata eorum solvendo; utrumque enim pertinet ad philosophiam; et rationes, ut efficaciores sint, in formam syllogisticam ordinare, et sophismatum versutias detegere; unde S. Hieron. super Ezech. ait: *Quidquid in seculo perversorum dogmatum est, quidquid ad terrenam sapientiam pertinet, et putatur esse robustum, hoc Dialectica arte subvertitur, et instar incendii in cineres favillasque dissolvitur.* Quod S. Viri dictum comprobat experientia; nam Hæreticorum rationes, sub verborum et eloquentiæ fuco, robustæ quidem et ad persuadendum efficaces videntur; sed ad philosophiæ formam reductæ, vitro fragiliores et paleis debiliores deprehenduntur; tunc enim apparet defectus, qui sub verborum veste tegitur, dum, ut inquit Augustinus, *quod ornate dicitur, vere dici putatur.* Inde ortum habuit capitale odium, quo Hæretici Scholasticam Theologiam persequuntur, et ex sacris Doctoribus præcipue D. Thomam, qui doctrinam fidei artificio philosophico ita disposuit, ut jam sit terribilis ut acies castrorum ordinata; unde sacrilega vox cujusdam hæretici: *Tolle Thomam, et dissipabo Ecclesiam.*

Objicies primo. Apostoli, primique fidei Prædicatores sine ulla philosophia de orbe, et de ipsis Philosophis gloriose triumpharunt, omniaque fidelis Doctoris munia impleverunt: ergo philosophia non est necessaria Doctori fideli.

Secundo. D. Paulus ad Coloss. 2. admonet fideles, ut caveant a philosophia, tanquam a seductrice: ergo non est utilis, sed noxia Christianis.

Tertio. Sancti Patres frequenter exagitant philosophiam, ut simplicium deceptricem, fallaciarum artificem, hæresum nutricem, etc. ergo idem, quod supra.

Respondeo ad primum: Apostolos loco argumentorum ad convincendam humanam philosophiam habuisse miracula, sicut et videmus inter Sanctos; eos quidem, qui scientiæ dono excelluerunt, rara fecisse miracula, ut patet de Augustino, Hieronymo, Gregorio Nazianzeno, etc. illis enim ad propagandam fidem sufficiebat scientia infusa et acquisita; econtra vero qui non ita in scientia excellebant, habuere ad confirmandam fidem donum miraculorum. Conveniens autem fuit, ut notat D. Thomas Op. 70.

quæst. 2. art. 3. ut primitiva Apostolorum prædicatio esset in infirmitate et simplicitate, ut conversio Mundi soli divinæ virtuti tribueretur; attamen postea sapientia humana et secularis potentia per paupertatem Christi et stultitiam Crucis domitæ ac depuratæ, fidei victrici utilissime modo inserviunt; sicut in bello qui prius erant inimici, postea victi fiunt utiles servi, et arma hostibus erepta sunt victoribus utilia. Cujus etiam rei figura fuit, cum David Giganti Goliath simplicibus armis, id est, funda et lapidibus prostrato, proprium gladium eripuit, quo caput ei detruncaret, et prælia Domini præliaretur. Addi potest etiam Apostolis collatum fuisse divinitus de scientiis humanis quantum exigebat prædicationis ministerium: *Quidquid enim aliis exercitatio tribuere solet, hoc illis Spiritus Sanctus suggerebat*, ut inquit S. Hieron. ad Paul.

Ad secundum respondeo, D. Paulum loqui non de quacumque, sed ut ipse se explicat, de inani philosophia: id est, quæ erroribus fidei contrariis corrupta erat, qualis fuit Epicureorum, Cynicorum, etc. et tamen isti errores non erant aliquid pertinens ad philosophiam, sed quidam abusus philosophiæ, procedens ex defectu rationis, ut ait D. Thomas loco citato.

Respondeo ad tertium: quod philosophia considerari potest in triplici statu: primo, ut inimica fidei: secundo, ut præsumptuosa mysteriorum fidei arbitra: tertio, ut humiliter captivata in obsequium fidei. Primum statum habuit olim in philosophis Gentilibus, qui abutebantur rationibus philosophicis ad impugnandam fidem. Secundum statum habet in quibusdam hæreticis, qui volunt metiri per rationem ea, quæ sunt fidei. Tertium vero statum habet in Doctoribus Catholicis, qui utuntur philosophia, non ut arbitra, sed ut pedissequa fidei. Quidquid ergo invenitur in Patribus contra philosophiam procedit de illa, sumpta, vel ut erat in Gentilibus philosophis oppugnatrix fidei, vel ut in hæreticis est fabricatrix fallaciarum, et superba mysteriorum arbitra. Cæterum, ut in Catholicis Doctoribus humiliter captivatur in obsequium fidei, Patres eam laudant, ut patet ex dictis, solique hæretici eam timent et vituperant, sicut lupi canes. Per quod etiam refutantur calumniæ Jansenii, quas, quo animo ipse viderit, accumulat contra philosophiam et Doctores

scholasticos, tom. 2. lib. proem. Non enim philosophia peperit hæreses, nec astutias illas, quibus præcepta Dei eluduntur, sed humana superbia, vel malitia abutens philosophia. Quid autem tam sanctum et utile, quo malitia hominis non possit abuti? Hæretici abutuntur sacris Scripturis, et tamen sanctissimæ sunt. Illæ autem strigosæ, spinosæ, inanes, et minime necessariæ quæstiones, quas ipse dicit philosophiam invexisse in doctrinam fidei, sunt veluti luxuriantes hujus utilissimæ arboris rami, qui si minus fructuosi deprehendantur, sapienter resecandi sunt, ipsa tamen arbor servanda, et non propterea eradicanda. Cæterum quantum expediat in discutienda fidei doctrina sapientiam scholasticam adhibere, ipse Jansenius magnum omnibus documentum est, quia a via Scholasticorum recedendo, in quanta præcipitia corruerit, quis non videt?

DISSERTATIO SECUNDA

PRÆLIMINARIS

DE COMMENDATIONE DOCTRINÆ S. THOMÆ

Ut homini necessaria est philosophia, ita quoque philosophiæ studioso necessarium est inter tot sectas unicum Magistrum deligere, cujus doctrinam in turbulento variarum opinionum mari pro nautico sydere prospiciat, cujusque principia, veluti unum idemque filum, constanter teneat, ut se a difficultatum labyrintho facilius possit expedire. Ut enim navis in mari, si variis et inter se pugnantibus ventis se permittat, non progreditur, sed periclitatur; ut stomachum cibi contrarii non adjuvant, sed gravant; ut canis plures insequens lepores, nullum assequitur, ita quoque ingenium principiorum diversorum mixtura non instruitur, sed potius confunditur et obruitur, dumque pluribus Magistris adhæret, ad nullius doctrinam perfecte attingit; *Cor enim ingrediens duas vias non habebit successus*, Eccl. 3. Unde Seneca studiosum monet, ut *si quo destinaverit pervenire velit, unam viam sequatur: non per multa vagetur; non enim ire istud est, sed errare.* Hinc est, quod perpetuus omnium nationum usus fuit non in aliis modo, sed etiam in scientiis certos Duces ac Principes habere; consentitque divinæ providentiæ ordo, quæ multitudinem hominum per unum perficere, ac ipsi sua dona communicare consuevit. Ne igitur ab hoc ordine in communicanda hominibus scientia Deus recederet, providit, ut veluti a Sole astrorum multitudo lumen mutuatur, ita quoque scientiæ cujuslibet splendores ab uno Magistro, quantum fieri potuit, hominum multitudo reciperet. Hinc quoties placuit Deo scientias vel incuria hominum, vel injuria temporum extinctas reparare, semper suscitavit unum primum Ducem et Antesignanum, quem cæteri sequerentur. Hebræis post Patriarchas dedit Moysen non legis tantum, sed naturalis quoque eruditionis Doctorem; Ægy-

ptiis Mercurium Trismegistum; Italis Pythagoram; Græcis primo quidem septem Sapientes, postmodum in Moralibus Socratem, in naturali Theologia Platonem, in Philosophia Aristotelem, in Medicina Hippocratem, in Geometria Euclidem, in Eloquentia Demosthenem, in Poetica antiquum Homerum. Et quod circa hos populos factum videmus, de aliis quoque nobis ignotis, ut de Phœnicibus, Indis, Arabibus et aliis, eo justius præsumimus, quod nuper relatum est, et apud Sinenses idem fuisse servatum; nam in philosophia Morali, quam præ ceteris colunt, unum magistrum agnoscunt nomine *Confutium*, nec Pythagora, nec Socrate inferiorem, quem ut Ducem a bis mille annis constantissime observant. Adeo et utilitas suadet, et omnium nationum usus admonet, et ipse Divinæ providentiæ ordo propemodum jubet, ut hominum multitudo, si erudiri velit, in unius magistri doctrinam conspiret. Cum igitur Christiani non rationis solum, sed etiam fidei lumine illustrati, humanas, Divinasque scientias præ omnibus populis, qui unquam fuere, felicius colant, debuit quoque providentia ipsis suum ducem ac magistrum providere, qui rationis ac fidei utilissimum commercium consumans scholasticæ sapientiæ, quæ ex hac conjunctione nata est, parens ac princeps ab omnibus haberetur, cujusque Doctrina non modo præ cæteris colenda esset, sed etiam pro scholasticæ sapientiæ regula assumenda. Sed operæ pretium est investigare inter Catholicos Doctores, quis a Deo ad tantum munus evectus fuisse censendus sit, et a nobis hunc honorem promereatur. Quanquam et hoc tam facile est discernere, quam solem inter alia sidera demonstrare. Quem enim latet, S. Thomam inter cæteros scholasticæ sapientiæ magistros tantum eminere, *quantum lenta solent inter viburna cupressi?* Sed age paullo accuratius momentis efficacibus id stabiliamus, quo Doctrinæ Thomisticæ candidati ad ejus studium sint alacriores.

§. I.

Commendatur D. Thomæ Doctrina ex Oraculo Christi, Elogiis Pontificum, Conciliorum exemplo, et Ecclesiæ Oratione.

Doctrinam Thomisticam egregie commendat in primis divi-

num illud Oraculum, quo nec expressius dari, nec illustrius optari potuit ad probandum, D. Thomam ex omni carne electum fuisse, ut in utraque sapientia fideles erudiret. Cum enim S. Doctor morti proximus ultimum opus, scilicet Summam Theologicam perficeret, anxius, ne in illa, et tot libris, quos in vitæ decursu scripserat, aliquid sibi humanitus contigisset; cum lacrymis et gemitibus, ut solebat, Dominum consuluit, a cujus in cruce pendentis imagine lætissimum hoc responsum accepit: BENE SCRIPSISTI DE ME, THOMA, QUAM ERGO RECIPIES PRO TUO LABORE MERCEDEM? Scilicet ut reges decretis, quæ in regno servari volunt, robur et authoritatem propria subscriptione conferunt, ita Divinus ille Magister servi sui doctrinam, ut ardentius ab omnibus observaretur, tam illustri oraculo voluit comprobare. Quem enim alium magistrum quærimus, nisi eum, qui cum bene scripserit de Christo, in quo Deus omnia recapitulavit, ut dicit Apostolus, ad Ephes. 1. juxta Græcum, simul de omnibus aliis bene scripsisse testimonium habeat?

Hoc Christi oraculum referunt antiquissimi scriptores, et inter alios Bernardus Guidonis Episcopus Lodovensis D. Thomæ prope contemporaneus, in quarta parte Speculi Sanctoralis, cujus antiquissimus codex servatur in Bibliotheca nostri Conventus Avenionensis, inter alios, quos Joannes XXII. huic Conventui dono concessit (1). Comprobavit etiam Ecclesiæ authoritas largiendo

---

(1) Idipsum et alias S. Doctori accidisse tradunt Scriptores omni exceptione majores. Semel Parisiis in Conventu S. Jacobi, cum nimis contentiose de accidentibus Eucharisticis inter Doctores quæreretur, eique commissa conclusio Crucifixi Oraculo confirmata est; uti narrat Joannes de Columma Divi Thomæ coetaneus, et S. Antoninus. Item Urbeveteri, cum Officium Corporis Christi, jussu Urbani IV. complevisset; cujus rei luculentissimum testimonium præbet S. Vincentius Ferrerius, confirmatque Traditio Ecclesiæ Urbevetanæ, Crucifixi Imago, quæ adhuc in Conventu Urbevetano extat, nec non et antiquissimæ picturæ et ex scriptoribus plurimi. Tandem Neapoli, atque in Cappella S. Nicolai prope vitæ suæ terminum, quod præter Bernardum Guidonis, Guillelmus de Tocco S. Thomæ discipulus, in sua Legenda Joanni XXII. exhibita dum de ejus Canonizatione ageretur, narrat; ut est apud Bollandianos. N. E.

Indulgentias Sacello Conventus Neapolitani, in quo tunc D. Thomas orabat, et ejusmodi historiam non modo in sacris officiis, sed etiam in Pontificum decretis sæpius celebrando, ita ut non tam narrantium fide ac traditionis antiquitate, quam totius Ecclesiæ acceptatione et approbatione jam constet. Confirmavit demum eventus ipse, dum D. Thomæ doctrina Christi Oraculo illustrata, tanto totius orbis consensu excepta est, ut omnes fateri cogantur, quia *digitus Dei est hic.*

Christi testimonio innumeras adjecit Ecclesia approbationes, veluti diffusiores hujus Oraculi explicationes; cum enim cæteros Doctores scholasticos in suo sensu abundare permittat, solius D. Th. Doctrinam profuse commendat, non modo ut ab omni erroris suspicione liberam, sed etiam ut veridicam, imo ut certissimam ad veritatem viam, a qua qui impugnando declinat, de veritate suspectus est; qui vero eam tenet, de veritate securus. Eandem asserit esse clypeum impenetrabilem, quo Deus Ecclesiam munivit, ut felicius hæresum tela elideret. Jubet, illam nos sectari et totis viribus ampliare; et demum pronunciat, eam esse inconcussam, tutissimam, imo laudem omnem supergressam. Primum sic asserit Clemens VIII. ad Neapolitanos: *Doctrinæ D. Thomæ testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore in omni fere disciplinarum genere, singulari ordine, ac mira perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscripsit, in quibus conscribendis interdum sanctos Apostolos Petrum et Paulum colloquentes, locosque illi quosdam Dei jussu enarrantes habuit; et quos deinde conscriptos expressa Domini voce comprobatos audivit.* Secundum habetur ex Innocentio VI. Lemovicensi: *D. Thomæ*, inquit, *doctrina præ cæteris, excepta Canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut nunquam qui eam tenuerit, inveniatur a veritatis tramite deviasse; et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus.* Quod elogium comprobat experientia, qua videmus D. Thomæ impugnatores labi in plures opiniones reprobatas in speculativis, et perniciosissimas in moralibus. Tertium dicit Paulus V. vocans D. Thom. *splendidissimum Catholicæ fidei Athletam, cujus scriptorum clypeo Militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter elidit.* Quartum est Urbani V. Tolosanam

Accademiam his verbis alloquentis: *Volumus, et tenore præsentium vobis injungimus, ut D. Thomæ Doctrinam tanquam veridicam et Catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare.* Quintum demum est Alexandri VII. ad Lovanienses, asserentis DD. Augustini et Thomæ *dogmata inconcussa, tutissimaque, quorum sanctissimorum virorum penes Catholicos universos ingentia et omnem laudem supergressa nomina novi præconii commendatione plane non egent.*

Nec solum Ecclesia tot elogiis, sed suo quoque exemplo ad sequendum Angelicum Doctorem urgentissime nos excitat, dum eum, ut proprium sapientiæ scholasticæ Magistrum agnoscit. Quod patet Primo, quia illum quatuor primæ classis Doctoribus annumeravit: ut quemadmodum illos in exponendis sacris Scripturis, et positiva, ut vocant, Theologia Magistros habet, ita quoque Theologiæ methodicæ, seu scholasticæ principem ac magistrum D. Thomam agnosceret. Secundo, ex ipso sacrorum Conciliorum usu, quæ plura Decreta ex D. Thomæ scriptis deprompsere, ut ostendit Gravina lib. 2. c. 5. sui Cherubin Paradisi, eumque unicum ex Scholasticis in definiendis rebus fidei adhibere solent; quod præcipue in Concilio Tridentino apparuit, cujus Patres Scripturæ sacræ, quæ de more in publicis Conciliorum sessionibus afferri solet, ut in promptu sit ad consulendum, unicam D. Thomæ Summam adjici voluerunt, tanquam luculentissimam omnium Patrum Epitomen, et Scripturæ sacræ interpretem, imo, ut patet ex Oratore Concilii, ad D. Thomam ut ad Lydium lapidem, si quid ambiguitatis, aut controversiæ fuisset exortum, communibus votis referendum existimabant. Unde merito Baronius: *Vix quisquam enarrare posset, quot Vir sanctissimus atque eruditissimus Theologorum præconiis celebretur, quantumque illius illibatæ Doctrinæ sanctis Patribus in sacrosancto Oecumenico Concilio Tridentino considentibus fuerit acclamatum.* Tertio tandem idem efficaciter comprobatur ex oratione, quam tota Ecclesia in ejus Festo ad Deum ita fundit: *Deus, qui Ecclesiam tuam Beati Thomæ Confessoris tui mira eruditione clarificas et sancta operatione fecundas, da nobis et quæ docuit intellectu conspicere, et quæ egit imitatione complere.* Quibus sane verbis S. Thomam ut proprium in suo genere,

id est, in Scholastica Theologia magistrum agnoscit, cujus doctrina ut universi fideles altius imbuantur, a Deo fusis precibus ardenter deposcit.

§. II.

Commendatur Doctrina D. Thomæ auctoritate et exemplo Universitatum, Ordinum Religiosorum, et Primatum Theologorum.

Si *præcepta sapientum ut quasdam vitæ leges existimamus*, ut inquit Quintilianus, magnum sane pondus ex sapientissimorum cœtuum statutis nostræ conclusioni accedet. Cæteris præeat Universitas Parisiensis tanti filii digna mater. Cum decreto suo quosdam articulos confixisset, fuere, qui illud censerent ad S. Thomæ doctrinam pertinere: eam suspicionem publico decreto ann. 1523. die Jovis ante cineres promulgato purgavit, in quo S. Doctorem miris extollit encomiis, eum vocans *Universalis Ecclesiæ lumen præfulgidum, fontem Doctorum, candelabrum insigne et lucens, per quod omnes, qui vias vitæ et Scholas sanæ doctrinæ ingrediuntur, lumen vident, cujus doctrina toto orbe commendabili fulget Ecclesia ut Sole, Luna, etc.* Quibus Elogiis prærogativa Doctoris communis luculentissime exprimitur. Urbanus V. Academiæ Tolosanæ præcipit, ut ejus Doctrinam sectari, ac totis viribus ampliare contendat. Universitas Salmanticensis in Hispania florentissima etiam jurat in verba D. Thomæ et D. Augustini. Lovaniensis ejus Doctrinam non modo pro aris et focis defendit, sed etiam statuit D. Thomæ prolatum *Nomen* nudato, pronoque capite venerari. Duacensis et Patavina ipsum ut Doctorem suum, ac patronum agnoscunt. Avenionensis Scholam frequentissimam, curis et munificentia Illustrissimi Archipræsulis Dominici de Marinis, Viri de pietate ac litteris optime meriti, erectam et dotatam habet, in qua utraque sancti Doctoris sapientia, id est, Theologia, et Philosophia docetur. Demum omnes Academiæ D. Thomam ut Theologorum omnium principem, ac parentem venerantur, nullaque specialem Magistrum eligit, quæ D. Thomæ hunc honorem non deferat.

Ex Ordinibus Religiosis, in primis FF. Prædicatores, Car-

melitas Discalceatos, et Alumnos D. Francisci de Paula, nomine quidem Minimos, pietate vero et Thomisticæ Doctrinæ zelo maximos, in verba D. Thomæ jurare omnibus compertum est. Qui sub Augustini regula Deo inserviunt, quo ardore sancti Patris Augustini doctrinam colunt, eodem D. Thomæ fidelissimo ejus Asseclæ adhærent, inter quos Congregationes Lateranensis et Gallicana Canonicorum Regularium, etiam speciali decreto, D. Thomæ doctrinæ addictæ sunt. Augustiniani, dum Ægidium Romanum D. Thomæ discipulum et defensorem elegerunt in Ducem ac Magistrum, eodem voto D. Thomam ut Protomagistrum suum agnoverunt. Ex Ordine D. Benedicti, Cassinensis Congregatio D. Thomam quondam alumnum suum in philosophia et theologia speciali statuto magistrum agnoscit, quod et in aliis ejusdem sacri Ordinis Congregationibus a Lectoribus communiter observari cernimus, ipsa executione statutum præoccupante. Regalis Ordo Redemptionis Captivorum in virtute obedientiæ suis præcipit, ut Doctorem Angelicum sequantur, cum Commentariis Zumel egregii D. Thomæ interpretis. Ex Ordine Sancti Francisci plures ex RR. Patribus Capucinis, et Tertiariis D. Thomæ vestigia tenere profitentur, ipsique Minores, licet Scoti placita defendant, modestissimo tamen decreto statuerunt, ut reverentia Doctoris Angelici doctrinæ exhiberetur. Societas Jesu in Constitutionibus D. Thomam sequi statuit, et in quinta Congregatione suis præcepit, ut eum omnino tanquam proprium Doctorem habeant, et sequi teneantur. Congregationes Barnabitarum, et Oratorii Jesu specialibus statutis idem decrevere, pluresque alii Ordines adduci possent si eorum Decreta satis comperta haberemus.

Theologorum primæ notæ, qui D. Thomæ ut Magistro adhærent, catalogus integrum volumen impleret. Adnotasse sufficiat, ut quemadmodum ante D. Thomam liber sententiarum Petri Lombardi pro theologico textu habebatur, in quo exponendo Theologorum omnium libri occupabantur, ita quoque nunc D. Thomæ Summæ Theologicæ honor ille delatus est; eam enim veluti totius eruditionis Theologicæ inexhaustum fontem, Scripturæ, Traditionis, Conciliorum, Patrum, totiusque sacræ Doctrinæ absolutissimam epitomen, Theologicarum disputationum fundatissimam basim et regulam emendatissimam, omnes suis commen-

tariis explicandam suscipiunt, ita ut tot sint illius illustrissima encomia, quot exstant Theologorum volumina. Possevinus et alii supra septingentos D. Thomæ Commentatores recensebant, quibus nunc innumeri alii adjecti sunt, et continuo adjiciuntur, ita ut merito illud Joan. 12. ipsi attribui possit: *Ecce Mundus totus post eum abiit.* Ingens sane, ac supra quam quod dici potest admiranda D. Thomæ gloria, tantum decus, tam longa possessione firmatum a Magistro Sententiarum ad se transtulisse, sicque tot habere suæ doctrinæ discipulos, quot facultas Theologica numerat Magistros.

§. III.

Commendatur Doctrina D. Thomæ variis rationibus.

Prima ratio peti potest ex origine doctrinæ D. Thomæ. Illa doctrina et præstantissima, et hominibus erudiendis aptissima, et cæteris præferenda est, quam constat esse cœlitus traditam, ac divinitus infusam: sed constat, D. Thomæ doctrinam esse talem: ergo. Major patet; nam, ut dicitur Jacobi I., *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum:* et veritas non tam filia temporis est, ut eam vocat Horatius, quam Dei et cœli, ideoque ea doctrina maxime verax est, quæ de cœlo venit, et a Deo traditur; unde antiqui populorum Magistri, ut sibi fidem conciliarent, fingebant, se a Diis edoctos, proindeque dignos, qui homines erudirent. Sic Pythagoras fingebat, se Deorum concilio interfuisse ibique sua dogmata hausisse; Numa Pompilius fabulabatur, se a Dea Egeria instrui; Socrates pro Pædagogo Genium familiarem habere gloriabatur; Lycurgus suas leges non tam hominis, quam Dei inventum esse jactabat. Adeo in omnium animis fixum et ratum est, illum et veracem, et cæterorum Magistrum esse debere, qui Dei prius exstitit Discipulus ac Theodidactus. Minor vero probatur tum authoritate Pontificum. Joannes XXII. in Bulla Can. D. Thom. de libris ejus inquit, *Eos non absque speciali Dei infusione perfecit;* unde fertur dixisse, D. Thomam *tot miracula fecisse, quot Articulos scripsit, quia omnes resolvit*

lumine plusquam humano. Et Clemens VIII. vocat D. Thomæ *Eloquium divinum et cœlestem Doctrinam, ac miraculis illustrem;* refertque, S. Doctorem in difficultatibus resolvendis habuisse DD. Apostolos Petrum et Paulum interpretes. Tum etiam ex probatissima ejus gestorum historia, quæ refert, sanctum Virum ad orationem, ut ad Oraculum confugere solitum, in qua de omnibus erudiebatur, ipsumque cum Sanctis et Angelis familiariter fuisse collocutum; in frequentissimas ecstases raptum, dum contemplationi etiam rerum scholasticarum mentem applicaret, quod de nullo alio Sancto legimus, ut scilicet quemadmodum alii Sancti mysticas et propheticas illustrationes in raptibus hauriebant, ita quoque divinus ille Vir scientiarum lumina in illis susciperet. Tum demum ex ipsa Viri sanctissimi confessione, qui fratri Reginaldo socio suo dicere solebat; *se scientiam suam non tam humano studio, et naturali ingenio, quam orationis suffragio divinitus impetrasse.* Et si dicas, quosdam alios habuisse scientias etiam divinitus infusas; respondeo, in primis id vix de ullo alio ita certo constare, ac de D. Thoma: deinde alii quidem leguntur divinitus habuisse lumen infusum, quo facilius scientias addiscerent, sed unius D. Thomæ privilegium fuit etiam de Quæstionibus in particulari divinitus instrui, vel per ecstaticos raptus, vel per Cœlitum colloquia, vel per orationem, *a qua surgens*, inquit Bernardus Guidonis, *inveniebat apertum, quod prius erat occultum, sic habens in promptu, quod dictaret, quasi in libro aliquo didicisset.*

Probatur secundo ex præstantia Auctoris hujus doctrinæ, D. Thomæ scilicet, in quo Natura, Gratia, et Studium conspiraverant, ut cum totius orbis Magisterio dignum efficerent. Natura quidem, a qua sortitus erat animam bonam, et maximarum rerum capacem; memoriam usque ad prodigium felicem, ad omnia facile addiscenda, perpetuo retinenda, et tanto cum ordine reddenda, ut sæpe quatuor Amanuensibus res diversissimas simul dictaret; ingenium ad comprehendendum vastissimum, ad penetrandum subtilissimum, ad altiora contemplanda sublimissimum, et facillimum ad omnia clare explicanda, et in omnem faciem versanda. Gratiæ quoque dona cum profusione accesserant: humilitas profundissima, quæ sapientiæ basis est;

munditia cordis et corporis plusquam humana, cui Dei visio, et veritatis cognitio promittitur; oratio ita efficax, ut omnia impetraret; sanctitas tanta, ut cœlites quasi familiares Magistros haberet; contemplatio adeo expedita, ut raptus et ecstases ad nutum haberet; ardentissima cognoscendæ veritatis sitis, ob quam eum veluti Danielem, *Virum desideriorum* Bernardus Guidonis vocat; lumen intellectus, scientiæ et sapientiæ supra hominis mortalis conditionem clarissimum. Ad tantas naturæ et gratiæ dotes adjecit quoque sanctus Doctor impigerrimum studium; cum enim ad Doctoris munus se divinitus destinatum sciret, ut ipse fatetur in Proœm. Summæ cont. Gent. scientiis totum animum applicuit, nullis vigiliis, aut laboribus pepercit; Beatum Albertum omnium pene mortalium, nisi hanc laudem ipse discipulus præripuisset, eruditissimum avidissime audivit: libros omnes adeo feliciter evolvit, ut Vir modestissimus in familiari colloquio studentibus dixerit, *se nullum legisse, quem divino adjutus spiritu non intellexisset.*

Ad cumulum demum votorum, et maximum D. Thomæ discipulorum solatium accedit, ut in eo non modo absolutissimum Magistrum habeant, qualem nulla ætas aut tulit, aut feret, sed etiam efficacissimum intercessorem, qui dum doctrinam in libris suis proponit, intelligentiæ quoque lumen efficacibus meritis possit impetrare, ita ut Thomisticæ doctrinæ quodammodo attribui præ aliis possit, quod legi gratiæ supra legem scriptam tribuitur, eam scilicet non modo nuda dogmata tradere, sed etiam conformem ipsis spiritum interius subministrare.

Probatur tertio ex scopo, quem sibi sanctus Doctor in condenda sua doctrina proposuit: Cum enim cæteræ Sectæ nasci soleant vel ex quadam contradicendi, et aliena subvertendi prurigine, vel ex cupiditate nova et inaudita ingerendi, vel ex zelo defendendi ea, quæ a domesticis male excogitata, a cæteris reprobantur: unicam veritatem sibi pro doctrinæ scopo D. Thomas constituit, unde nullum alicujus momenti Doctorem acerbe carpit, nulli contradicere gestit, omnes, quantum fieri potest, benigne exponit; tritam ab antiquis viam sequitur, nova quidem excogitat, non tamen ad vetera destruenda, sed illustranda: et cum scientiæ naturales sint sacræ Doctrinæ ancillæ, id unum

impense curat, ut scientiarum lumen fidei doctrinæ inserviat; ad quam illustrandam, et declaranda divina Mysteria mirabiles convenientias ex rebus naturalibus excogitavit, et in omnibus rationem fidei ita accommodavit, ut in confesso sit apud omnes, illius Doctrinam explicandis fidei mysteriis omnino aptissimam esse, ideoque et verissimam; siquidem ut apertum rectitudinis indicium est rectis concordare, ita quoque infallibile veritatis testimonium est in principiis et conclusionibus naturalium scientiarum, cum veritatibus fidei concordia; nam veritas veritati concors et amica est, falsitas vero prorsus repugnat.

Probatur quarto ex dotibus, quas habere debet optima doctrina, quarum præcipuæ sunt, ut sit pura ab erroribus, solida in dogmatibus, sublimis in principiis, uniformis in conclusionibus, completa in tractatibus, sancta in moralibus, facilis addiscentibus. Porro hæc omnia cumulatissime complectitur Doctrina Thomistica. Inprimis enim eam esse ab omni errore puram, non modo Pontifices declarant, sed usus quoque comprobavit; nam a tot seculis, a tot æmulis usque ad ultimos apices versata, cribrata, et ventilata, sua sinceritate ac puritate omnem et amicorum fidem vicit, et adversariorum invidiam.

Solidam in dogmatibus esse publica vox proclamat, et experientia confirmat; nam adversariorum impugnationibus, ut Hercules Junonis odiis melior effecta, quanto acrius impetitur, tanto firmius stabilitur, et veluti solidum marmor, dum feritur, politur; unde in proloquium abiit, eam prope plus hostibus debere, quam amicis; ab istorum enim admiratione honorem, sed ab illorum impugnatione soliditatis suæ notitiam et claritatem accepit.

Sublimitatem principiorum ejus satis indicat tum *Angelicus* titulus, quo donata est, eo quod inter humanas doctrinas tantum emineat, quantum supra homines Angeli; tum *Angelicus* modus procedendi D. Thomæ, qui, quantum rei conditio patitur, cuncta resolvit ad prima et altissima principia.

Uniformitas quoque, ac mirabilis conclusionum omnium inter se consensus in illa relucet; nam veluti in corpore animalis unum membrum aliud non impugnat, sed juvat, ita quoque omnia hujus Doctoris dogmata sic inter se cohærent et concate-

nantur, ut unum aliud confirmet, nec ab eo divelli possit; et philosophica theologicis viam parent, rursusque theologica philosophicis novum robur, lumen, ac perfectionem adjiciant.

Completissima quoque est D. Thomæ doctrina, cum ipse de omnibus, quæ tum philosophum, tum theologum erudire possunt, non minus copiose, quam egregie tractaverit, ita ut ei merito tribui possit illud D. Gregorii Nazianzeni de Basilio Magno elogium: *Unus, omnium loco studiosis ad eruditionem comparandam sufficit.*

Sanctitate etiam præcellit, cum et altissime de Deo, et humillime de creaturis sentire doceat; salutisque viam nec periculosa indulgentia dilatans, nec nimia severitate coarctans, ita mores informat, ut omnes ejus opiniones non modo probabiles, sed etiam tutissimas nuperum Sum. Pontificis Oraculum pronuntiaverit.

Sed demum, ne quid ad laudis culmen desit, D. Thomæ doctrina etsi sublimis, ac profunda sit, attamen facilis est, ita ut illi accommodari possit, quod de sacra Scriptura Gregorius dicit: *Eam esse fluvium altum et planum, in quo et agnus ambulet, et elephas natet.* Hujus autem facilitatis ratio est tum mira sancti Doctoris in explicandis rebus claritas, tum artificiosissimus in disponendis materiis ordo, tum perpetua quædam doctrinæ concatenatio, et ad paucissima principia reductio, quæ si quis penetraverit, perenni serie nascentes ex iis conclusiones facile deducet; unde vulgatum effatum est, D. Thomæ Doctrinam a discipulis non felicem memoriam, quæ rarissima est, sed maturum judicium exigere.

Probatur demum sexto ex effectibus, Thomisticæ Doctrinæ præstantia: si enim arbor ex fructibus agnoscitur, quæ unquam doctrina, excepta Canonica, meliores, uberiores, et universaliores fructus protulit? Hæc Theologicam facultatem antea rudem polivit, informem exornavit, confusam disposuit, obscuram luce copiosissima perfudit, et solis auctoritatibus innixam, sed rationibus jejunam, innumeris argumentis illustravit, et ad hoc decus, ac perfectionis apogæum perduxit, ut *non plus ultra*. Hæc Philosophiam fidei rebellem, a Theologia penitus alienam, in obsequium sacræ Doctrinæ captivavit; ut enim olim Angelus Aga-

rem fugitivam reduxit ad dominam suam, ita quoque Doctor Angelicus humanam Sapientiam sacræ Doctrinæ tanquam Reginæ suæ subjecit, ita ut, quæ prius erat perniciosa fidei inimica, nunc facta sit ei utilis ancilla. Hæc Gentilium philosophorum dogmata, quibus antea ut lanceis et ensibus fidem impugnabant Gentiles et Hæretici, convertit in vomeres et falces, quæ nunc ad divinæ Sapientiæ sementem animos disponunt, et ad colligendam ejus messem utiliter inserviunt. Hæc omnium hæreticorum sacrilega inventa funditus subvertit, et quotidie confundit, ut ostendit Gravina tom. 1. præscr. Summique Pontifices testantur. Hæc Mysteria fidei non modo luculentissimis convenientiis exornavit, sed etiam tanta luce perfudit, ut extra beatificæ visionis meridiem amplior nec optari nec sperari posse videatur, meritoque censeri possit præfulgida quædam æternæ diei aurora. Hæc arma Patribus Latinis contra Græcorum errores ita fortia suggessit, ut ipsi Præsules Græci in Concilio Florentino mirarentur, ex quo armamentario tam efficacia tela erui possent; cumque didicissent, ex D. Thomæ libris esse deprompta, Summam ejus theologicam Græcam habere voluerunt. Quis acutus Philosophus, quis eruditus Theologus, quis Doctor mysticus, quis prudens conscientiarum Moderator, quis sapiens animarum Pastor, quis peritus Scripturarum Interpres, quis efficax verbi Dei Concionator, quis egregius Controversista, qui non de D. Thomæ fontibus potaverit? quis summam ejus theologicam non evolvat, ita ut de ea dicere possit, quod Cyprianus poscendo Tertulliani volumina, *Affer Magistrum?* quis demum eam non agnoscat suæ fontem eruditionis, suum oraculum in dubiis, suum ducem in arduis, lumen in obscuris, Mercurium in biviis, armamentarium in controversiis et litterarum pugnis, normam in moribus regendis, Danielem in difficilioribus Scripturæ locis, thesaurum, qui solidiores Concionum divitias subministret, promptuarium, ex quo sacri verbi frumentum et vinum depromat, ut populos pascat et nutriat, et demum ut uno verbo concludam, immensam quandam et inexhaustam totius eruditionis Christianæ abyssum? ergo quidquid isti omnes præclari habent et agunt, D. Thomæ Doctrinæ debent, totque sunt illius effectus, quot sunt illorum fructus. O feracem Doctrinam, et bonis fructibus plenam, post-

que tot et tanta collata hominibus beneficia, non tam angelicam, quam divinam, nisi eo quoque divina esset, quo angelica nuncupatur.

Hæc pauca ex multis in commendationem Doctrinæ Thomisticæ relata satis ostendunt, quanto intervallo cæteris omnibus emineat, quam merito aliis anteponenda sit, quam jure totus prope Orbis, ingenti Doctoris Angelici admiratione raptus, eum ut communem Magistrum sequi profiteatur, ita ut ei tribui merito possit, quod Seneca de Natura dixit, eum a tanta discipulorum turba *non mercede, sed miraculo coli.* Augeamus ergo et nos tam illustrem, tam eruditum, tamque præclarum exercitum, et humanæ divinæque sapientiæ avidi, ejus fluenta ab hoc purissimo et inexhausto fonte, ejus splendores ab hoc fulgentissimo Sole, ejus mysteria ab hoc Angelo cœlitus ad nos misso requiramus, et ut nos hortatur Clemens VI. Lemovicensis in Sermone de D. Thoma, qui incipit, *Ecce plus quam Salomon hic*, quem refert Lucarinus in fine Manualis controversiarum Thomist. *Hujus doctrina non recedat ab ore, non recedat a corde, quia ipsam sequens non devias, ipsam cogitans non erras, ipsam tenens non corruis, ipsam loquens non mentiris, ipsam studens ad veritatem pervenis. Tenui ergo, nec dimittam,* Cant. 3.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

DISPUTATIO PRÆAMBULA

DE PHILOSOPHIA IN UNIVERSUM.

Qui tyrones artis alicujus præceptis efformandos suscipiunt, prius, quid ipsi natura et genio suo in ea facultate valeant, tantisper experiuntur. Eo nos consilio, priusquam argumentandi præceptis et Philosophiæ documentis animos candidatorum ejus imbuamus, in ipso limine quæstiones aliquas circa Philosophiam movendas censuimus, ut, dum in his terendis animum disputationis avidum jucunde exercent, et quid ipsi natura sua possint, sentiant, et eo usu, regularum necessitatem experti, eas postmodum avidius perdiscant.

Porro circa Philosophiam in universum duo discutienda occurrunt: primo natura ejus; deinde causæ. Utrumque duabus quæstionibus prosequemur.

QUÆSTIO PRIMA

De natura Philosophiæ.

Ut Philosophiæ naturam exploremus, quatuor discutienda sunt. Primo, quid ipsa sit. Secundo, an sit. Tertio, quæ sint partes ejus. Quarto, qualis sit. Ea singulis articulis expendemus.

ARTICULUS PRIMUS

QUID SIT PHILOSOPHIA

Philosophia Græce, *Amor Sapientiæ* Latine redditur. Hujus nominis auctor Pythagoras fuit, qui solum Deum proprie Sapientem agnoscens, se *Philosophum*, id est, *Amatorem Sapientiæ* professus est. Pro ipsa tamen Sapientia hæc vox usurpatur. Sa-

pientiæ autem variæ sunt acceptiones; aliquando sumitur pro recta ratione vivendi, præcipue in Scriptura sacra, in qua Sapiens passim idem est, ac vir bonus et justus. Hoc sensu Plato ep. 10. dixit, *bonos mores veram esse sapientiam, cujus scientiæ sunt ornamenta;* aliquando sumitur Sapientia pro eo Spiritus sancti dono, quo fit, ut divina nobis sapiant, ita ut de his ex quadam connaturalitate judicemus, eaque nos delectent, sicut gustus ex naturali affectione ad sapores de iis judicat. Sumitur etiam nonnunquam sapientia pro excellentiori peritia in qualibet arte; sic Apostolus 1. Corinth. 3. dixit, *Architectum Sapientem*, id est, in illa arte eximium. Hoc sensu qui profundiora nequitiæ principia callent, in Scriptura sacra dicuntur *Sapientes in malo*, Hierem. 4.

Sed missis his acceptionibus, sumitur hic Sapientia pro quadam sublimiori rerum cognitione, quo sensu definiri solet, *Cognitio rerum per causas altiores. Sapientis enim est considerare sublimiora rerum principia*, ex Aristotele 1. Metaphys. cap. 4. unde quanto quis sublimiora rerum principia mente conspicit, tanto Sapientior habetur.

Porro Sapientia eo sensu dividi potest in naturalem et supernaturalem. Sapientia supernaturalis est, quæ res cognoscit per causas, seu principia supernaturalia, ut sunt principia fidei, et hæc proprie Theologia dicitur. Sapientia naturalis est, quæ procedit ex principiis naturali lumine notis; et hæc proprie Philosophia dicitur.

CONCLUSIO

Philosophia itaque proprie definitur, *Cognitio certa et evidens rerum per altiores causas, naturali lumine parta.*

Probatur conclusio. Philosophiæ nomine censetur sapientia naturalis; sed sapientia naturalis est cognitio certa et evidens rerum per altiores causas naturali lumine parta: ergo est propria philosophiæ definitio. Major constat ex jam tradita philosophiæ nominis explicatione. Minor declaratur. Sapientia dicitur inprimis *cognitio*, quia genus est cognitionis. Dicitur *certa, et evidens*, ut distinguatur ab errore, qui est falsa cognitio; ab opi-

nione, quæ est cognitio dubia et incerta; et a fide, quæ est cognitio inevidens. Dicitur *per causas altiores*, ut distinguatur a scientia communiter sumpta; non enim quævis scientia sapientia est, sed scientia sublimior, non hærens in infimis rerum causis, sed ad sublimiora pertingens. Additur *lumine naturali parta*, ut distinguatur a Sapientia supernaturali, seu Theologia.

Vetus etiam et celebris definitio philosophiæ hæc fuit: *Rerum humanarum et divinarum, causarumque, quibus hæ res continentur, scientia.* Per res divinas, non modo Deus, sed et Angeli, atque spiritualia quæque intelliguntur; per res humanas ea omnia, quæ sensibus subjacent, verum hæc definitio reipsa non differt a nostra.

Objicitur 1. Ea facultas non est certa et evidens, quæ pleraque falsa, obscura et dubia continet; sed Philosophia pleraque continet, quæ falsa sunt, obscura et dubia, unde in omni fere ejus parte variæ versantur opiniones: ergo non est certa et evidens.

Resp. Distinguo Majorem. Facultas non est certa et evidens, quæ continet falsa, obscura, et dubia, *ut propria*, quibus assentitur, concedo; ut *extranea*, de quibus judicat, nego. Itaque ad philosophiam solum pertinent ea, quæ ex principiis notis certo et evidenter sequuntur. Ejus tamen munus est ita mentem formare, ut falsa refutare possit, obscura pro viribus illustrare, in dubiis assensum suspendere, probabiles rationes ita librare, ut eas nonnisi in eo, quo merentur pretio, habeat; hoc enim viri sapientis est officium.

Objicitur 2. Philosophia versatur circa cognitionem Dei; sed Deus non habet causam: ergo non est cognitio rei per causam.

Resp. Distinguo Minorem. Deus non habet causam, *qua sit*, concedo; qua *cognoscatur*; nego; Deum enim philosophia cognoscit per creaturas, et principia naturaliter nota, ut per causas cognitionis, quam de illo habet.

Objicies 3. Philosophia Thomistica fere tota nititur auctoritate Aristotelis et S. Thomæ: ergo non est cognitio certa et evidens, sed fides humana, obscura et inevidens.

Resp. Distinguo Antecedens. Nititur Aristotelis, et S. Thomæ auctoritati, *nudæ*, nego; *junctæ* principiis eorum et ratio-

nibus evidentibus, concedo; non enim propter Auctores doctrinam sectamur, sed propter doctrinam Auctoribus adhærentes, eorum viam a tot summis viris tritam et exploratam ut certiorem ita tenemus, ut eorum principiis et rationibus præcipue attendamus, atque iis animum illustrare satagamus. Nec spernimus ea, quæ a Modernis apte cogitata, ac inventa sunt, sed iis quoque philosophiam nostram libenter ornare curamus; non enim, ut plerique leviter censent, solidis Aristotelis et S. Thomæ principiis repugnant, sed facile conciliantur, quæ nunc certa et evidenti experientia detecta sunt in Physicis, ut in decursu Operis ostendemus.

ARTICULUS SECUNDUS

AN SIT PHILOSOPHIA

Academici, cum nihil certo et evidenter sciri contenderent, consequenter negabant exsistere Philosophiam, omnem Sapientiæ summam in constanti assensus cohibitione constituentes, ne dubiis, aut falsis turpiter adhærerent. Adversus illos sit.

CONCLUSIO

Existit philosophia, qualis a nobis definita est. Probatur conclusio. Philosophia est certa et evidens cognitio rerum per altiores causas; atqui pleraque certo et evidenter a nobis cognoscuntur, etiam per altiores causas: ergo exsistit philosophia. Probatur minor. Cognitio evidenter deducta ex principiis evidenter notis est certa et evidens; atqui et pleraque principia evidenter nobis nota sunt, et ex iis evidenter plura deducuntur, etiam circa illa altiora, in quibus sita est cura philosophiæ: ergo pleraque certo et evidenter cognoscuntur, etiam circa altiores causas. Declaratur minor. Sic in Logica illud principium evidenter certum est: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: Quod dicitur generaliter de subjecto, dicitur de omni sub eo contento*; ex quibus argumentandi regulæ evidenter deducuntur. Sic in Metaphysica per se notum est, *Non posse simul idem esse et non esse: Nihilum non posse dare esse;* ex quibus circa ens in

communi pleraque evidenter deducuntur. Item in Morali per se notum est, *Unicuique tribuendum, quod suum est: Vivendum homini esse secundum rationem: Deum colendum: Bonum amandum: Parentes honorandos: Prælatis parendum;* ex quibus circa mores plura evidenter inferuntur. In physica per se notum est: *Quod mutatur, non esse simplex: Quod generatur, constare ex principiis; Nihil produci a seipso, sed ex causis;* ex quibus plura circa res mobiles deducuntur. Mitto Mathematicas, quæ principia evidenter nota ponunt: *Totum esse majus parte: Æqualibus si æqualia addantur, ea remanere æqualia, etc.* ex quibus plurima demonstrant.

Confirmatur. Naturalis appetitus non est omnino frustraneus, alias imprudenter et vane ab auctore naturæ foret inditus; at homines naturaliter scire desiderant; veritas enim mentis bonum est, ad quod naturali desiderio fertur: ergo potest eam saltem pro suo modulo assequi.

Objic. 1. Ut res evidenter cognoscantur, esse debet aliqua nota, seu criterium, quo certa ab incertis discernantur; atqui non datur hæc nota; quæ enim ista est? sane plerumque falsa veris certiora apparent: ergo nihil evidenter cognoscitur.

Resp. Nego Minorem. Nam nota illa veritatis est ipsa perspicuitas ejus, qua se menti ultro sæpe ita vivide exhibuit in principiis per se notis, aut ita clare ex illis fluit, ut assensum etiam ab invito extorqueat. Porro, quod falsa veris certiora videantur, in causa est pravus usus lumínis naturalis ex præcipitatione, præoccupatione, aut passione proveniens; at quæ attento, sedatoque animo perpendimus, facile, certa ne et clara sint, an incerta, dijudicamus.

Instabis. Nihil adeo evidens apparet, quam nos modo vigilare; atqui in hoc ipso mens decipitur, nam aliquando in somno se vigilare putat, aliquando in ipsa vigilia, vigiletne dubitat; ut sæpe nobis accidit insperato eventu perculsis: ergo evidentia ipsa rerum nos decipit; non est ergo falsi et veri discernendi certa nota.

Resp. Distinguo Minorem. Mens in judicio vigiliæ decipitur, dum se sistit intra id, quod sibi evidens est, nego: dum labitur in aliquid sibi inevidens, concedo. Itaque in actu judicii cir-

ca vigiliam duo ineluduntur judicia. Primum est, quo mens judicat, se rerum species percipere, quod sibi perspicuum est, et in hoc nunquam fallitur; quoties enim reflexa cognitione judicat, se aliquid percipere, id sane percipit, sive vigilando, sive dormiendo id fiat. Secundum est, quo judicat res ita esse, aut non esse ad extra, sicut eas intra se percipit; et in hoc fallitur, dum aut casu attonita, aut somno involuta, non satis perpendens, an evidenter sequatur ex sua perceptione, rem ita ad extra se habere, vividiori spectro somni perculsa præceps judicat, rem ita vere esse, ut apparet, proindeque se vigilare; aut insolitum casum quasi impossibilem temere reputans, præceps judicat, ita non esse, ut videtur, sicque insomnium se pati: ut cum Petrus ab Angelo vinculis et carcere solutus est, attonitus insolito casu putabat, ita non fieri, sed se somnium videre. At mens cum curam tantisper adhibuerit, ad eam evidentiam pervenit, qua insomnia a veris effectibus certo discernit, seque vigilare evidenter percipit.

Urgebis. Viri graves post seriam discussionem dubitarunt, an hæc, quæ nunc agitur, vita insomnium sit, mors vero vigilia; unde illud cujusdam antiqui, *Viventes sunt mortui, et mortui vivi;* cui etiam favet illud Psal. 75. *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis;* ergo etiam, quæ post seriam discussionem videntur maxime evidentia, sunt incerta.

Resp. Distinguo antecedens. Dubitarunt viri illi, an hæc vita insomnium sit et mors quædam, quoad physicas perceptiones evidentes, nego; quoad apparentia boni phantasmata, quæ sibi homines pravi effingunt, et ut solida ac vera sequuntur, ut somniantes sua insomnia, concedo. Itaque nemo dubitavit, Mundum esse, ut eum clare percipimus, nec nos in eo judicio falli et somniare; sed cum homines sponte seducti, in rebus corporeis veram et solidam felicitatis imaginem sibi fingentes, eam ut permanens bonum sequuntur, in hoc, veluti falsa somni imagine delusi, somniantibus similes sunt; evigilantibus vero, cum in morte discussa illa inani specie sero sentiunt se delusos, et vana spectra sequendo a veris bonis excidisse; et hic Scripturæ sensus est.

Dices. An non fieri posset, ut species rerum ab aliqua superiori virtute adeo vivide sensibus, et menti imprimerentur, atque adeo evidentes apparerent, ut nunc sentimus, sicque falleremur judicando, ita esse, ut apparerent eo casu? atqui nescimus, an re vera id nobis nunc contingat: ergo nescimus, utrum ea, quæ evidenter apparent, ita certo se habeant.

Resp. primo, Casum non labefactare certitudinem principiorum per se notorum, et conclusionum cum iis necessario connexarum: nam etsi Mundus iste totus esset imaginarius, perinde semper verum esset, totum esse majus parte, nihilum non esse causam essendi, et alia hujusmodi, circa quæ versantur scientiæ.

Resp. 2. Casum esse impossibilem; repugnat enim enti summe bono et veraci, qualem Deum esse certum est, omnipotentiam suam adhibere ad nos decipiendos; unde quæ naturali lumine ab eo dato evidentia sunt, vera esse certo colligimus.

Repones. Veritas principii universalis pendet ab inductione omnium particularium: sic omnem ignem esse calidum scimus, quia hunc et illum calidum percipimus; nam si vel unicus calidus non esset, propositio universalis falsa esset; atqui in nullo genere habemus omnia particularia sufficienti experimento nota: ergo nulla propositio universalis certa nobis est, sicque nutant fundamenta certitudinis conclusionum, et nihil certum stat.

Resp. Distinguo majorem. Veritas principii universalis pendet ab inductione omnium particularium, in propositionibus necessariis, in quibus prædicatum est de essentia subjecti, et quales sunt eæ, quibus scientiæ nituntur, nego; in aliis, in quibus prædicatum non est de essentia subjecti, concedo: sunt enim quædam propositiones per se notæ, in quibus prædicatum continetur in idea subjecti, ut in idea totius continetur, quod sit majus parte; et in idea hominis, quod sit rationalis: hæ non pendent ab inductione; at si prædicatum sit omnino extra ideam subjecti, ut nigredo est extra ideam corvi, tunc inductione colligitur veritas propositionis universalis, quæ certa non est, nisi facta omnium particularium inductione, aut invento medio prædicatum cum subjecto necessario connectente.

Objic. 2. Omnis nostra cognitio pendet a sensibus; sed sensus fallunt et falluntur, ut cum baculum ex parte aquæ immer-

sum fractum, aut flexum renuntiant; Solem patella non majorem; stellas quasi puncta lucentia; sapores omnes amaros in febricitante; objecta flava in icterico morbo, etc. ergo omnis nostra cognitio falsitati est obnoxia.

Resp. 1. Distinguo majorem. Cognitio nostra pendet a sensibus, ut a quodam *prærequisito et excitante* mentem ad cognitionem, concedo; ut a *regula* nego. Fatemur, mentem humanam corpori addictam eam habere cum sensu connexionem, ut eo feriante otiosa sit, ut in pueris in utero materno, aut adultis gravissimo somno consopitis; at excitata per actionem sensuum, ea, quæ ab iis ad se delata sunt, propriis principiis, quorum veritas a sensu non pendet, examinat, atque in iis, quid sit verum, quid falsum, quid dubium, certa ratione discernit: ut Mathematicus, si nunquam sensu figuras et quantitates percepisset, de illis ne quidem cogitaret; at delata ad se per sensus notitia figuræ et extensionis, circa eam ratiocinatur, ac principia certa statuit, ex quibus de angulo, de circulo et aliis evidenter plura concludit, quorum veritas et certitudo a sensu non pendet, sed perinde maneret, etiamsi nullus sensus existeret.

Resp. 2. Distinguo minorem. Sensus fallunt et falluntur *per accidens*, concedo; *per se*, nego. Sensus enim res, ut sibi offeruntur, percipit, atque, ut percipit, eas rationi exhibet; ipse non judicat, sint ne ita in seipsis. Potest hæc apparentia variis defectibus objecti, medii, organi vitiari; id discutere ad rationem pertinet, quæ si præcipiti judicio apparentiam aliquo defectu vitiatam sequatur, ipsa fallitur, sed sua culpa, sensu per accidens se habente; at postquam ratio eam adhibuit curam, quam oportet, ut discernat, quid fideliter sensus referant, quid ex eo, quod referunt, evidenter sequatur, minime errabit in judicio rei sensibilis. Oculo Sol vix bipalmaris apparet, at mens certa ratione novit, eum immenso intervallo a nobis distare; ex hoc ipso immensæ molis eum esse certo colligit, quod in tam enormi distantia, tantus adhuc appareat; at si præceps judicat esse tantum, quantum apparet, ipsa se decipit, non a sensu decipitur.

Dices tandem. In omni Philosophiæ parte versantur contrariæ opiniones: ergo nihil certi habet; mirum enim in rebus evidenter certis summa ingenia non convenire.

Resp. Plura esse in Philosophia, in quibus omnes conveniunt; in aliis vero bene multis, fere quæstiones esse tantum de nomine, et de modo explicandi; prurigo enim contradicendi in ipsis rebus certis hos contrarios modos sæpe invehit, de quibus inter se homines digladiantur, ut Cicero de Peripateticis et Academicis dixit, *Eos rebus congruere, sed verbis differre*, Lib. 2. Acad. quæst. Fateor tamen, plura in Philosophia obscura esse et incerta; verum inde sequitur, solum Philosophiam in hominibus imperfectam esse, non tamen omnino nullum.

ARTICULUS TERTIUS

QUÆ SIT PHILOSOPHIÆ PARTITIO

Ut clarior sit quæstionis status, delibanda est scientiæ naturalis partitio. Dividitur 1. in scientiam *Rationalem*, seu Logicam, et *Realem*. Scientia Realis dividitur in Metaphysicam, Physicam, (sub qua continetur Medicina) Moralem, et Scientias Mathematicas. Mathematicæ aliæ *puræ* dicuntur, quæ agunt de quantitate ab omni materia abstracta; aliæ *mixtæ*, quæ quantitatem concretam rei sensibilis considerant. Mathematica pura duplex est, Geometria, quæ considerat quantitatem continuam, et Arithmetica, quæ agit de numeris. Mathematicæ mixtæ quinque sunt; Musica, quæ considerat numerum in sonis; Astronomia, quæ mensurat quantitatem corporum et motuum cœlestium; Geometria specialiter dicta, quæ terram mensurat; Optica, quæ radios visuales considerat; et Mechanica, quæ vires et rationes machinarum, earumque proportiones expendit. Quæritur, quas ex illis Philosophia proprie complectatur?

CONCLUSIO

Philosophia adæquate dividitur in quatuor partes, Logicam, Physicam, Metaphysicam, et Ethicam, seu Moralem.

Hæc divisio magno consensu tum Recentiorum, tum Veterum recepta est; nam licet Platonici, teste Cicerone et S. Augustino, in tres tantum partes eam diviserint, *in dissercndi sub-*

tilitatem, in vitam atque mores, et in naturæ obscuritatem, rursus tamen hujus duas fecere partes, alteram, quæ naturæ Auctorem et res a sensibus remotas contemplaretur, alteram, quæ res sensibiles.

Probatur conclusio. Philosophia est cognitio rerum per causas altiores lumine naturali parta; sed inter cognitiones naturales, hæ tantum quatuor altiora rerum principia contemplantur; ergo sunt tantum hæ quatuor Philosophiæ partes. Declaratur minor. Logica in primis non nudas disserendi regulas tradit, sed profundiora et ultima principia, quibus omnis ratiocinatio nititur, investigat. Physica motuum et naturæ origines, ac primos fontes, quantum potest, scrutatur. Metaphysica circa res altissimas, Deum, Angelos, ac communissimas entis rationes occupatur. Moralis vero ultimum finem hominis et actionum ejus, proindeque causas earum altiores contemplatur. Porro aliæ scientiæ versantur circa res minutiores, quarum proxima tantum principia et causas afferunt, nihil excelsi et alti præterea tentantes.

Confirmatur. Philosophia est cognitio eorum, quæ nosse hominis perfectio exigit; est enim animi cultura et perfectio. Porro quatuor exigit hominis perfectio. Primo, ut sciat ratione sua bene uti. Secundo, ut hunc aspectabilem Mundum, cui contemplando factus est, et cujus pars est, non ignoret. Tertio, ut ex Mundi cognitione ad Dei, et rerum divinarum cognitionem assurgat. Quarto demum, ut recte vivere sciat. Si quid horum ignoret, sapiens et perfectus non censetur; si hæc novit, etsi cætera nesciat, ut curare morbos, metiri lineas et angulos, nihilominus sapiens et perfectus habebitur; atqui Logica docet modum recte utendi rationem; Physica Mundum; Metaphisica Mundi Auctorem et divinas res contemplatur; Moralis cognitionem recte vivendi tradit: ergo Philosophia quatuor his partibus omnino continetur.

Objicies. Sapientis est nihil ignorare, ignorantia enim Sapientiæ opponitur; sed Philosophia est Sapientia naturalis: ergo complectitur omnes scientias naturali lumine possibiles, Geometriam, Arithmeticam, Astronomiam, Musicam, Opticam, Mechanicam.

Resp. Distinguo maiorem. Sapientis est nihil ignorare, quod

necessarium sit ad perfecte, beateque vivendum, concedo; quod minus ad id pertineat, nego. Porro cognitio rerum Mathematicarum est, quæ ad bene, perfecteque vivendum parum conferat, unde ad Sapientiam non pertinet; suos tamen habet usus, præcipue ad artes; ideoque reipublicæ expedit, ut ab aliquibus excolatur, imo forte non abs re foret, ut juvenes ante Philosophiæ studium ea tantisper imbuerentur; evidentia enim sua Mathematicæ mentem alliciunt, et figunt, eam veritatis avidam efficiunt, atque extendunt. Cavendum tamen, ne profundius illis immersa ad alia emergere dedignetur; nam quæ res a nobiliorum cognitione retrahunt, melius est ignorare, juxta illud Taciti, *Nescire quædam, magna pars Sapientiæ.*

Quæritur, an prædictæ quatuor facultates sint partes integrantes Philosophiæ, vel potius ejus species.

Respondeo, Philosophiam nonnunquam sumi collective, pro complexione omnium facultatum ad recte vivendum necessariarum: hoc modo hæ facultates ad ejus integritatem pertinent; nec enim perfectus Philosophus est, qui aliqua caret; at si sumatur præcise pro Sapientia in genere, sunt ejus species; quælibet enim est cognitio rei per causas altiores, atque adeo seorsum ab aliis est essentialiter sapientia.

ARTICULUS QUARTUS

QUALIS SIT PHILOSOPHIA

Hæc quæstio plura comprehendit. Primo, *an sit necessaria.* Verum esse necessariam in ejus commendatione ostendimus, immo ex jam data ejus notione sequitur; perficit enim hominis mentem circa cognitionem veritatis, et actionem virtutis. At, inquies, male igitur se habebunt tot homines, qui nec eam degustarunt. Respondeo, in Christianis fidem supplere hunc defectum; ea enim compendio complectitur veritates capitaliter necessarias ad recte vivendum circa Deum, circa amores, circa Mundum ipsum. Deinde rudes possunt a Sapientibus instrui de veritatibus necessariis, quantum satis est, atque ab illis dirigi: itaque ut corpori necesse est habere oculos, at non ut singula membra sint o-

culi, ita generi humano, ut sint aliqui Sapientes, ex quibus ad alios lumen, aut directio scientiæ derivet, at non ut omnes sint Philosophi.

Secundo, *an Philosophia sit perfecta.* Verum non esse omnibus suis numeris absolutam constat, præcipue Physicam; nam Logica, Moralis, et Metaphysica satis bene se habere videntur, saltem pro humanæ mentis modulo; at Physica sufficientibus naturæ observationibus et experimentis destituta jacet longe infra suæ perfectionis apicem; nam etsi plura sint in naturæ sinu ita profunde abdita, ut nulla arte erui valeant, at plurima latent, quæ tamen inveniri possent, si industrie ac perseveranter quæ-rerentur; imo si vel eorum, quæ in variis Mundi partibus observari facile queunt, fidam et exactam historiam haberemus, qua veluti positiva quadam naturali doctrina speculationes Physicæ niti possent; illa vero historia nobis deest, aut certe admodum imperfectam habemus. Hanc quidem provinciam non exiguo fructu plerique nostro seculo eximii viri, quorum inventis in decursu operis grati utemur, suscepere; sed optanda conatui perfectio; neque enim tam cito, aut a tam paucis tantum opus perfici potest.

Tertio quæri potest, *an Philosophia sit speculativa, vel practica.* Verum constat, utrumque non simul, sed secundum diversas sui partes complecti. Concedunt omnes, Moralem esse practicam, Metaphysicam et Physicam esse speculativas, at de Logica ambigitur: id suo loco discutietur.

Quarto, *an Philosophia sit dignior et certior aliis naturalibus scientiis?* Esse digniorem constat, quia hominem ad rerum nobiliorum cognitionem evehit, atque præ cæteris perficit circa ea, in quibus naturalis felicitas posita est. Verum quoad certitudinem et evidentiam, major esse videtur in Mathematicis; versantur enim circa principia et objecta facilia, quæ homo comprehendit; at Philosophiæ res ob sui præstantiam non ita a nobis comprehendi possunt, unde, saltem quoad nos, minus certa est et evidens, quamvis in ea bene multa sint æque certa et evidentia, ac in Mathematicis: sed de natura Philosophiæ hactenus.

QUÆSTIO SECUNDA

De Causis Philosophiæ.

Cum aliarum rerum causas Philosophia investiget, suas ipsam ignorare turpe foret. Porro in genere causæ quatuor sunt; finalis, efficiens, formalis et materialis. Quomodo se habeant ad Philosophiam, tribus articulis expendemus, quibus quartum adjiciemus de variis Philosophorum Sectis.

ARTICULUS PRIMUS

DE CAUSA FINALI PHILOSOPHIÆ

Finis est, propter quem aliquid fit.' Duplex est: finis *qui*, seu cujus gratia; et finis *cui*. Finis cujus gratia est *bonum*, *quod intenditur*; Finis cui *est persona*, *cui bonum illud intenditur*, sic finis cujus gratia parandi remedii est sanitas; finis cui est homo, cui sanitas procuratur. Rursus finis *qui* alius est *proximus*, qui immediate intenditur; alius *remotus*, ad quem per istum tenditur.

CONCLUSIO

Finis *cui* Philosophiæ *est homo;* Finis cujus gratia proximus *est cognitio veritatis*, *et actio virtutis;* Finis remotus *est beatitudo naturalis;* Finis ultimus *est Deus.*

Probatur prima pars. Homo est, in cujus commodum omnis utilitas Philosophiæ tendit: ergo est finis *cui* illius.

Probatur secunda pars. Finis cujus gratia proximus est bonum illud, quod in opere primo quæritur; atqui philosophamur, ut veritatem in rebus cognoscamus, et ut honeste vivere sciamus: ergo cognitio veritatis et actio virtutis est proximus finis Philosophiæ, hæc quidem Moralis, illa vero aliarum Philosophiæ partium.

Dices. Plerique philosophantur lucri gratia, quidam vanæ gloriæ, alii ob aliud: ergo non ille, quem diximus, sed vagus quidam est philosophiæ finis, puta hominis commodum.

Resp. Distinguo consequens. Cognitio veritatis non est finis *operis* hujus, nego; *operantis*, concedo. Philosophia ex se ordinatur ad cognitionem, et virtutem; hic proinde fixus et immobilis est finis operis; at operans, seu qui incumbit Philosophiæ, hunc finem sæpe minus attendit, et ad alios opus illud destinat, qui proinde *operantis* fines dici debent, non operis.

Probatur tertia pars. Felicitas naturalis sita est in perfecta conjunctione mentis ad Deum cognitum et amatum, quantum naturaliter potest; atqui Philosophia cætera contemplatur, et actiones hominis dirigit, ut eum in cognitionem et amorem Dei promoveat; ergo hæc felicitas est finis *remotus* philosophiæ.

Ex quo probatur quarta pars: Nam cum omnis philosophiæ conatus ad Deum ultimo terminetur, is jure dicitur *ultimus* ejus finis.

Dices. Non is philosophiæ finis remotus est, quem homo per eam non acquirit; sed homo per philosophiam non fit beatus naturali beatitudine: ergo hæc beatitudo non est ejus finis. Probatur minor. Beatus non est, qui pravus est et passionibus obnoxius; atqui summos Philosophos plerumque ut alios, pravos et passionibus deditos videre est: ergo philosophia non eos efficit beatos.

Resp. Nego minorem. Ad probationem distinguo minorem. Philosophi plerumque, ut alii, pravi sunt et passionibus dediti, cum secundum philosophiæ lumen vivunt, nego; sin minus, concedo. At philosophiæ culpa non est, quæ bonum satis monstrat; sed hominis ejus doctrina non utentis.

Instabis. Ex ipsa luce philosophiæ potius augetur culpa hominis, unde Apostolus ad Rom. 1. inexcusabiles dicit Philosophos ex eo, quod Deum cognovissent per philosophiam: ergo potius auget miseriam hominis, quam eum felicem efficiat.

Resp. Distinguo antecedens. Augetur per philosophiam culpa hominis *per se*, ut principio peccandi, nego; *per accidens* ex prava dispositione hominis, concedo. Vera philosophia omne malum reprobat, ejusque fœditatem detegit: si homo ea luce perfusus nihilominus male agit, pejor est, non quia mala est philosophia, sed quia major est malitia hominis scientis bonum, et facientis malum.

Urgebis. Si philosophia nos beatos efficit, evacuatur Sapientia Crucis, eique subrogatur Sapientia Mundi.

Resp. Philosophiam non conferre beatitudinem, etiam naturalem, nisi accedat gratia Christi, non defectu sui, sed defectu subjecti ea facile abutentis, nisi sanetur a peccato per Christum; ut optimi cibi non nutriunt ægrum. Itaque fatemur, esse necessariam gratiam Christi, ut ea homo sanatus non solum ad supernaturalem felicitatem tendat, sed etiam lumine philosophiæ recte utens, in contemplatione Dei et operum ejus delectatus, secundum naturam felicius vivat.

ARTICULUS SECUNDUS

DE CAUSA EFFICIENTI PHILOSOPHIÆ

Causa efficiens est, *a qua* res producitur; alia est prima, a qua res *primo* producitur; alia *secunda*, quæ rem productam vel collapsam reparat, vel propagatione extendit.

PRIMA CONCLUSIO

Deus fuit prima causa efficiens Philosophiæ, a quo primus homo eam sibi infusam habuit.

Conclusio habetur ex Scriptura, Ecclesiastici 17. ubi de primis parentibus dicitur: *Deus cor dedit illis excogitandi, et disciplina intellectus implevit illos. Creavit illis Sapientiam spiritus, et sensu implevit cor eorum, et bona et mala ostendit illis;* unde Genes. c. 2. Adamus singulis animantibus propria nomina imposuisse dicitur, quod sane Sapientis est, et res cognoscentis.

Probatur ratione. Deus creavit Adamum perfectum, ut esset principium aliorum hominum, tam secundum carnem gignendo, quam secundum mentem instruendo, et gubernando; atqui philosophia pertinet ad perfectionem mentis humanæ, ut patet ex dictis: ergo sicut statim creatus est perfectus secundum carnem, ut posset alios gignere, ita et perfectus secundum mentem per scientiam philosophiæ, et alias homini convenientes, ut posset statim filios instruere, et gubernare. Ratio est S. Thomæ 1. p. q. 94. art. 3.

Objicies 1. Adamus habuit eandem specie scientiam, quam aliis impertiri debebat; sed philosophia infusa a Deo non est eadem specie cum philosophia aliorum: ergo talem non habuit, sed eam studio acquirere debuit.

Resp. Distinguo minorem. Philosophia infusa non est ejusdem speciei, quo ad *substantiam*, nego; quo ad *modum* habendi, concedo; ut enim corpus Adami, licet alio modo productum a Deo, fuit ejusdem speciei cum nostris, ita et philosophia ei statim infusa fuit ejusdem speciei cum ea, quam filios docuit, solo habendi modo diversa.

Instabis. Omnis peccans est ignorans; sed Adam peccavit: ergo ignorans fuit, nec proinde scientiam infusam habuit.

Resp. Distinguo Majorem. Est ignorans *habitu* semper, nego; in *actu*, concedo: id est, non utitur hic et nunc sua scientia. Sic ergo Adam peccavit, non quod scientiam recti non haberet, sed quia ea usus non est, voluntate peccati objecto illecta intellectum avertente, ne consideraret regulam recti, quam probe noverat.

Urgebis. Primi parentes peccarunt desiderio scientiæ, ut essent *sicut Dii*, *scientes bonum et malum*, Gen. 3. ergo eam non habebant.

Respondeo, non peccasse desiderio scientiæ naturalis, sed cujusdam excellentioris supra humanam conditionem positæ.

Dices. Qui decipitur, aut nullam, aut modicam habet scientiam; sed primi parentes a Serpente seducti sunt: ergo nullam, aut modicam habebant scientiam.

Resp. Distinguo Majorem. Qui decipitur *invitus*, concedo; qui *volens* decipitur, nego: deceptio ergo illa fuit non ex infirmitate intellectus, sed ex culpa et malitia voluntatis jam per superbiam corruptæ. Ut cum Salomon a mulieribus seductus est, ut idola coleret, satis sciebat id malum et prohibitum, sed amore profano voluntas corrupta scientiam deseruit.

Reponès. Si primi parentes tanta pollebant sapientia, mirum, quod adeo stulte egerint, ut ob pomi esum præceptum Dei violarent, et ejus iram, atque tot mala tam exiguæ rei cupiditate incurrerent.

Resp. Distinguo antecedens. Si in vera Sapientia perseveras-

sent, concedo; postquam per superbiam a Deo Sapientiæ fonte desciverunt, nego. Non enim pomi aviditate primo peccarunt, sed superba elatione (quæ tentatio Sapientiores acrius infestat) a Deo deficientes in hanc stultitiam prolapsi sunt, quod minime mirandum, sed magnopere cavendum.

Replicabis. Nemo Philosophus putaverit, serpentes loqui; sed videtur mulier existimasse, serpentem loqui; ergo erat expers philosophiæ.

Resp. Distinguo Majorem. Serpentes loqui propria natura, concedo; ut superioris naturæ organa, nego. Putavit itaque mulier, quod reipsa erat, Spiritum loqui per serpentem, nec in hoc decepta est, sed ei adhærendo.

Addes tandem. Post peccatum aperti sunt oculi Adami et Evæ, id est, cognitionem, qua carebant, adepti sunt; ergo antea erant simplices et ignari.

Resp. Apertos esse eorum oculos non scientia alicujus veri de novo addita, sed experientia mali, quod in se cœperunt persentire rebellione carnis contra mentem, qua etiam erubuerunt.

SECUNDA CONCLUSIO

Collapsa paullatim Philosophia variis seculis ab hominibus reparata est, quos ut causas efficientes secundarias habuit.

Enim vero prima illa philosophia non perenni fluxu ab Adamo ad posteros manavit; negligentia hominum paullatim excidit, vix ejus quædam semina inter homines tandem mansere, quæ variis temporibus foverunt quidam eximii viri, atque proprio studio promovere. Ad id excitati sunt operum naturæ admiratione, quæ est attenta contemplatio eximii effectus, excitans desiderium cognoscendæ ejus causæ; profecere vero experientia et observationibus variis, quibus prima scientiæ rudimenta contexuerunt, et quæsitis undequaque aliorum cognitionibus ad justam scientiæ formam perduxere, quam deinceps posteri excoluerunt, atque auxerunt, quæ res quomodo se habuerit, postea narrabimus.

Itaque homo ipse est causa secunda efficiens philosophiæ; idque duplici via: *Inventione*, veritates ad philosophiam spectan-

tes proprio marte investigando, quod paucis eximiis viris contingit; et *Disciplina*, quæ ab aliis inventa sunt addiscendo, quod facilius et pluribus concessum. Porro utrumque fit per discursum a principiis ad conclusiones deveniendo; unde discursus, ut omnis habitus scientifici, ita et philosophiæ causa effectrix dici potest, seu potius homo per discursum.

ARTICULUS TERTIUS

DE CAUSA FORMALI ET MATERIALI PHILOSOPHIÆ

Causa formalis est, *quæ dat esse rei*, id est, *eam intrinsece determinat ad proprium essendi modum*. Proprie locum habet in rebus compositis ex aliqua parte indifferenti ad plures essendi modos, et ex alia, quæ hanc determinat ad certum essendi modum; ut dispositio artificiosa determinat ligna et lapides ad modum ædificii. Philosophia vero est qualitas simplex, unde non habet proprie causam formalem, sed ipsa est forma quædam constituens hominem in ratione Philosophi; attamen lato modo ejus differentia dici potest illius forma, quatenus vagum scientiæ genus ad certum scientiæ modum determinat.

Causa materialis scientiæ triplex est; *Subjectum* in quo recipitur, et ex quo educitur; *Objectum*, circa quod versatur; *Partes*, ex quibus componitur.

Quoad subjectum, in quo recipitur et ex quo educitur philosophia, aliud non est, quam ipsa mens hominis; in mente enim residet, atque ex ea veluti extrahitur per studium et discursum.

Denominat tamen totum hominem philosophum, quia persona denominatur ab iis formis, quæ aliquam ejus partem, aut potentiam proxime afficiunt, ut a capillis crispis homo crispus dicitur, et a justitia in voluntate residente justus; unde totus homo est subjectum *quod*, seu denominationis philosophiæ.

Quoad objectum philosophiæ; qui omnes scientias naturales philosophia comprehendi volunt, ei consequenter pro objecto assignant omne scibile naturaliter; at cum ostenderimus, philosophiam proprie eas solum complecti scientias naturales, quæ

per altiora principia res cognoscunt, ejus *objectum* est omne scibile naturaliter per altiores causas.

Dices. Ex Aristotele 4. Metaph. cap. 2. Philosophi est de omnibus speculari: ergo omne scibile est objectum philosophiæ.

Resp. Distinguo Antecedens. Philosophi est de omnibus speculari, quo ad omnem modum scibilitatis, nego: quatenus in omnibus causas altiores scrutatur, concedo. Philosophia enim omnium naturalium causas altiores investigat, etiam objectorum aliarum scientiarum, ut naturam et causas quantitatis, quæ est objectum Mathematicarum, inquirit; at non descendit ad minutiora, id inferioribus scientiis relinquit.

Quoad partes, ex quibus philosophia constat, jam diximus, perfectum philosophiæ corpus constare ex quatuor facultatibus, *Logica*, *Physica*, *Morali*, *Metaphysica*, quæ sunt veluti partes ejus collective sumptæ.

ARTICULUS QUARTUS

DE VARIIS PHILOSOPHORUM SECTIS

Philosophia, ut se habuerit ante diluvium, prorsus ignoratur. Solum ex Josepho lib. 1, c. 3. Antiq. habemus, a posteris Adami scientiarum principia duabus columnis fuisse consignata, quarum ruinas suo tempore adhuc superstites fuisse testatur; at quid illis contineretur, nullus refert. Post diluvium scientias præcipue coluere Chaldæi, et ex illis orti Hebræi, a quibus in alias identidem nationes manaverunt. Hinc apud Persas Magi, apud Indos Gymnosophistæ, apud Gallos Druidæ; sed præcipue floruit studium philosophiæ apud Phœnices et Ægyptios, qui eam ab Abrahamo didicisse feruntur. Sed quæ fuerint apud eas nationes in philosophia sectæ, admodum obscurum est. Ab illis migravit ad Græcos, quorum cum notior sit historia, dicendum primo in universum, uti apud eos philosophia se habuerit; tum vero, quæ fuerint ejus præcipuæ sectæ.

Qui primi Græcorum philosophiam coluere, eam carminibus atque fabularum involucris, ne vulgata vilior fieret, consignarunt. Horum antiquissimi ante Trojanum excidium Musæus et Li-

nus, a quo eruditi fuere Hercules et Orpheus insignis ille Poeta. Subsecuti sunt centum annis ante, quam Olympiades numerari cœpissent, Homerus et Hesiodus, quorum fabulis omnem naturæ et morum scientiam contineri Veteres existimarunt.

Olympiade circiter quinquagesima emersit Sapientium cohors, inter quos septem præcipue celebres fuere, Thales Milesius, Bias Prienæus, Pittacus Mitylenæus, Solon Atheniensis, Cleobulus Lydius, Chilo Lacedæmonius, Periander Corinthius; quanquam in illo celebri grege, loco trium posteriorum, ab aliquibus recenseantur Anacharsis Scytha, Epimenides Cretensis, Leophantus Ephesius. Alii addunt Pherecydem Pythagoræ præceptorem; nam plures quam septem plerique numerant; at septenarius ille numerus vulgo retinetur. Verum ex his Thales et Pherecydes naturalem philosophiam soli coluisse videntur, cæteri moribus ac politicæ addicti potius fuisse.

Ab his duobus ortæ Græcorum Scholæ in varias sectas abierunt, quæ omnes tribus veluti generibus continebantur; *Dogmatistarum*, qui pleraque *certa* in philosophia statuebant, ut Peripatetici, Stoici, Epicurei; *Acatalepticorum*, quasi incomprehensivorum, qui nihil *certo* comprehendi ac sciri posse contendebant, ut Academici; *Scepticorum*, quasi Consideratorum, qui se quidem nihil *certo* tenere, sed omnia considerare profitebantur; non negabant tamen, aliquid sciri posse: sed de singularum sectarum, quæ sub his generibus continebantur, origine et progressu specialius dicendum.

Duæ præcipue fuere apud Græcos sectarum familiæ a locis, in quibus ortæ sunt, ac primum floruerunt nuncupatæ, *Jonica* scilicet et *Italica*.

Jonicæ auctor fuit Thales Milesius, cui Olympiade quinquagesima octava mortuo successit Anaximander Milesius; huic Anaximenes itidem Milesius, isti Anaxagoras Clazomenius, qui, amplo patrimonio abdicato, Philosophiam tanto ardore coluit ut nec publicis, nec privatis negotiis tangeretur; atque cuidam ob id eum ita objurganti, *Nullane tibi patriæ cura est?* responderit, cœlum digito commonstrans, *Mihi vero patriæ cura, et quidem summa est.* Hic primus ex Jonia philosophiam Athenas traduxit, ubi auditorem habuit Archelaum præceptorem Socratis,

ex cujus Schola circa Olympiadem nonagesimam quintam, qua ipse obiit, prodiere tres propriarum sectarum principes, Plato, Antisthenes et Aristippus.

Plato in Academia, loco nemoroso prope Athenas, sic dicto ab Academo viro illustri, docere cœpit, unde secta ejus *Academica* dicta, Aristotelemque auditorem habuit, qui ab eo separatus propriam, eamque illustrissimam sectam instituit, *Peripateticam* dictam, quod in Lycæo perambulando doceret. Platoni Speusippus successit in Academia, postea Xenocrates Chalcedonius, Polæmon, Crates Atheniensis, et Crantor Solensis. Hi fuere Academiæ veteris magistri; nam subsecutus Arcesilaus recentioris Academiæ auctor fuit, novo inducto dogmate, nihil scilicet certum esse, sed omnia incomprehensibilia; quam sectam Carneades postea temperavit, aliqua aliis saltem verisimiliora statuens.

Antisthenes sectam *Cynicam* instituit, quasi *caninam*. Hoc nomen ei inditum vel a loco, in quo docebat, Cynosarge dicto, vel a canina mordacitate, quod acrius ac sine discrimine omnium vitam carperet, vel ob impudentiam, quod ea, quæ pudor occultari compellit, canum morem palam agerent hujus sectæ professores. Antistheni successit Diogenes speciatim Canis dictus, atque gr. Emerbois, quod in diem sine cura viveret, palliolo, pera, baculo, atque loco domus dolio contentus, divitias, honores, delicias contemnens: huic Crates Thebanus successit.

Zeno Cittiensis Cratem cum audiret, offensus cynica illa impudentia, deseruit Cynicos, atque per aliquod tempus Xenocratem Platonicum audivit; deinde auctor fuit Sectæ Stoicæ, a Stoa, id est, porticu, in qua docebat, sic dictæ. Retinuit Cynicorum severitatem, divitiarum, voluptatis et honorum contemptum, atque summum bonum in virtute ab omni passionum perturbatione tuta reposuit. Adjecit Physicæ, ac Dialecticæ cognitionem a Cynicis fere neglectam. Huic successit Cleanthes, deinde Chrysippus.

Aristippus Cyrenaicus sectam instituit, quæ summum bonum in corporis voluptate reponebat; ab ejus patria *Cyrenaicam* dictam. Ob belluinum dogma ignobilis habita semper fuit, atque humi repens nihil in scientiis nobile et excelsum produxit. Et quidem hæ fuere Jonicæ Sectæ propagines.

Italicæ sectæ auctor fuit Pythagoras Samius, Pherecydis auditor. Italica dicta est, quod docuerit ejus auctor in ea Italiæ parte, quæ nunc Calabria dicitur, olim Magna Græcia. Hujus illustres discipuli Charondas, Zaleucus, Zamolxis, Epimenides, Epicharmus, Philolaus Crotoniata, Archytas Tarentinus; quorum plerique leges optimas civitatibus dedere. At Scholæ Telanges filius patri successit: huic Xenophanes Colophonius; isti Parmenides et Zeno, cui Dialecticæ inventio tribuitur, uterque ex Elea civitate Lucaniæ oriundus. Zenoni successit Leucippus, qui primus *Atomos* et *Inane* rerum principia posuit. Leucippo Democritus Abderites et ipse Atomorum defensor, cui *Gelasini* nomen inditum, quod omnia humana derideret, uti Heraclitus deflebat. Zenoni successit Metrodorus Chius; huic Diogenes Smyrnæus; isti Anaxarchus Abderites, quo de pluralitate Mundorum disserente illacrymatus fertur Alexander Magnus, conquerens, se nec unius esse dominum. Anaxarcho successit Pyrrho Eliensis, cujus non tam in propaganda priorum sectam, quam in omnibus sectis evertendis studium incubuit; negavit enim, verum et certum aliquid esse inventum, attamen inveniri posse non est inficiatus, ut Academici; atque adeo dixit, gnaviter insistendum esse considerationi et inquisitioni rerum, unde ejus sectatores *Sceptici* dicti, id est, consideratores. Pyrrhoni successit Nausiphanes, cujus auditor Epicurus *Atomos* et *Inane* Leucipi restituit, Sectæque Epicureæ nomen dedit circa Olympiadem centesimam vigesimam septimam, qua obiit.

Et quidem Sectæ Philosophorum ita se habuere apud Græcos, a quibus ad alias gentes manarunt. Verum, aliis fere extinctis, sola Peripatetica nunc vulgo floret, præcipue postquam a S. Thoma fuit illustrata, atque sacræ doctrinæ amico fœdere sociata.

PRIMA PARS
PHILOSOPHIAE

QUÆ LOGICA, SEU DIALECTICA NUNCUPATUR.

Logica Græce idem est, ac *Rationalis* Latine: Dialectica vero idem, ac *Disputativa.* Utroque nomine dicitur ea Philosophiæ pars, quæ Mentem, seu Rationem dirigit in cognitionem veritatis. Dicitur etiam Organum, seu Instrumentum, quia illa utimur in aliis scientiis acquirendis. Primo loco tradi solet, quia priusquam in rebus ipsis veritatem inquiramus, modum inquirendi scire oportet. Hujus facultatis quanta sit dignitas, ac necessitas ex ipso nomine, ac fine patet: nam ut nobis nihil est mente dignius, nihil menti magis necessarium, quam veritatis cognitio, ita nihil præstantius, ac utilius ea facultate, quæ mentem dirigit in cognitionem veritatis, adeo ut non immerito ei conveniat ea Petri Hispani magnifica definitio, aut potius elogium: *Ars Artium*, *Scientia Scientiarum*, ad omnium methodorum principia viam habens. Porro Logica, ut nunc in Scholis traditur, duo continet, *Præcepta*, et *Quæstiones*: si hæc utraque miscerentur, periculum foret, ne quæstionibus præcepta obruerentur, atque confunderentur; itaque primo, ac seorsum præcepta diligenter trademus, non omissis iis, quæ circa illa tractari vulgo solent, nisi quæ omnino inutilia visa sunt; ac insuper adjunctis aliis, quæ vulgo prætermissa, potissima tamen censuimus ad mentem in cognitione rerum dirigendam; deinde vero quæstiones discutiemus. Prior Tractatus inscribitur a nobis *Logica minor*, non usu et necessitate, (nam eo modo præcipua censenda est, atque attente addiscenda, et identidem relegenda) sed mole; alter vero inscribitur *Logica major*, quod fusius quæstiones Logicales in ea discutiantur.

LOGICA MINOR

PRÆCEPTA ET MODUM MENTIS IN COGNITIONEM VERITATIS DIRIGENDÆ COMPLECTENS.

Omnis humana cognitio tribus mentis operationibus omnino continetur, *Apprehensione*, *Judicio*, *et Discursu*. Primo enim rem propositam nudo quodam mentis intuitu percipimus, *quid ipsa sit* attendendo. Secundo de rebus perceptis invicem comparatis judicamus, *affirmando*, aut *negando*, ita se habere, ut proponuntur. Tertio ex uno, aut multis judiciis aliud cum ipsis *connexum* deducimus. Ut, cum primum aciem mentis in hoc Universum conjicio, video in eo terram, animalia, plantas, cœlum, solem, stellas, etc. nihil de illis rebus judicando, sed unamquamque simplici quodam aspectu mentis intuendo. Deinde perceptas mente ex his ideas invicem comparans, ut ideam animalis cum idea plantæ, aut hominis, judico *Animal non esse plantam*, *Hominem vero esse quoddam animal*. Tertio ex eo judicio aliud ita infero, *Homo est animal: ergo aliquid habet commune cum Leone et Equo*. Apprehensio itaque est actus mentis, quo res percipitur, nihil de illis *affirmando* aut *negando*, sed eas propriis ideis exprimendo, quæ *Termini* dicuntur. Judicium est actus mentis, quo unum de alio affirmatur, aut negatur, quæ affirmatio, aut negatio *propositione* exprimitur. Discursus demum est actus mentis, quo *ex uno judicio aliud cum eo connexum elicitur*, quæ illatio, *Argumentatio* vocatur.

Quidam addunt quartam mentis operationem, qua res perceptas ordinamus, quæ *Methodus* dicitur; verum hæc ad prædictas reducitur, nempe ad *Apprehensionem* et *Judicium*; prima enim mentis operatio non solum res percipit, sed etiam varios inter illas ordines excogitat. Ex illis ordinibus secunda mentis operatio judicat, quis sit aptior ad aliquid investigandum, aut explicandum, eumque seligit: is ordo *Methodus* dicitur.

Itaque cum Logicæ cura sit mentem dirigere in cognitionem veritatis, id plene perficiemus, si docuerimus *integre*, *clare*, *et distincte percipere*, *vere judicare*, *recte discurrere;* unde Logicam istam præceptivam in tres partes dividemus.

Prima pars erit de *Apprehensione*, ac *Terminis*, quibus perceptiones nostras exprimimus.

Secunda de *Judicio*, ac *Propositionibus*, quibus nostra judicia enuntiamus.

Tertia de *Discursu*, seu de *Argumentatione*, qua unum ex alio inferimus.

His addemus appendicem de *Methodo*, quæ, ut dixi, mixta quædam est mentis operatio ex *Apprehensione* et *Judicio*.

PRIMA PARS

DE APPREHENSIONE ET TERMINIS.

Hæc prima operatio mentis præcipui momenti est, cum illa ut fundamento nitatur omnis nostra cognitio; nam nisi recte terminos perceperis, de propositione judicium certum ferre non poteris, nec proinde ex uno judicio aliud discurrendo evidenter deducere. Accuratius itaque pertractanda nobis est, quod ut ordine fiat, primo de *Terminis*, circa quos hæc prima operatio versatur, agemus; deinde de recta Terminorum *perceptione*.

QUÆSTIO PRIMA

De Termino.

Circa Terminum quæri potest, primo *quid sit:* 2. *Quotuplex sit*: 3. Quæ sint ejus *proprietates*. Verum quia Termini universales in scientiis præcipui usus sunt, 4. dicemus de *universalitate* terminorum: 5. demum de *coordinatione* omnium terminorum sub decem classibus, quæ *prædicamenta*, seu categoriæ dicuntur.

ARTICULUS PRIMUS

QUID SIT TERMINUS

Aristoteles definit Terminum, id, *in quod resolvitur propositio tanquam in prædicatum, aut subjectum;* omnis enim propositio constat *terminis* ut partibus, *copula* quadam junctis, proindeque in illos solvitur: ut hæc, *Deus est amandus*, duabus partibus constat, quæ verbo uniuntur. Hæc *copula* non est terminus, sed *nexus* terminorum.

Occasione hujus definitionis quæri solet, *an sit de essentia termini, ut actu sit in propositione?* Sed res tanti non est, ut

nos detineat. Satis est ad rationem termini, ut dicat ordinem ad propositionem; nam pars dicitur in ordine ad totum. Itaque terminus dicitur non solum ex eo, quod actu componat propositionem, sed etiam cum a Logicis consideratur in ordine ad illam; unde prima Logicæ pars inscribitur *De terminis*, licet eos non spectet, ut sunt in propositione, de qua non agit, sed solum in ordine ad propositionem: sed ad ulteriora pergamus.

Hæc Aristotelis definitio solum explicat terminum in ordine ad secundam mentis operationem; unde aliter definitur in ordine ad primam. Terminus *est signum rei, simplici Apprehensione perceptæ.* (1) Porro signum illud considerari potest vel interius in mente, vel exterius ut nota aliqua sensibus manifestatum, puta, voce, aut scriptura; hinc triplex est terminus, *Mentalis, Vocalis*, *Scriptus*, de quibus sigillatim dicendum est, sed prius de signo ipso aliquid præmittendum.

§. I.

Quid et quotuplex sit Signum

Signum definitur, *Quod potentiæ cognoscitivæ aliud a se*

---

(1) Terminus *idem sonat, ac* limes *sive* extremum, *quo unius cujusque rei natura, vel etiam potentia, aut operatio circumscribitur, et veluti coarctatur. Quod nomen a sensilibus sumptum, congruenter ad significandum animi nostri operationes, per quandam similitudinem traslatum est. Itaque apud physicos, id a quo incipit quicumque motus* terminus a quo, *in quod vero desinit,* terminus ad quem *appellatur. Non absimiliter tum Intellectus tum Voluntatis actus, et operationes motus quidam dicuntur, quorum termini sunt objecta, seu res perceptæ, vel etiam volitæ, quæ utriusque actionem finiunt, ac circumscribunt. Atque hinc terminus prout ad primam mentis operationem spectat lato sensu, et* secundum quod absolute significat simplices intellectus, simplex etiam dictio a *S. Thom. 1. Perih. lect. 1. vocatur: licet apud Theologos strictiori sensu, pro* dictione, *sive collocutione intellectuali sumatur, qua mens nostra sine ulla sensibili vocis emissione, ex habita rei notitia secum ipsa* loquitur, *efformans id, quod* Verbum mentis *passim vocitatur. N. E.*

repræsentat. Hæc repræsentatio duobus modis fieri potest. Primo per modum similitudinis, ut imago hominis repræsentat eum, quia illi similis est. Secundo per modum indicationis, in quantum ex uno cognito, licet dissimili, ducimur in alterius cognitionem, propter utriusque connexionem; ut ex fumo cognoscimus ignem. Hinc duplex signum, *formale et instrumentale;* Signum formale est *ipsa rei similitudo.* Signum instrumentale definitur ex S. Augustino lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 1. *Id, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire.*

Signum instrumentale dividitur in *naturale et arbitrarium;* repræsentat enim non ratione similitudinis, sed connexionis, quæ potest esse vel ex natura rei, vel ex instituto hominum. Signum naturale est, quod *aliud a se repræsentat ex naturali connexione:* sic fumus ignem repræsentat, aurora diem, ritus lætitiam, gemitus dolorem. Signum arbitrarium est, quod aliud a se repræsentat *ex usu et instituto hominum cum eo connexum:* sic hedera significat venale vinum, mappa mensæ imposita prandium, calculus certam pecuniæ summam.

§. II.

Quid sit Terminus mentalis

Terminus mentalis est *signum formale rei mente perceptæ.* Dicitur *signum*, quia rem menti repræsentat. Dicitur *formale*, quia est ipsa rei similitudo. Dicitur *rei mente perceptæ*, ut distinguatur ab impressionibus sensuum, quæ etsi dici possint objectorum similitudines, non tamen termini dicuntur a Logicis, qui de sola mentis cognitione agunt.

Verum, ut hæc distinctio terminorum mentalium ab imaginibus sensuum melius capiatur, tantisper dicendum de modo, quo mens humana res percipit. Objecta externa primum sensus externos percellunt; hæc impressio a sensu externo ad phantasiam progrediens in ea rerum simulacra perfectiora excitat, (*Phantasmata* dicuntur) quæ in ea collecta diu manent, etiam remotis objectis et cessante sensus externi functione; horum ope

res sensu perceptas, licet absentes, nobis repræsentamus, sonos, odores, figuras, colores, lineamenta, eaque quasi coram posita, imaginatione percipimus. Mens illis motibus imaginationis provocata ob ejus cum corpore unionem, rebus imaginatione repræsentatis attendit, atque eas suo modo percipit per similitudines longe nobiliores, quas ex illis simulacris elicit, juxta Peripateticos; vel quibus ab initio sibi infusis attendere incipit, ut censent Platonici; id enim perinde est quoad præsens. Verum quia mens altiore, latioreque, quam sensus, luce pollet, in ipsis sensilibus imaginatione perceptis longe plura, quam illa percipit, eaque propriis notitiis distinguit: ut cum mundum imaginatione percipio, non solum mente percipio, quidquid illa percipit, sed infinita, quæ eam fugiunt, ut partium symetriam, numerum et numerorum rationes varias, ordinem, connexionem, dependentiam, rationem effectus, causæ, medii, finis, entis, substantiæ, accidentis, necessitatis, contingentiæ, etc. quorum omnium distinctas notiones habet mens, quas rursus conjungendo, dividendo, invicem, aut cum seipsa comparando, innumeras alias notiones sibi comparat, et ad rerum spiritualium perceptionem assurgit, Dei, Angelorum, virtutum, vitiorum, veritatis, falsitatis, boni, mali, etc. quæ imaginatione minime percipiuntur, sed mente sola.

Hæ similitudines a simulacris imaginationis natura et numero longe diversæ, dicuntur *Species intelligibiles*, *Ideæ*, *Rationes rerum*, *Notiones*, *Conceptus*, *Notitiæ*; specialiter autem a Logicis *Termini mentales*, quatenus sunt prima propositionum, et syllogismorum mentalium elementa, ex quibus constat, et in quæ resolutio eorum terminatur.

§. III.

De Termino vocali, et scripto

Societas humana vincitur, atque perficitur communicatione cogitationum. Cogitatio quamdiu intus manet, aliis non communicatur; itaque necessarium fuit alligare conceptus internos signis externis, quibus ut instrumentis manifestarentur. Inter ea

signa *vox* primum locum obtinet, quia maxime ad id commoda; semper enim præsto est, facile formatur, infinitis modis variatur; hinc communi et perpetuo usu apud quosvis populos certæ ideæ certis vocibus ita illigatæ sunt, ut iis auditis mens usu ad id facta, statim ad ideas illas attendat; immo ideam vocis et rei per eam significatæ ita conjunctam habet, ut etiam dum intra se discurrit, ipsis ideis vocum sæpe utatur, loco idearum rerum.

Terminus itaque vocalis est *Vox ad placitum significativa termini mentalis. Vox* dicitur, id est, *sonus hominis ore per instrumenta naturalia prolatus.* Additur *significativa termini mentalis*, quia in eo proprie posita est ejus ratio, ut sit signum termini mentalis. Porro hæc significatio non est a natura ipsa vocis, sed ex usu et instituto hominum; nam vox ex se hunc potius, quam alium terminum mentalem non significat.

Inde colliges, terminos vocales prius significare ideam rei, quam rem ipsam; quia proprie voces usurpantur ad manifestandos conceptus. Iis tamen mediantibus etiam res ipsas significant, ut ultimatum significatum, cum et ipsa idea tendat ad rem, unde proprie pro ipsis rebus supponunt: ut cum dico, *pestis necat homines*, non id affirmo de idea pestis, sed de re ipsa.

Sed cum voces fugaces sint, et ad absentes, aut futuros transmitti nequeant, homo de absentibus et futuris sollicitus, ut permanerent, et ad absentes ac futuros transirent, eas alligavit scripturis, ut signis stabilibus, atque ad posteros et absentes commeantibus. Hinc terminus *scriptus* dicitur *signum termini vocalis scriptura exaratum;* immediate enim *vocalem* terminum significat, eo mediante *mentalem*, ultimate vero *rem ipsam.*

ARTICULUS SECUNDUS

DE DIVISIONE TERMINORUM

In termino quatuor spectari possunt; *res significans*, *res significata*, *modus significandi*, *et relatio unius termini ad alios.* Ex his quatuor variæ profluunt divisiones terminorum: præcipuas referemus.

Terminus ex parte rei significantis dividitur 1. *in mentalem, vocalem, et scriptum;* de quibus supra.

2. In terminum *incomplexum*, *qui uno signo unam rem significat*, ut albedo; *et complexum*, *qui plura signa aut plures res complectitur*. Unde alius dicitur complexus *voce*, non re, ut Marcus Tullius Cicero; unum enim hominem significat; alius complexus *re*, non voce, ut Poeta; duo enim una *voce* comprehendit, hominem et artem Poeticam; alius complexus *re et voce*, ut Virgilius Poeta; duas enim res duabus vocibus exprimit.

Terminus ex parte rei significatæ dividitur primo in *terminum positivum*, qui rem significat, ut *homo;* et *negativum*, qui non rem, sed rei absentiam significat, *ut cæcitas*, *nihil*, *non homo*, *non lapis:* hi termini positivi affecti particula *negante* dicuntur *infiniti*, seu *infinitantes*. Quidam termini sunt negativi voce et positivi sensu, ut *innocentia*, *immensitas*, *immortalitas*, *infinitudo;* nam significant perfectiones positivas. Quidam econtra positivi voce, et sensu negativi, ut *mortale*, *corruptibile*, *noxium*, *vitium*. Quidam utroque negativi, ut *impius*, *injustus*.

Dividitur secundo in terminum *primæ intentionis*, et terminum *secundæ intentionis*. Terminus primæ intentionis est, qui significat rem *secundum statum*, *quem habet in seipsa*, seu in rerum natura; ut *homo*, *leo*, significant res, ut sunt in se. Terminus secundæ intentionis est, qui significat rem *secundum statum ei ab intellectu attributum*, ut *genus*, *species*, *prædicatum*, *subjectum;* hæc enim non conveniunt rebus ex sua natura, sed ex consideratione intellectus. Dicuntur termini *secundæ intentionis*, seu *considerationis*, quia primo rem consideramus, ut est in se; deinde vero secundaria et reflexa consideratione eam disponimus in modum prædicati, aut subjecti, generis, aut differentiæ, eaque secundaria consideratio dicitur secunda intentio.

Dividitur tertio in *singularem* et *communem*. Singularis est, qui *de uno tantum dicitur*, sive ex impositione, ut Homerus, Aristoteles; sive ex usu, ut Apostolus, absolute sumptus, solum D. Paulum significat, et Philosophus Aristotelem; sive ex aliqua

additione, ut hic homo, Filius Virginis, Mater Christi. Terminus communis est, qui *plura significat*, ut Populus, Animal.

Terminus communis dividitur in *Collectivum*, qui plura conjunctim solum significat, ut *Civitas;* et *Distributivum*, qui *ita plura significat*, ut *de singulis dici possit*, ut *Homo* omnes homines significat, et de singulis dici potest.

Terminus communis distributivus dividitur in *univocum, æquivocum, et analogum.* Univocus est, qui *in pluribus rationem simpliciter unam significat:* ut homo, in Petro, et Paulo idem significat. Æquivocus est, qui *in pluribus rationes omnino diversas significat:* ut *Canis* dictus de sydere, de pisce quodam, de animali domestico. Analogus est, qui *rationes significat simpliciter diversas, proportione tamen quadam similes:* ut *Pes* dictus de infima parte montis, et de infimo membro animalis.

Terminus ex modo significandi dividitur in *Categorematicum, Syncategorematicum, et Mixtum.* Categorematicus est, qui *per se aliquid significat*, ut Homo, Lapis. Syncategorematicus, id est, *Consignificativus* est, qui *se solo non significat, sed tantum junctus alteri*, ut omnis, nullus, aliquis: unde dicitur *signum*, quia eo veluti signo designatur, quantum alius significet. Mixtus dicitur, qui *utrumque continet*, ut *Nemo* idem est, ac *nullus homo; nihil*, ac *nulla res.*

Terminus Categorematicus dividitur in *Abstractum et Concretum.* Terminus abstractus est, qui *formam ab omni subjecto præcisam significat.* Terminus concretus est, qui *significat formam cum subjecto;* ut *pulcher* significat pulchritudinem cum subjecto in quo est; pulcher enim est, qui habet pulchritudinem. At pulchritudo hanc dotem præcise, ac veluti separatam a subjecto significat; unde terminus concretus sensu complexus est: duas etiam ideas continet, unam expresse, aliam confuse; ut *philosophus* distincte philosophiam exprimit, hominem vero confuse significat; est enim philosophus *ille*, qui habet philosophiam.

Terminus concretus dividitur in *absolutum et connotativum*, seu, quod fere idem est, in *substantivum et adjectivum.* Terminus substantivus est, qui *rem significat per modum per se stan-*

tis, ut homo, lapis, color, pulchritudo. Terminus adjectivus est, qui *rem significat ut alteri adjectitiam*, ut humanus, coloratus, pulcher. Omnes termini abstracti sunt substantivi; licet enim aliquando res significent, quæ non nisi in aliquo subjecto existere possunt, attamen eas exprimunt ad modum per se stantis: ut *Prudentia*, *Scientia*, *Amor*, has res exprimunt quasi per se subsistentes in consideratione mentis, licet in re esse non possint, quin in aliquo subjecto existant, ut in homine, aut Angelo. Sunt itaque nomina substantiva non re, sed modo significandi; at homo, et Angelus, et re et nomine substantiva sunt.

Terminus ex comparatione ad alios dividitur 1. in *Prædicatum et Subjectum*. Prædicatum est, qui *de alio dicitur*. Subjectum est, de quo *alius terminus dicitur*: ut in ea propositione, *Deus est justus; Justus*, est prædicatum respectu Dei, quia de eo dicitur; *Deus* est subjectum, quia de eo justus dicitur.

Dividitur 2. in terminum *antecedentem, consequentem, et reciprocum*. Terminus antecedens est, *ex quo alius sequitur*, ut homo est terminus antecedens respectu animalis; si enim est homo, sequitur ut sit animal. Terminus consequens est, *qui ex alio sequitur*, ut animal respectu hominis. Termini reciproci sunt, qui *se mutuo inferunt*, ut homo et rationalis; si enim est rationalis, est homo.

Dividitur 3. in terminum *transcendentalem et categoricum*. Terminus transcendentalis est, *cujus significatum intime includitur in omnibus differentiis significatorum aliorum terminorum*, ut Ens, Res, Aliquid, Unum, Verum, Bonum. Terminus categoricus est, qui significat *aliquod genus rei aliis generibus non permixtum*, ut Homo, Lapis, Prudentia, Color, Figura.

ARTICULUS TERTIUS

DE PROPRIETATIBUS TERMINORUM

Terminorum quinque proprietates sunt, *Suppositio*, *Ampliatio*, *Restrictio*, *Alienatio et Appellatio*. Primo de Suppositione, quæ est prima et præcipua termini proprietas, deinde de aliis dicemus.

§. I.

De Suppositione

Circa Suppositionem tria quæri possunt. Primo *quid sit.* Secundo *quotuplex sit.* Tertio *quæ sint ejus regulæ.*

Circa primum. Suppositio definitur, *Positio termini pro aliquo, de quo verificatur;* cum enim, ut inquit Aristoteles, non liceat inter disputandum res ipsas afferre, utimur terminis loco rerum, sicut computatores utuntur calculis loco pecuniarum. Talis usus vocatur *Suppositio.* Extremæ particulæ, *de quo verificatur,* consulto apponuntur, ut scias, ad suppositionem termini oportere, quod res aliqua designabilis correspondeat termino; unde sermo dicitur esse *de subjecto non supponente,* si nihil designabile correspondeat termino; ut si dicam, *Adam mihi loquitur; Centauri pugnant;* istæ propositiones sunt de subjecto non supponente, quia ex rebus, quæ exprimuntur per terminos *Adam et Centaurus*, prima nulla est pro tempore, de quo loquor, altera vero forte nusquam fuit.

Suppositio varie dividitur. Eas solum species referemus, quas usus et necessitas celebriores fecere.

Primo igitur dividitur Suppositio in *Materialem et Formalem.* Suppositio materialis est positio termini *loco sui ipsius; ut Homo est* vox; *Amo* est verbum. Suppositio formalis est positio *termini loco sui significati*, ut *Homo* est discursivus.

Secundo dividitur in suppositionem *Simplicem et Realem.* Suppositio simplex est *positio termini loco sui immediati significati.* Suppositio realis, quæ etiam dicitur *personalis et absoluta*, est positio termini *loco significati tam mediati, quam immediati.* Quod ut clare intelligas, nota, vocem habere duo significata, unum immediatum, ad quod scilicet significandum primo et per se est instituta; alterum mediatum, quod significat, non quidem ex primaria destinatione, sed quasi secundario et extensive: sic *Homo* per se et immediate significat naturam humanam; secundario tamen et mediate significat ejus individua. Econtra *Plato* per se primo significat individuum naturæ humanæ, scilicet filium Aristonis; sed secundario etiam si-

gnificat naturam humanam in Platone exsistentem. Sic etiam Album per se primo significat albedinem subjecto inhærentem; secundario tamen et mediate significat etiam subjectum, in quo albedo est: dum ergo tales voces usurpantur solum pro immediato significato, earum suppositio est simplex; si usurpentur pro utroque, suppositio est realis; ut dum dico, Homo est *species*, Album est *accidens*: *Homo* et *Album* supponunt simpliciter; nam Homo sumitur ibi pro *sola* natura humana, non vero pro individuis, et Album pro *sola* albedine, non vero pro subjecto; unde non valet consequentia: Homo est species, sed Petrus est homo; ergo Petrus est species. At vero si dicam, Homo est vivens, suppositio est realis, quia homo ibi sumitur pro suo significato tam immediato, quam mediato; non enim sola natura, sed etiam omnia hominis individua sunt viventia.

Tertio dividitur Suppositio in *Collectivam*, *Distributivam*, *et Disjunctivam.*

Suppositio collectiva est *positio termini communis pro significatis cunjunctim sumptis*: ut Planetæ sunt septem, Apostoli sunt duodecim.

Suppositio distributiva est *positio termini communis pro omnibus et singulis significatis*: ut *homo* est *animal*, homo pro omnibus et singulis supponit. Subdividitur in *Completam et Incompletam.* Completa est, *quæ descendit ad singula individua*: ut in illa; *animal* est *sensitivum*, animal supponit non solum pro omnibus animalis speciebus, sed et pro singulis earum individuis. Incompleta est, *cum terminus genericus sumitur pro singulis speciebus sub genere contentis; at non pro singulis earum individuis*: ut cum dicitur; *Omne animal* fuit in *arca Noe:* Deus *cuncta* animantia adducit ad *Adam*, ut iis nomina imponeret: Animal sumitur pro omnibus ejus speciebus, at non pro singulis earum individuis. Hinc distributio completa dicitur *Pro singulis generum*; Incompleta vero *Pro generibus singulorum.*

Suppositio disjunctiva est *positio termini communis pro aliquibus tantum significatis*: ut cum dicitur; *aliquis* homo est albus.

Suppositio disjunctiva dividi rursus potest in *confusam et determinatam.* Confusa est *acceptio termini pro significato*, *quod*

determinari nequit: seu, est acceptio termini pro quibusvis suorum significatorum, non tamen *collective*, sed sub *disjunctione* sumptis; quam ob causam confusa dicitur, quia pro nullo, ac certo determinato supponit, sed pro quovis indifferenter et indeterminate. Locum habet præcipue in iis terminis, qui ad usum et necessitatem referuntur: ut, *Equus* ad iter commodius agendum utilis est; *Aliquis oculus* est necessarius ad videndum; *Aliqua navis* ad transfretandum: non enim determinate hic vel ille oculus, hæc vel illa navis necessaria sunt. Suppositio disjunctiva determinata est *acceptio termini pro aliquibus determinatis significatis:* ut cum dicitur, *Quidam homines* detexerunt novum orbem: non quivis homines disjunctive sumpti significantur, sed certi quidam, Columbus scilicet et Americus Vesputius.

Quidam alias suppositionis divisiones afferunt, aut has ipsas paullo aliter referunt; quem tamen secuti sumus modum, is in re satis involuta explicanda et facilis et ad usum sufficiens est.

§. II.

Regulæ quinque utiles ad discernendas Suppositiones

Suppositio termini variatur quandoque ex adjunctione terminorum Syncategorematicorum, qui ideo *Signa* dicuntur. Horum alii sunt Universales, ut *Omnis*, *Nullus*; alii Particulares, ut *Aliquis*, *Aliquis non*. At sæpe terminus nullo signo afficitur; unde aliunde discernenda est ejus suppositio. Itaque hæ quinque Suppositionum regulæ statui possunt.

1. Terminus affectus signo universali supponit distributive, vel collective juxta exigentiam alterius termini, cui adjungitur: ut Omnes Apostoli sunt electi a Christo; Omnes Apostoli sunt duodecim.

2. Terminus affectus signo particulari supponit disjunctive, confuse, aut determinate, prout exigit terminus, cui adjungitur: ut Aliqui homines nigri sunt; Aliquis oculus est necessarius ad videndum.

3. Subjectum propositionis nullo signo affectum, in materia

naturali aut quasi naturali supponit universaliter; in materia vero contingenti supponit disjunctive. Propositio est in materia naturali, *cum prædicatum naturaliter convenit subjecto*, ut illa: Homo est rationalis. Est vero in materia *quasi naturali*, cum *prædicatum reipsa contingens effertur de subjecto eo modo, quo efferri solent prædicata naturalia*, id est, absolute, sine ulla contingentiæ nota, ut illæ: Angeli sunt mali: Homines sunt docti. At propositio est proprie *in materia contingenti*, cum *prædicato, aut copulæ inest aliqua contingentiæ nota;* puta, tempus *præteritum*, aut *futurum*, aut *actio* vel *passio* præsens verbo significata; ut illæ: Angeli peccaverunt: Angeli custodiunt homines: Judæi crucifixerunt Christum. Itaque in istis subjectum supponit disjunctive, quia prædicatum contingens determinat subjectum ad suppositionem disjunctivam; non enim exigit omnes afficere. At in propositione, cujus prædicatum effertur quasi naturaliter conveniens subjecto, determinatur subjectum ad suppositionem universalem, quia quod naturaliter speciei convenit, omni ejus individuo convenit; unde illa vera est: Angeli sunt incorporei; æquivalet enim isti: Omnes Angeli sunt incorporei, quod verum est. At illa falsa est: Angeli sunt mali; enuntiat enim malum de Angelis absolute, quasi naturalem qualitatem, unde æquivalet illi: Omnes Angeli sunt mali, quod falsum est. Econtra illa vera est: Angeli custodiunt homines, quia enuntiat hoc munus ut actionem contingentem, quæ non intelligitur debere omnibus competere, proindeque ut vere dicatur de Angelis, satis est, ut aliquibus conveniat. Hinc acute notat Auctor egregii Operis Gallice conscripti *De Arte cogitandi*, Propositiones indefinitas in materia *dogmatica* æquivalere universalibus; in materia vero *historica* æquivalere particularibus. Nec tamen, ut ipse putat, falsa est regula communiter posita, propositionem indefinitam in *materia naturali* æquivalere universali; in *contingenti* vero materia æquivalere *particulari;* nam propositio *dogmatica* semper censetur esse in materia naturali, vel quoad rem, vel quoad modum, quia effertur sine nota contingentiæ; at vero propositio *historica* effertur cum nota contingentiæ, et ideo proprie contingens censetur.

4. Regula *in propositione affirmativa prædicatum supponit*

semper disjunctive, saltem ex vi propositionis; ut in ista: *Homo* est *animal*; animal supponit tantum pro aliquo; ut enim homo vere dicatur animal, non necesse est, ut sit omne animal, sed satis est, ut sit aliquod ex animalibus. At in propositione *negativa, prædicatum semper supponit universaliter;* ut in ista: *Homo* non est *Lapis;* non enim vere diceretur, non esse lapis, si vel aliqua lapidis species esset. Hæc regula magni usus est in syllogismis, ideoque diligentius notanda.

5. Regula generalior. *In propositione subjectum supponit juxta exigentiam prædicati:* sic quia termini numerales exigunt suppositionem collectivam; termini naturales distributivam, termini contingentes disjunctivam, termini necessitatis solum confusam, juncti subjectis ea determinant ad tales suppositiones; ut in ista: Planetæ sunt septem, supponit subjectum *collective*: in illa: Planetæ sunt ex materia cœlesti, supponit *distributive;* in illa: Planetæ aliquando eclipsim patiuntur, supponit *disjunctive;* in illa: corpus opacum requiritur ad eclipsim, supponit *confuse.* Ita enim exigunt prædicata.

§. III.

De reliquis proprietatibus Terminorum, Ampliatione, Restrictione, Alienatione et Appellatione

Ampliatio est *extensio termini a minore ad majorem significationem;* ut dum dicitur, *Mansueti hæreditabunt terram;* vox, *Mansueti,* quæ solum ex vi prædicati supponit pro futuris, sumitur tamen pro omnibus tum futuris, tum præsentibus, tum præteritis.

Restrictio econtra est *coarctatio termini a majore ad minorem significationem;* ut in illo Trajani effato, *Princeps credulus est crudelis*, vox *credulus* restringit vocem *Princeps* ad aliquos tantum. Restrictione passim utitur Scriptura; ut vox *viventium* ad homines restringitur, dum Eva dicitur *Mater cunctorum viventium;* et vox *carnis*, dum dicitur, *Videbit omnis caro salutare Dei;* item in Symbolo, *Credo carnis resurrectionem.*

Alienatio est *translatio termini a propria ad alienam significationem propter alterius termini additionem.* Ut cum Christus dicitur Sol justitiæ, Agnus dominator terræ, hæ voces ex adjuncto a propria ad Metaphoricam significationem transferuntur. Sic Pythagoras eleganti alienatione justitiam dixit *Salem vitæ*, quod scelerum corruptionem acri quidem, sed salubri punitione corrigat.

Appellatio majoris momenti est. Definitur, *applicatio unius termini supra alium;* in propositione enim prædicatum veluti applicatur subjecto: ut dum dico, Deus est bonus, *bonus* applicatur supra terminum *Deus.*

Dividitur in *Materialem et Formalem;* in termino enim concreto duplex est significatum, materiale scilicet, et formale. Formale est *ipsa forma per terminum significata.* Materiale vero *est subjectum habens talem formam;* ut in ista voce *Homo*, humanitas est *formale* significatum; persona vero habens humanitatem est significatum *materiale:* et in illa voce, *Album*, albedo est formale significatum; subjectum vero habens albedinem est materiale.

Appellatio itaque formalis est, *quando prædicatum cadit supra formale subjecti:* ut dum dico, Medicus sanat; non enim sanat, nisi formaliter ut Medicus. Appellatio materialis est, *quando prædicatum cadit supra materiale subjecti:* ut dum dico, Medicus cantat; non enim cantat ut Medicus, sed ut Musicus.

Tres præcipuæ regulæ sunt appellationis. Prima, *quando subjectum propositionis est terminus substantivus cum adjectivo, si adjectivus sit ante copulam, appellatio erit materialis:* ut dum dico, Alexander Magnus fuit discipulus Aristotelis. *Discipulus* applicat supra Alexandrum, non quatenus magnum, sed simpliciter; ita ut sensus sit: Alexander, aliunde magnus, fuit discipulus Aristotelis; sed si dicatur, Alexander fuit magnus discipulus Aristotelis, appellatio erit formalis; nam discipulus applicabit supra Alexandrum, quatenus magnum; ita ut sensus sit: Alexander fuit magnus inter discipulos Aristotelis.

Secunda regula. *In propositione, cujus subjectum est terminus concretus, appellatio est materialis,* id est, prædicatum cadit supra materiale subjecti, saltem in rigore logico: ut dum

dico : Homo fit albus, sensus est, suppositum habens humanitatem recipere etiam albedinem. Propter hanc regulam ista propositio est falsa, Homo factus est Deus, quia facit hunc sensum : Suppositum habens humanitatem recepit divinitatem, quod est falsum ; ista autem propositio est vera, Deus factus est homo, quia facit hunc sensum : Suppositum habens divinitatem, assumpsit etiam humanitatem, quod est verum.

Tertia regula. *Numeralia primitiva nominibus substantivis applicata, ut duo, tres, quatuor etc. appellant tam formaliter, quam materialiter, ideoque multiplicant et formam et suppositum ; applicata vero nominibus adjectivis, appellant solum materialiter, ideoque non multiplicant formam, sed suppositum.* Ratio hujus regulæ est, quia nomen substantivum significat per modum substantiæ, quæ ex sua forma habet esse et unitatem ; unde, ut nomen substantivum multiplicetur, necesse est formam multiplicari ; at vero nomen adjectivum significat formam per modum alicujus adventitii subjecto : unde licet exprimat distincte formam, et subjectum confuse, supponit tamen magis pro subjecto, proindeque, si sint plura supposita habentia eandem formam, nomen adjectivum multiplicatis subjectis multipliciter effertur. Quapropter hæc vera est in rigore : In divinis tres sunt omnipotentes, tres æterni ; at ista falsa : sunt tres dii. Quia tamen Ariani dicebant, tres esse æternos quasi substantive, in hoc sensu eos refellens S. Athanasius dixit, non esse tres æternos, sed unum æternum.

ARTICULUS QUARTUS

DE UNIVERSALITATE TERMINORUM

In rebus mente perceptis pleraque videmus esse dispersa, quæ tamen omnino similia sunt, atque ad eandem ideam pertinent, ut natura humana in multis dispersa ubique sibi similis est, atque ad unam hominis ideam pertinet. At rursus pleraque omnino diversa in una et eadem re conjunguntur, quæ tamen ad distincta genera pertinent, diversisque terminis exprimuntur, ut in Petro conjunguntur ejus substantia, quantitas, figura, si-

tus, color, actiones, passiones, etc. quæ tamen omnino diversa sunt. Ne igitur confundatur earum rerum perceptio, diversa similia colligenda sunt sub una universali idea; et conjuncta dissimilia distinguenda sunt, atque ad suum quæque genus referenda; hac enim ordinatione non mediocriter rerum perceptio adjuvatur. Primum fit per *universalia*, sub quibus particularia per similia colliguntur. Alterum fit per *Prædicamenta*, sub quibus dissimiles naturæ in rebus conjunctæ distincte ad suum quæque genus referuntur. Primo itaque de universalibus terminis dicendum, deinde de Prædicamentis. Et quidem de utrisque plenius disputabimus in Majori Logica; hic solum, quæ ad præcepta spectant, attingemus.

Terminus universalis est, *qui de pluribus univoce ac distributive dicitur*, ut Homo de Petro et Joanne. Ei opponitur singularis, qui *de uno tantum dicitur*, ut Socrates. Terminus particularis est *ipse universalis signo particulari ad aliquam suæ significationis partem restrictus*, ut Aliquis homo.

Quinque sunt modi terminorum universalium, *Genus*, *Species*, *Differentia*, *Proprium*, *et Accidens.*

Terminus enim, qui *de pluribus dicitur*, vel ipsam rei essentiam significat, vel aliquod attributum ei adjunctum. Si essentiam significet, vel eam totam comprehendit, et sic dicitur *Species*, ut Homo significat quidquid ad naturam ejus pertinet; vel solum exprimit id, in quo convenit cum aliis naturis, et sic dicitur *Genus*, ut animal exprimit solum id, quod commune est homini et bruto; vel exprimit id solum, quo differt ab aliis naturis, et sic dicitur *Differentia*, ut Rationale exprimit id solum, quo differt homo a bruto. Si terminus attributum essentiæ adjunctum exprimat, vel illud necessario essentiæ convenit, ita ut ab ea disjungi nequeat, et sic dicitur *Proprium*, ut Risibile exprimit aliquid naturam hominis necessario consequens; vel est attributum essentiam non consequens, sed ei casu adjunctum et ab ea separabile, et sic est *Accidens*, ut Doctus ita homini attribuitur, ut ab eo tamen disjungi potuerit.

Genus itaque definitur *terminus universalis, qui de pluribus specie differentibus prædicatur in quid incomplete*, idest, ut non explicans totam rei essentiam, ut Animal de homine.

Species definitur *terminus universalis, qui de pluribus numero differentibus prædicatur in quid complete*, ut Homo de hoc, et illo homine.

Duplex distinguitur: *Subalterna*, quæ *sub se alias continet*, ut Avis Aquilam et Lusciniam; sed hæc etiam proprie *est genus*, dicitur tamen species respectu superioris generis, sub quo continetur: Et species *infima*, quæ *alias sub se non continet, sed solum singularia*, ut homo.

Differentia definitur *terminus universalis, qui de pluribus prædicatur in quale quid*, id est, ut discernens essentiam ab aliis, ut Rationale discernit hominem a bruto.

Proprium definitur *terminus universalis, qui de pluribus prædicatur in quale necessario;* ut Risibile de homine.

Accidens definitur *terminus universalis, qui de pluribus prædicatur in quale contingenter;* ut Niger et Albus de homine.

Porro prædicari *in quid* est prædicari per modum termini substantivi, ut homo est animal. Prædicari *in quale* est prædicari per modum adjectivi, ut Homo est doctus. Prædicari in *quale quid* est prædicari per modum adjectivi, sed aliquid tamen designantis, quod ad substantiam rei pertinet, ut homo est rationalis; rationale enim, etsi exprimatur adjective, aliquid tamen exprimit, quod ad hominis essentiam pertinet.

Hæc de terminis universalibus; at de Naturis per ea nomina expressis, atque de earum universalitate disputabimus in Logica Majori.

ARTICULUS QUINTUS

DE TERMINIS PRÆDICAMENTALIBUS

In una re pleraque sæpe miscentur omnino inter se *diversa*, ut in pomo substantia, magnitudo, figura, color, etc. Hæc omnia discernere, et unumquodque ad proprium genus referre ad primam operationem mentis pertinet. Itaque quidam termini generici, qui *Prædicamenta*, seu *Categoriæ* dicuntur, inventi sunt, sub quibus distinctæ omnes rerum species coordinari possunt. Dico *species rerum*, quia hæc coordinatio solum comprehendit rerum species, non partes, modos quoscumque, ac alia,

quæ reducuntur ad aliquam speciem rei; hæc enim propriam sedem non habent in prædicamento, sed reducuntur ad prædicamentum rei, cujus sunt partes, ut rationalitas, anima, brachium, ad prædicamentum hominis.

Prædicamentum itaque est *Series specierum sub uno supremo genere coordinatarum.*

Decem sunt, *Substantia*, *Quantitas*, *Relatio*, *Qualitas*, *Actio*, *Passio*, *Quando*, *Ubi*, *Situs*, *et Habitus.* Comprehendi solent his versiculis.

Substantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Passio.
Arbor, *Sex*, *Servos*, *Calore*, *Refrigerat*, *Ustos.*
Quando, Ubi, Situs, Habitus.
Cras, *Ruri*, *Stabo*, *nec Tunicatus ero.*

Ratio hujus divisionis hæc est. Omnis terminus, qui est genus, aut species, vel significat aliquid per se subsistens, vel vel inhærens alteri. Res per se subsistens dicitur *Substantia;* ut Homo, Lapis, Terra, Arbor: quæ vero exsistit in alio, dicitur Accidens, quod rursus dividitur in novem genera: nam inquisitio eorum, quæ alicui Substantiæ, puta Homini, accidere possunt, novem quæstionibus omnino continetur: ut de Aristotele quæri potest, quantus homo fuerit? et est *Quantitas*; cujus filius? cujus pater? et est *Relatio;* qualis homo fuerit? et est *Qualitas;* quid egerit? et est *Actio;* quid passus fuerit? et est *Passio*; quo tempore fuerit? et est *Quando;* quo loco vixerit? et est *Ubi;* quo situ se habuerit in locis, an sedens, an ambulans? et est *Situs;* demum quibus vestibus se texerit, aut ornarit? et est *Habitus.*

Substantia definitur *Ens per se subsistens*, id est, quod non habet esse in alio, sed in quo sunt accidentia; ut lux, rotunditas, magnitudo sunt in Sole ut in subjecto; at Sol ipse non rursus in alio existit, nec est affectio alicujus alterius rei, sed est res in se et per se existens. Sub hoc supremo genere gradatim ordinantur omnia genera et species rerum per se subsistentium.

Quantitas est *Accidens extensivum rei in partes.* Alia dicitur *permanens*, cujus *partes sunt simul*, ut quantitas Terræ: alia *successiva*, *cujus partes non sunt simul*, *sed continua successione fluunt*, ut quantitas Temporis. Quantitas permanens a-

lia est *continua*, cujus *partes connexæ molem efficiunt*, ut quantitas Ferri; alia *discreta*, cujus *partes non uniuntur*, ut quantitas multitudinis hominum: hæc dicitur etiam *numerus*. Sub his aliæ species continentur.

Relatio est accidens, *cujus totum esse est ad aliud se habere*, ut Paternitas nihil aliud est, quam respectus patris ad filium.

Qualitas est accidens *dispositivum rei in seipsa;* ut sanitas disponit hominem ad bene se habendum, ægritudo ad male; figura disponit partes ad certum se habendi modum.

Hujus *quatuor species*, aut potius veluti paria specierum distingui solent; *Habitus et Dispositio*, quæ determinant substantiam, ut *bene*, aut *male* se habeat; ut sanitas, ægritudo, scientia, error, virtus, vitium. *Potentia et Impotentia*, quæ determinant ad operandum *fortiter aut languide;* ut visus in juvene, et sene. *Passio et patibilis qualitas*, quæ determinant substantiam *secundum mutationem sensibilem;* ut calor, et frigus. *Forma et Figura*, quæ determinant *partes quantitatis* ad *certum modum;* ut Rotunditas, Quadratura.

Actio est accidens, *quo causa constituitur actu causans*, ut Urere, Secare. Alia est *immanens*, quæ *nihil extra suum principium producit*, ut Intelligere, Videre. Alia *transiens*, quæ *aliquid ad extra ponit*, ut Urere, Percutere.

Passio est accidens, *quo subjectum constituitur aliquid a causa recipiens*, ut Uri, Percuti.

Ubi est accidens rei *ex eo*, *quod sit in loco;* ut esse Parisiis, Romæ.

Quando est accidens rei *ex eo*, *quod sit in certo tempore*, ut esse in hoc anno, fuisse in anno præterito.

Situs est accidens rei *ex certa partium ejus dispositione;* ut Stare, Sedere.

Habitus est accidens rei *ex circumpositione corporis eam ornantis*, *aut protegentis;* ut esse togatum, armatum, coronatum; verum de his Prædicamentis exactius in majori Logica, hæc interim delibasse sufficiat.

Porro in rebus sub prædicamento positis, atque invicem comparatis, quinque modi considerantur, qui *Postprædicamenta*

dicuntur. Hi sunt, *Oppositio*, *Prioritas*, *Simultas*, *Motus et Modus habendi.*

Oppositio est *repugnantia rei cum alia.* Est quadruplex, *Contraria*, *Relativa*, *Privativa*, *Contradictoria.* Oppositio contraria est *Repugnantia duarum rerum, quæ cum sint sub eodem genere, ab eodem subiecto se mutuo pellunt;* ut Calor et Frigus.

Oppositio relativa est, *Repugnantia ex mutuo respectu proveniens;* ut inter patrem et filium: repugnat enim, ut quis sit idem pater, qui filius.

Oppositio privativa est *Repugnantia inter formam et privationem*, ut inter visum, et cæcitatem.

Oppositio contradictoria est *Repugnantia inter ens et non ens*, ut inter hominem et non hominem.

Prioritas est, qua *aliquid aliud præcedit.* Quintuplex est. *Durationis;* ut inter juventutem et senectutem. *Consequentiæ*, cum unum infert aliud, proindeque illud supponit, ut homo animal; si enim est homo, est animal, quod proinde prius dicitur, quam homo. *Ordinis*, cum unum aliud præcedere exigit, ut recta sit dispositio, ut Logica cæteras scientias. *Dignitatis*, cum unum alio dignius est, ut Rex dignitate prior est subditis. *Naturæ*, cum unum naturaliter pendet ab alio ut Radius a Sole; unde Sol natura prior est radio, licet simul existant.

Simultas opponitur *prioritati*, et ideo tot modis est, quot prioritas.

Motus est *Transitus ab uno statu ad alium.* Sex sunt motuum genera: *Generatio*, quæ *est transitus a non esse ad esse substantiale: Corruptio*, quæ *est transitus ab esse ad non esse: Augmentatio*, quæ *est transitus a minori ad majorem quantitatem: Diminutio*, quæ *est transitus a majori ad minorem quantitatem: Alteratio*, quæ *est transitus ab una ad aliam qualitatem: Latio*, quæ *est transitus ab uno ad alium locum.*

Modi habendi quinque sunt: *Per inhæsionem*, ut homo habet scientiam: *Per modum continentis*, ut dolium habet vinum: *Per possessionem*, ut homo habet agrum: *Per relationem*, ut pater habet filium: *Per juxta positionem*, ut homo habet vestem.

QUÆSTIO SECUNDA

De recta Terminorum perceptione.

Hic res magni momenti et usus agitur, ut scilicet recte terminos, atque exinde res ipsas, mens nostra percipiat; nam ut male collocatis fundamentis nihil tuto construitur, sic male perceptis terminis nulla nobis certa cognitio constare potest, atque inde fere omnes errores, ut ex primo fonte, manant. Rem quatuor complectemur Articulis. Primus erit de *defectibus*, qui vitiant perceptionem terminorum, ac de eorum remediis in genere. Secundus de *modis sciendi*, quibus adjuvatur perceptio terminorum, ac primo de *Definitione*. Tertius de *Divisione*. Quartus de *Abstractione*.

ARTICULUS PRIMUS

DE DEFECTIBUS, QUI VITIANT TERMINORUM PERCEPTIONEM, AC DE EORUM REMEDIIS.

Perceptio terminorum ut perfecta sit, tres dotes habeat necesse est. Ut sit *integra*, ut sit *clara*, ut sit *distincta*. Hinc tres ejus defectus, *Diminutio*, *Obscuritas*, *Confusio*.

Diminutio perceptionis duobus modis contingit. *Primo*, cum mens soli termino attendit, at rem eo designatam vix animadvertit. In eum licet crassiorem defectum plerique impingunt, qui scientiarum terminos auribus avide accipiunt, memoriæ recondunt, mente versant, digerunt, varie componunt, eos in numerato habent, ac, cum opus est, expedite, ordinate, diserte proferunt; sed ad res illis terminis designatas minime, aut leviter admodum, ac vage animum advertunt: hi cum serio nihil sciant, sibi tamen ac vulgo eruditi videntur. *Secundo*, diminutionis vitio laborat perceptio, cum in termino rem multis dotibus constantem significante, mens nostra ubi aliquam perceperit, ea contenta, rem se habere compertam confidit: ut qui se, quid sit *aurum* scire putaret, cum eo termino solum cogitaret metallum *fulvo colore* tinctum, cum tamen auri natura plures alias

dotes exigat. Fœdissimus Anomæorum error ex hoc fonte manavit: putabant illi, Dei essentiam nihil esse aliud, quam *Ens ingenitum*; hinc jactabant, se Deum comprehendere, quod claram horum terminorum notionem haberent, cum tamen infinitas alias perfectiones terminus ille, *Deus*, includat.

Obscuritas quoque duobus modis in perceptionibus accidit; *primo* ex parte termini, cujus obscura significatio est; *secundo* ex parte rei significatæ, cujus natura nos latet, licet perspicuum sit, eam tali termino designari. Primo modo plures in Philosophia quæstiones obscuræ sunt, cum eadem voce aliud alius intelligat, ac plerique nihil fixum; hinc tot pugnæ plerumque de solo nomine. Graviter laborat hac obscuritate Tertullianus, cum Deum esse corpus asserit, nec determinat satis, quid velit designare per hanc vocem, *Corpus*, an rem omnem solidam, ac minime imaginariam; quo sensu, sed admodum inusitato, vere Deus dici posset corpus: an substantiam extensam et figuratam; quo sensu crasso errore Deus diceretur corpus. Secundo modo passim perceptio deficit, cum perspicue videt mens, quæ res termino designetur, at non itidem clare percipit, quid sit illa res: sic ea vox, Sol, quid significet omnibus notum est; at non item, quæ sit natura Solis.

Confusio demum oritur in perceptione, cum termini significatum plura continet involuta, quæ uno intuitu singula distincte percipi nequeunt, atque adeo veluti implicata sub una idea confuse continentur: ut ea vox, Corpus humanum, rem satis claram designat; sed quam exacte ac distincte nosse non possumus, nisi singulas ejus partes seorsum distinctis perceptionibus evolvamus.

Defectui diminutæ perceptionis medetur *attentio;* cum scilicet audito termino, quæ res illi subsit serio advertimus, illamque non solum, ut sæpe fit, ex nomine, aut ex parte notam habere contenti sumus, sed acri defixaque mente intus, extra, et in omnem faciem contuemur, seduloque omnes ejus dotes animo complecti studemus. Hæc attentio nunquam satis commendari potest: sine illa enim et in negotiis, et in scientiis nihil habetur exactum; hinc illud vetus præceptum, *Age, quod agis.*

At plerique sunt obtusi, qui etiam defixis mentis oculis nihil in rebus vident. Fateor; sed sæpius evagatione mentis peccatur, quod animum figere nesciamus; hinc forte Melancholici habentur ingeniosi et scientiis aptiores, non quod sint acutioris ingenii, sed attentioris; diu enim hærent cogitationibus suis. Hinc etiam Senes sapientiores sunt quam juvenes; illi enim sedata mente res diu expendunt, isti avolare statim gestiunt, vix momento rebus eisdem intendere solent.

Obscuritati perceptionis *definitio* medetur; hujus enim est, terminos vagos, et qui ad plura trahi possunt, ad certam rem determinare, tuncque dicitur *Definitio nominis;* deinde etiam, si res ipsa termino designata obscura sit, eam clarioribus ideis explicare, tuncque dicitur *Definitio rei.*

Confusioni demum perceptionis medetur *divisio*, cujus est, rem termino designatam, si multa aut in se involvat, aut sub se contineat, quæ uno intuitu distinte videri nequeant, in varias partes distinguere, quæ seorsim sumptæ propria quæque perceptione exactius intelligantur. Hujus quædam species est *abstractio*, quæ unam rationem ab aliis sejungit, ut attentius eam mens intueatur.

De his vitiosæ perceptionis remediis nunc speciatim dicendum, et quidem de *Definitione*, *Divisione et Abstractione* propriis titulis; at de *attentione* parcius: hæc enim licet præcipui momenti sit, et ejus defectu maximi quique errores vulgo contingant, cum tamen pendeat a cujusque voluntate, aut certe ab assuetudine, qua serio, ac diu rebus mentem advertere, atque reflectere satagit, magis commendari potest, quam præceptis dari. Hæc tamen, ut servare magnopere proderit, ita præscribere non erit inutile.

Primo, non nisi unum uno tempore considerandum; nam *pluribus intentus minor est ad singula sensus;* seponantur ergo omnia alia, quæ ad rem, cui attendimus non pertinent, quasi omnino non essent, atque id solum agamus, quod agimus.

Secundo, justa mora considerandæ rei impendenda est, atque paullatim assuescendus animus, ne avolet, sed diu hæreat, ac rem defixis oculis placide, ac constanter aspiciat, primum advertendo vim termini, ejusque amplitudinem, deinde rem ipsam

termino subjectam, ejusque omnes facies, atque attributa; nec desistendum, donec ea omnia, quantum fas erit, animo comprehensa habeantur, quod ut libentius fiat,

Tertio, res, quas considerare volumus, proponendæ nobis sunt ut admirabiles, ac magni momenti et pretii; nam quæ magni facimus, attentius consideramus.

Quarto, in iis delectabiliter occupanda mens est; nam delectatio maxime ad se rapit animum. Porro hanc admirationem et delectationem erga objecta studiorum nostrorum facile nobis conciliabimus, excitando in nobis ardentem amorem sapientiæ et veritatis, qua nihil divinius, nihil suavius et amabilius est. Hujus gustu semel imbutum animum non voluptas sensibilis, non fluxarum rerum curæ, non passionum perturbationes, quibus homines distrahi solent, a contemplationis attentione dimovebunt.

Quinto demum attentionem juvant locus solitarius, tempus nocturnum, calamus ad consignandas cogitationes semper paratus, repetita ejusdem rei contemplatio, donec alte animo hæreat; sed omnium maxime studium avocandi mentem ab externis et præsentibus, ut ad seipsam introversa, iis, quæ cogitat, tota intendat, aliarum rerum incuriosa et oblita, quamdiu contemplationi vacat.

ARTICULUS SECUNDUS

DE MODIS SCIENDI, QUIBUS ADJUVATUR TERMINORUM PERCEPTIO, AC PRIMUM DE DEFINITIONE

Definitio ad eas orationes pertinet, quæ a Logicis *modi sciendi vocitantur*; itaque primum aliquid de *modo sciendi* in genere, tum de ipsa *definitione* dicendum.

§. I.

De modo sciendi in genere

Modus sciendi tripliciter sumi solet; *primo* latius pro omni eo, quod juvat ad scientias acquirendas: hoc sensu Logica modus sciendi dicitur, quia juvat ad alias scientias: item etiam *methodus*,

quia disponit res, ut facilius sciri possint. Secundo *modus sciendi* strictissime sumitur pro eo, quod scientiam proprie dictam nobis ingenerat: hoc sensu *demonstratio* sola est modus sciendi, quia scientia proprie *est cognitio per demonstrationem acquisita*. *Tertio* modus sciendi media quadam via dicitur id, quod *rem ignotam clarioribus terminis explicat;* eo sensu nunc usurpatur.

Modus sciendi sic sumptus definitur *Oratio ignoti manifestativa*. Dicitur *Oratio*, id est, brevis sermo duobus aut pluribus terminis comprehensus. Additur *ignoti manifestativa*, id est, in qua aliquid ignotum iis terminis explicatur, ut jam mens nostra illud clarius possit percipere.

Hujus tres omnino sunt species, *Definitio*, *Divisio*, *Argumentatio*.

Probatur hæc divisio. Tot esse debent modi sciendi, quot sunt in rebus ignota, seu quot sunt genera quæstionum; sed hæ quæstiones, eaque ignota ad tria genera reducuntur: ergo tres sunt modi sciendi. Major est certa, quia modus sciendi est oratio ignoti manifestativa, id est, qua ignotæ rei quæstioni fit satis. Minor probatur: Quæ de re ignorari possunt, et quæri, ad tria hæc capita reducuntur, *Quid sit*, seu essentia, *Quotuplex sit*, seu partes, *Quid ei conveniat*, *aut repugnet*, dum cum aliis rebus comparatur, seu *attributa*. Oratio, quæ manifestat essentiam, dicitur *Definitio;* ea, quæ partes distinguit, *Divisio;* quæ vero aliquod attributum obscurum rei convenire, aut repugnare convincit, medio aliquo termino manifestante hujus attributi cum re connexionem, dicitur *Argumentatio;* ergo tres tantum sunt Orationes ignoti manifestativæ.

Dices. Omnis Oratio manifestans ignotum, est modus sciendi; sed propositio etiam manifestat ignotum: ergo et ipsa est modus sciendi. Probatur Minor. Plura ignota fiunt nota nuda affirmatione; ut qui nescit, quo anno natus sit Christus, id scire incipit, dum ab alio in historia perito hanc audit propositionem: *Christus natus est quadragesimo secundo anno Imperii Augusti;* immo latentes cogitationes non alio modo aliis manifestamus, quam nudis affirmationibus, aut negationibus: ergo propositio manifestat ignotum.

Resp. Distinguo Minorem. Propositio manifestat ignotum *im-*

proprie et historice narrando, concedo; *proprie et doctrinaliter* adducendo aliquid notius, nego: itaque propositio rem ignotam nude proponit, qui manifestandi modus est proprius historiæ; at si in re proposita sit aliquid obscurum, nihil ex se habet, quo illud illustret, sed recurrendum ad definitionem, aut divisionem, aut argumentationem: ut si dubitem de salute Salomonis, non fiam doctior hac propositione audita, *Salomon est salvatus;* sed ut nota mihi fiat, ratio proferenda est, cur affirmetur, puta, quia egit pœnitentiam in senectute sua.

Instabis. Nuda propositio, quæ sit ab homine veraci, nos rei certiores efficit: ergo est modus sciendi.

Resp. Distinguo Antecedens. Nos efficit certiores ratione sui, nego; ratione discursus taciti, qui semper intervenit, concedo. In eo enim casu intervenit hic discursus: Quod homo verax asserit, certum videtur; at hic verax est: ergo certum, quod ipse asserit.

Urgebis. Hæc propositio: homo est animal rationale; a quocumque prolata manifestat ignotum: ergo est modus sciendi.

Respondeo, manifestare ignotum ratione definitionis, quam includit; at non ex vi propositionis.

Repones. Fumus ignem latentem manifestat, pallor ægritudinem: ergo hæc et alia hujusmodi signa pertinent ad modos sciendi.

Respondeo, non manifestare ut Orationes clariores; sed ut signa indicativa; at nunc sermo est de eo, quod manifestat ignotum per modum Orationis. Deinde nec illa signa manifestant res ignotas, nisi ratione virtualis argumentationis, qua ex signo rem significatam colligimus.

Ex his sciendi modis Definitio et Divisio juvant primam mentis operationem, nempe rerum perceptionem; nihil enim aliud sunt, quam distinctiores quædam ideæ, advocatæ in subsidium mentis, ut clarius ac distinctius rem percipiat (1). At vero Argu-

---

(1) *Utraque ex doctrina Aristotelis (1. Post. et 6. Metaph.) ad primam mentis nostræ operationem pertinet; quare* puncto *individuo comparatur et* terminus *passim ab eo dicitur. Est namque notio* una, *quæ pluribus verbis exponitur sine ullo enunciandi judicio. Interroganti enim* quid est homo? *respondetur*

mentatio, etsi fiat per tertiam mentis operationem, attamen proprie est in subsidium secundæ, nempe judicii; cum enim in propositione non est clara connexio prædicati cum subjecto, hæret Judicium, quod ut juvetur, per Argumentationem adhibetur terminus medius, qui evidenter conveniat duobus extremis propositionis, atque adeo ea conjungat, sicque determinet Judicium ad assensum, illustrando propositionem antea obscuram. Porro hic terminus medius aliquando est ipsa definitio, aut divisio termini obscuri in propositione; atque adeo et ipsæ etiam conducunt ad secundam mentis operationem, sed mediante argumentatione, de qua nihil hic ulterius dicemus, sed in tertia parte.

§. II.

De Definitione Nominis

Definitio, ut antea monui, duplex est; alia *nominis*, alia *rei*. Definitio Nominis est *Oratio explicans proprium Nominis significatum;* plerumque enim eadem nomina aut usu, aut voluntate loquentium rebus diversis aptantur, ut hanc vocem, *Natura*, alio sensu Physicus, alio Metaphysicus, alio Logicus sumit. Determinandum itaque, quo sensu vox usurpetur. Id pertinet ad definitionem Nominis, quæ ideo disputationibus præmitti debet,

---

animal rationale, *quæ est ejus definitio. Si tamen urgeat, quomodo* dividitur animal? *subjungitur in* rationale, *et* irrationale *quæ est ejus divisio. Prima rem explicat per* synthesim, *manifestans* totum *suis partibus simul sumptis circumscriptum; altera per* analysim *ostendens partes a partibus sejunctas, ut clarius percipiatur totum, quod ex eis componitur.*

Definitio, ergo, et divisio totius humanæ cognitionis fundamenta sunt, primique incessus in via veritatis, non minus ac ipsa perceptio, *cui respondent, et quæ prima est mentis humanæ operatio. Ab eis itaque sive mente considerando, sive cum aliis disputando exordiendum est, ne perceptionum confusio, obscuritas, aequivocatio, vanum, atque incassum reddat disputationis, vel inquisitionis laborem.* Nisi, *(rectissime Cicero Orat. 116.)* inter eos qui disceptent, convenit, quid sit illud, de quo ambigitur, nec recte disseri, nec unquam ad exitum perveniri potest.

nisi aliunde certum sit, quam rem vox significet (1): alias vano conatu de nihilo sæpe pluribus argumentis contenditur; sed cavendum, ne temere aliqua idea voci alligetur, a qua secundum usum communem abhorret. Servetur voci significatum ex usu illi tributum (2); at si varium est, tum determinandum, cui ex pluribus vocem hic et nunc tribuamus, ut hæc vox, *Natura*, usu plura significat; Physicus determinare debet, quo sensu eam sumat, nempe *pro primo principio intrinseco motuum sensibilium*, quo sensu Angeli non sunt naturæ; at Metaphysicus eam latius sumit *pro substantia, ut est radix operationum et proprietatum:* hoc sensu et Angelus et Deus quædam naturæ sunt; suas enim habent proprietates et operationes, licet spirituales, ac proinde supra naturam physice dictam elevatas; hinc substantiæ supernaturales dicuntur: at Logicus nomen *Naturæ* latissime sumit *pro qualibet essentia, cujus aliquæ proprietates demonstrari possunt:* hoc sensu definitio dicitur explicare naturam *rei*, id est, essentiam. Pleræque aliæ voces in Logica ipsa vario sensu usurpantur, ut istæ, ratio, conceptus, argumentatio, definitio; nempe modo pro ipsa operatione mentis ratiocinantis,

---

(1) *Sunt in communi usu voces quædam, quarum significatio notissima est; quæque uti primariæ, ac veluti definitionum principia rectissime habentur; quas si definire in qualibet disceptatione velles, ut ridicule quidam existimarunt, profecto ad* infinitum *abeundum esset. Hoc enim non Sapientis, sed intemperantis Sophistæ proprium. Quapropter in mathematicis Euclides non definit* æquale, *non* majus, *non* minus, *non* totum, *non* partem. *In Physicis, nullus, nisi tempus terat otio, urgebit, quid nomine Terræ, Aquæ, Solis, Lunæ, vel quid nomine capitis, oculi, manus, pedis apud omnes veniat. Hæc enim et vulgus intelligit, et in promptu habet.*

(2) *D. Th. 1. Part. l. 4.* » Significatio nominis accipienda est ab eo, quod communiter intendunt homines. » *Hæc in definitione nominis potissima regula est, ex qua cæteræ dimanant. Non ergo in cujusque arbitrio positum est, nominum, vel vocum definitiones mutare contra eum usum, qui apud omnes obtinuit. Qui hoc nomen* Lux *voce exprimens contenderet eo significare* tenebras, *vel qui* quadratum *pronuncians*, triangulum *intelligeret, totius humanæ societatis fundamenta everteret, quæ in conceptionum communicatione, et communi vocum acceptione potissime fundatur.*

concipientis, etc. modo pro objecto hujus operationis; ut cum animal rationale dicitur ratio et conceptus hominis. Attamen aliquando additione terminus ille vagus restringitur ad unum certum significatum; nam actus mentis dicitur, conceptus formalis, definitio formalis, etc. at objectum dicitur ratio objectiva, conceptus objectivus, etc.

Grammatici alio sensu usurpant definitiones nominum, cum scilicet Nomen compositum, aut obscurum, duobus aut pluribus aliis simplicioribus exponitur: ut Cosmographia *est descriptio Mundi;* Hydrographia *descriptio aquarum.* Huc pertinet Etymologia, quæ radicem vocis affert, ut *Providens* est quasi *procul videns;* sed hæ definitiones vix ad Scientias pertinent, quamvis ex iis aliquando illustrari possint rerum notiones, ideoque non omnino in Scientiis negligendæ sunt.

Unum his addam, operæ pretium non exiguum esse, ut, qui aliquam Scientiam addiscunt, terminorum definitiones primum attendant, easque memoriæ mandent, atque in promptu habeant: sunt enim elementa, immo et principia, ex quibus plerumque demonstrationes pendent, ac veluti claves, sine quibus ad doctrinam non paret aditus.

§. III.

De Definitione rei, quid et quotuplex sit, quæ ejus leges

Definitio rei est *Oratio explicans naturam rei per terminum designatæ.* Differt itaque a definitione *Nominis*, quod hæc solum designet, quam rem per terminum intelligamus, illa vero rem ipsam explicet (1). Quanquam enim aliquando, ut explicemus, quid nomine velimus, ipsam rei definitionem afferamus,

(1) Cicero in Topicis 26. — *Definitio*, inquit, *est Oratio, quæ, id, quod definitur, explicat quid sit* — et de Orat. c. 53. *Definitio est Oratio, quæ quid sit id, de quo agitur, ostendit quam brevissime.* — *Verum cum id, quod definitur, aut de quo agitur, vel* nomen, *vel* res *esse possit, latiori sensu hae Tullii Definitiones utrique aptari possunt. Quæ vero ab Auctore afferuntur, quid unicuique proprium sit, determinant.*

id tamen non semper fit: ut cum quis dicit, se hac voce, *Saturnus*, intelligere altissimum Planetam, figit quidem vagum nomen ad rem certam, non tamen ideo clare explicat hujus Planetæ naturam. Itaque definito nomine, res ipsa ei subjecta propria definitione explicanda est. Id fit, cum ideam obscuram duabus, aut pluribus notis, ac perspicuis exponimus; aut certe, si hæ adhuc obscuræ sunt, rursus resolvendæ sunt in alias clariores, donec ad primas omnibus perspicuas perveniamus.

Definitio rei dividitur in *essentialem*, *et descriptivam*. Essentialis est, *quæ rem explicat per principia ejus naturam constituentia;* at plerumque nos latent: res enim magna ex parte nobis solum innotescunt ex quibusdam externis dotibus, aut causis, unde in subsidium advocatur definitio descriptiva: illa est, quæ *rem explicat per quædam adjuncta;* his enim habetur aliqua rei clarior notitia, ut radix ex foliis, floribus, et fructibus innotescit.

Definitio essentialis est duplex. Alia dicitur *Physica*, *quæ rem explicat per partes Physicas*, materiam scilicet et formam: ut cum dico, homo est compositus ex corpore et anima rationali. Alia est *Metaphysica*, quæ *rem explicat per partes Metaphysicas:* hæ sunt Genus et Differentia, ut, homo est animal rationale. Dicuntur partes Metaphysicæ, quia non re differunt, ut anima et corpus, sed sola mentis abstractione distinguuntur, qui distinctionis modus Metaphysicæ et Logicæ proprius est.

Definitio *descriptiva* est triplex, *Propria, Accidentalis, Causalis*. Definitio propria dicitur, quæ *rem explicat per suas proprietates;* ut homo est animal politicum, scientiæ capax. Definitio accidentalis est, quæ *rem explicat per varia accidentia*, (1)

---

(1) *Seu, ut aliis placet, per* adjuncta, *vel per communes* affectiones. *Hic definiendi modus, cum descriptio potius, et adumbratio quædam sit, quam vera, et germana definitio; apud Rethores ad rem amplificandam, aut minuendam latissime patet, et vix certis finibus coerceri potest. Præcipue tamen veniunt definitiones 1° per* congeriem *tum communium, tum propriarum affectionum in unum veluti collectarum, ut illud Virgilii supra in textu relatum*, Monstrum, horrendum etc. *2° per* similitudinem, *et* dissimilitudinem. *3° per* exemplum, *ut cum di-*

quæ quidem singula conveniunt aliis, at juncta soli definito; hac ut liberiori utuntur Rhetores, minus Philosophi: sic Virgilius definit Polyphemum.

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,
Trunca manu pinus regit et vestigia firmat.

Definitio causalis est, quæ *rem explicat per causas extrinsecas.* Finalem scilicet, Exemplarem et Effectricem; ut: *homo est animal ad imaginem Dei factum propter beatitudinem.* Tonitru est fragor *editus ab accenso halitu intra nubem densam sese convolvente.* Febris est calor *præter naturam in corde accensus, ad alias inde partes refusus*, ad debellandum humorem noxium.

Regulæ definitionum quatuor tradi solent. 1. Ut *sit clarior definito*, id est, ut ideis notioribus constet, alias illud non explicabit. 2. Ne *sit superflua, aut diminuta;* superflua enim mentem onerat et confundit, diminuta vero non satis instruit. 3. Ut *constet genere, et differentia;* his enim velut finibus essentia rei continetur. Genus vero debet esse proximum, quantum fieri potest: unde illa minus exacta est, homo est vivens rationale; illa exactior, est animal rationale. 4. Ut *convertatur cum definito, seu, ut de definitione dici possit, quidquid de re definita dicitur, et e contra:* definitio enim est ipsum definitum clarius explicatum; intellige tamen de prædicatis primo intentionalibus, non

---

co, corpus est ut lapis. *4° per metaphoram, et analogiam; ita Horatius definit mortem*, ultima linea rerum, *et Ovidius somnum*, Imago mortis. *5° per antonomasiam, ut cum Horatius, dicit* Belli Trojani scriptorem, *intelligens* Homerum: *et Theologi cum nominant simpliciter* Apostolum, *indicant* D. Paulum. *6° per contrarium, ut cum* virtus *definitur, est* vitium fugere. *7° per negationem. D. Th. 1. p. q. 33. a. 4.* Prima: *inquit, et* simplicia *(idest perfectissima, et imperfectissima)* per negationem notificantur. — Sic D. Augustinus in Ps. 85. Dei, (qui omnium simplicissimus, ac perfectissimus est,) hanc affert Definitionem. — *Terram cogitas? non est hoc Deus. Mare cogitas? non est hoc Deus. Omnia quæ sunt in mari, quæ volant per aerem? non est hoc Deus. Quidquid lucet in cælo, stellæ, sol, et luna? non est hoc Deus. Angelos cogitas? Virtutes, Potestates, Archangelos, Tronos, Sedes, Dominationes? non est hoc Deus. Et quid est? Hoc solum dicere potui*, — quid non sit. —

de secundo intentionalibus; non enim de definito dicitur, quod sit modus sciendi.

Dices. Nihil definiri potest per se ipsum; sed hic definita fuit definitio per se ipsam: ergo male definita est. Major patet ex regulis; idem enim non est clarius seipso. Minor probatur. Definitio definita est per definitionem: ergo per seipsam.

Resp. Negando Minorem. Ad probationem distinguo antecedens. Definitio definita est per definitionem eodem modo sumptam nego; sub diverso modo, concedo. Definitio itaque duobus modis sumitur; primo pro terminis definientibus; secundo pro dispositione terminorum in modum Orationis illius, quæ a Logicis *definitio dicitur*. Nos hic definitionem hoc posteriori modo sumptam, non per se ipsam, sed per terminos eam explicantes definimus; eos tamen etiam in modum definitionis disposuimus, quia hæc instrumenta mentis non solum ad alia, sed etiam ad se ipsa intelligenda inserviunt: mens enim est supra se ipsam reflexiva, nec alia tantum, sed et seipsam cognoscit; quo fit, ut, hæc mentis instrumenta non modo aliorum, sed etiam sui ipsius cognitionem juvent. Sermone loquimur de ipso sermone, argumentamur de argumentatione, dividimus divisionem, propositionibus explicamus naturam propositionis: sic definitionem terminis in modum definitionis dispositis definimus.

ARTICULUS TERTIUS

DE DIVISIONE

Divisio claritatis parens, memoriæ dux, scientiarum œconoma, tanti momenti est, ut Socrates in Phœdro dixerit: *Si nactus fuero ducem, qui recte partiri sciat, ejus ego vestigia ut Dei cujusdam sequar.* Circa illam tria quæri possunt; primo *quid sit;* secundo *quotuplex sit;* tertio *quæ sint ejus leges.*

Quantum ad *primum*, Divisio definitur *Oratio explicans rem per partes*, seu totum distribuens in suas partes; totum enim est magis confusum, unde, ut explicetur, distinguendum est in partes: hæc igitur oratio, in qua fit talis distinctio, vocatur *Divisio.*

Quantum ad *secundum*, cum divisio resolvat totum in partes, juxta diversitatem *Totorum*, erit etiam diversitas divisionum; unde quia triplex est totum, scilicet *actuale*, *potentiale*, et *accidentale*, triplex quoque assignatur divisio, *actualis* scilicet, *potentialis*, *et accidentalis* (1).

Divisio actualis est, *quæ totum dividit in partes, ex quibus actu constat*, seu quas de facto in se habet; sive illæ partes sint *physicæ*, ut cum dico: hominis alia pars corpus, alia anima; sive *metaphysicæ*, ut cum species dividitur in genus, et differentiam; ut: hominis alia pars animal, alia rationale; sive *integrantes*, id est, ex quibus ita totum constat, ut sine qualibet illarum concipi possit, saltem imperfectum; ut dum corpus dividitur in caput, manus, pectus, etc.

Divisio potentialis est, *quæ distribuit totum potentiale in partes, quas sub se continet*, seu quæ dividit universale in sua particularia; nam universale est quasi totum aliquod continens sub se plura particularia, ut animal continet sub se hominem, pisces, aves, etc. Hæc divisio duplex est, *univoca* scilicet et *analoga*. Univoca est, *quando totum potentiale eodem modo convenit suis inferioribus:* sic animal dividitur in terrestre, aquatile et amphibium. Divisio Analoga est, *quando totum potentiale non convenit eodem modo suis inferioribus, sed solum per quandam proportionem;* ut dum caput, dividitur in caput hominis, montis, et libri; caput enim non dicitur eodem modo de capite hominis et de capite montis, aut libri.

Divisio *accidentalis* est, qua vel subjectum dividitur in sua accidentia; ut, homo in album, et nigrum: vel accidens in sua subjecta; ut album in nivem, papyrum et lac; vel demum accidens in accidentia; ut, album, in amarum et dulce.

Regulæ divisionis quatuor sunt. Prima, *ut divisum sit majus qualibet parte dividente:* unde mala hæc est divisio: *anima-*

---

(1) *Alii* Totum *dividere amant in Logicum, Metaphysicum, Physicum, et Mathematicum; sed res in idem recidit, et in triplici divisione in textu data includuntur. Nam* totum *Physicum, et Metaphysicum, et Mathematicum quod etiam* integrale, *et* quantitativum *ab Scholasticis appellari solet, in* Toto actuali *includuntur. Logicum autem idem est ac* potentiale.

lium aliud rationale, aliud sensitivum; quia sensitivum æquatur animali; nam omne animal est sensitivum.

Secunda, *ut totum divisum adœquetur membris dividentibus simul sumptis, et membra dividentia toti;* unde mala est hæc divisio: Terra dividitur in *Europam*, *Asiam*, et *Africam*; nam præterea datur alia pars, scilicet *America.*

Tertia, *ut membra dividentia se aliquo modo excludant;* unde ista divisio non est bona: Terra dividitur in *Europam*, *Asiam*, *Africam*, *Americam* et *Galliam*; quia Gallia includitur in Europa.

Quarta, ut divisio *sit brevis*, quantum fieri potest: id est, paucis membris contenta. Addi etiam potest, ne *sit nimia;* nam dum ad minutiora descendit, mentem confundit: *Confusum enim est, quidquid in pulverem sectum est.*

ARTICULUS QUARTUS

DE ABSTRACTIONE

Ea est humanæ mentis angustia, ut rem tantisper compositam uno conspectu distincte percipere non valeat; hinc cogitur, non solum eam in partes, si quas habeat, dividere, sed etiam sæpe unam rei partem in varios conceptus distinguere, quorum quemlibet seorsim ab alio considerando distinctius percipiat: hæc distincta consideratio, *abstractio* dicitur; ut cum in homine diversos gradus mente distinguimus, quod homo est, quod animal, quod vivens, quod compositum ex elementis, quod substantia, quod ens. In auro, quod fulvum, quod ponderosum, quod ductile; easque notitias ab aliis divulsas per se seorsim expendimus.

Abstractio præcipue *triplex* est. Prima est *abstractio formæ a subjecto, seu materia.* Locum habet in concretis; concretum enim duo importat, formam, et subjectum; ut justus dicit justitiam, et id, quod eam habet. Hæc tam diversa uno intuitu confuse solum intelligi possunt; itaque subjectum seponimus, solam formam attendimus, eam, quasi solitaria subsisteret, consideramus. Hac abstractione communiter scientiæ [illegible] et Lo-

gica solam formam syllogismi spectat; Moralis formam virtutis; Mathematica quantitatem. De subjectis, quibus insunt res hujusmodi, parum curant.

Secunda est *abstractio notionis universalis a particulari:* universaliora enim sunt notiora intellectui; et ideo secernuntur a particularibus, ut ab iis incipiens cognitio ad penitiores differentias facilius descendat: ut Physica primo ens mobile in communi, et Moralis virtutem in genere considerat; deinde ad eorum differentias et species fit progressus.

Tertia est *abstractio attributi ab attributo, cui in subjecto junctum est;* cum scilicet mens in eadem re varia distinguit attributa, quæ seorsim considerat: ut Theologus in Deo distinguit simplicitatem, bonitatem, unitatem, infinitudinem, immutabilitatem, æternitatem, immensitatem, quæ omnia seorsim considerat; hæc dici solet *præcisio.* Duplex est, *Objectiva et Formalis.* Præcisio objectiva dicitur, *cum rationes mente perceptæ ita distinctæ sunt, ut una aliam in suo conceptu non includat;* tunc enim præcisio se tenet ex parte objecti, ut in homine præcisio objectiva est inter animalitatem et rationalitatem; non enim de conceptu animalitatis est rationalitas, licet reipsa in homine non distinguantur. Præcisio formalis est, *cum una ratio aliam in suo conceptu includit*; sic bonitas divina includit immensitatem, æternitatem, etc. non enim summa esset, si æterna et immensa non esset; attamen intellectus distinctis conceptibus has dotes percipit, ideoque non ex parte objecti, sed solum ex parte actus cognoscentis præcisæ dicuntur, quatenus in unam solam mens expresse intendit, aliis in ea inclusis minus attendit, quamvis eas non excludat; hæc præcisio etiam dici solet *per modum includentis et inclusi, et per modum expliciti et impliciti.* Una enim ratio ita ab alia præscinditur, ut tamen eam implicite includat: sic ens, unum, verum, bonum distinguuntur; sed de prima mentis operatione hactenus.

SECUNDA PARS
LOGICÆ MINORIS

DE JUDICIO ET PROPOSITIONIBUS.

Mens plures Ideas seorsim perceptas, ac suis terminis expressas invicem comparat, atque si idem sint, unam de alia affirmat; sin minus negat. Hæc secunda mentis operatio *Judicium* dicitur, cujus objectum est *Propositio.* De illa quatuor articulis agemus; primus erit de *natura* propositionis; secundus de *divisione* propositionum; tertius de *proprietatibus* propositionum; quartus de *recto* propositionum *Judicio.*

ARTICULUS PRIMUS

QUID SIT PROPOSITIO, UBI DE ORATIONE, NOMINE, ET VERBO.

Propositio definitur *Oratio enunciativa unius de alio;* vel Oratio *significans verum, aut falsum.* Prima definitio est *essentialis;* nam in eo sita est essentia Propositionis, ut per eam enuntiemus, quid nobis de re videatur, unde ab Aristotele dicitur *Interpretatio*, quia latens animi judicium explicat. Secunda vero definitio est *descriptiva:* nam ex eo, quod propositio enuntiet unum de alio, sequitur, ut vel vera sit, si res ita se habet, ut dicitur; aut falsa, si aliter sit, ac dicitur.

Ex his sequitur, propositionem constare semper *duobus saltem terminis,* ac præterea *copula* illos conjungente; cum enim unum de alio enuntiet, in ea debet esse terminus, de *quo aliquid enuntiatur*, qui dicitur *Subjectum;* et terminus, qui de alio enuntiatur, qui *Prædicatum* vocatur; et demum copula, *quæ utrumque conjungat,* et sit nota judicii nostri. Aliquando tamen

hæc omnia una voce exprimuntur, ut cum dico *Amo*, ea voce judicium integrum exprimitur, et Propositio continetur; at sensu tamen discreta sunt; hunc enim ea vox sensum facit, *Ego sum amans.* Termini Propositionis dicuntur *Nomina*, Copula vero dicitur *Verbum*, compositum ex his dicitur *Oratio;* unde hic aliquid dicendum de *Nomine, Verbo, et Oratione.*

Nomen definitur *vox significativa ad placitum sine tempore, cujus nulla pars separata significat, finita et recta;* ut Deus, Virtus, Homo. Quatenus est *vox significativa ad placitum*, convenit cum aliis partibus Propositionis. Additur *sine tempore*, ut distinguatur a Verbo, quod significat cum tempore; ut *amo, amavi.* Dicitur *cujus nulla pars separata significat*, ut distinguatur ab Oratione, quæ constat vocibus separatim aliquid significantibus. Additur *finita*, ut distinguatur a terminis infinitis; ut: non homo, non virtus, quæ simpliciter nomina non censentur. Additur *recta*, ut distinguatur a nominibus obliquis; ut: *Catonis, Virtutis*, quæ non sunt proprie nomina, sed casus nominis.

Verbum est vox *significativa ad placitum cum tempore, cujus nulla pars separata significat, finita et recta;* ut: *lego, legi, legam*, significant cum tempore. *Finita* dicitur, ut excludatur infinitivum verbi, quod nullum tempus determinat; ut: *legere, currere. Recta*, ut casus verbi excludantur; ut: *amarem, amaverim.*

Verbum significat *cum tempore*, quia est nota existentiæ, aut actionis, seu exercitii essendi, aut agendi, quod tempore mensuratur. Nomen significat *sine tempore*, quia rem præcise significat ab omni existentia et actione sejunctam; ut: *Virtus, Deus*, præcise rem significant.

Duplex est verbum *substantivum, et adjectivum.* Substantivum præcise *esse* significat, et est unicum, nempe *sum, es, est.* Adjectivum aliquid exprimit ipsi *esse* adjectum; ut: *curro* idem est, ac *ego sum currens.*

Oratio est *vox significativa ad placitum, cujus partes separatæ significant;* ut: homo est animal: utinam Deo fruerer! Significant, inquam, eo modo, quo in toto significabant, nam ut partes nominum quorumdam separatæ significant, ut *Dominus, Do-Minus*; at non eo modo, quo junctæ.

Duplex est Oratio. *Perfecta*, quæ *aliquid perfecte exprimit*; ut: Omnis avarus est crudelis. *Imperfecta*, quæ *animum tenet suspensum*; ut: *quos ego, si dixerim.*

Oratio perfecta est quintuplex, *Indicativa* (1), ut homo currit. *Imperativa*, ut, esto vir bonus. *Optativa*, ut, utinam saperetis! *Interrogativa*, ut, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Deprecativa*, ut, Miserere mei, Deus. Sola *indicativa* pertinet ad Logicam, quia judicium nostrum exprimit; cæteræ affectus denotant, ideoque ad Rhetores pertinent (2).

ARTICULUS SECUNDUS

DE VARIIS PROPOSITIONUM DIVISIONIBUS

Propositio duobus modis spectari potest. Primo secundum se; deinde quatenus ei aliquid admiscetur, ex quo variationem ha-

---

(1) *Eadem est, ac* enunciativa.

(2) Hujus divisionis rationem afferens D. Th. *(1. Perih. lect. 4.)* — *Intellectus*, inquit, *vel ratio non solum concipit in seipso veritatem rei tantum, sed etiam ad ejus officium pertinet secundum suum conceptum alia dirigere et ordinare; ideo necesse fuit, quod sicut per* enunciativam *orationem significatur ipse mentis conceptus; ita etiam essent aliquæ aliæ orationes significantes ordinem rationis secundum quam alia diriguntur. Dirigitur autem ex ratione unius hominis alius homo ad tria. Primo quidem ad attendendum mente; et ad hoc pertinet* Vocativa *Oratio. Secundo ad respondendum voce; et ad hoc pertinet* Interrogativa. *Tertio ad exequendum in opere; et ad hoc pertinet, quantum ad inferiores oratio* Imperativa; *quantum autem ad superiores Oratio* Deprecativa; *ad quam reducitur Oratio* Optativa; *quia respectu superioris homo non habet vim motivam, nisi per expressionem sui desiderii . . .* Dubitativa *autem ad* interrogativam *reducitur.* —

Ex allata D. Th. ratione, quæ præcipua, ac potissima est, totius humanæ eloquentiæ artificium, vim et fundamentum trahit; nam qui attente considerat, varia, atque multa præcepta, quæ a Rethoribus traduntur, ac ea præsertim, quæ de figuris vehementibus, *in quibus totam elocutionis virtutem reponunt nonnulli, ad hasce Orationis species veluti ad summa Capita, reducuntur.*

bet. Hic primum agemus de propositionis secundum se spectatæ divisionibus; tum vero de his divisionibus, quæ illi conveniunt ratione alicujus adjuncti.

§. I.

De divisione Propositionis secundum se spectatæ

In Propositione secundum se spectata quatuor sunt, *Materia*, *Forma*, *Quantitas*, *Qualitas*. Ex his quatuor capitibus quatuor divisionum modi oriuntur.

Propositio ratione *materiæ*, circa quam versatur, dividitur in *Necessariam*, *Contingentem*, *Possibilem*, *Impossibilem*. Necessaria dicitur, *cujus prædicatum ita convenit subjecto, ut ei non convenire non possit:* ut, Deus est æternus: Homo est animal rationale. Contingens est, *cujus prædicatum ita convenit subjecto, ut possit non convenire:* ut, Petrus loquitur. Possibilis, *cujus prædicatum potest convenire subjecto, esto non conveniat*, ut, omnes gallinæ sunt albæ; possunt enim esse tales, quamvis non sint. Impossibilis est, *cujus prædicatum subjecto repugnat:* ut Justitia est iniquitas.

Propositio ratione *formæ* dividitur in *affirmativam*, quæ *asserit unum de alio*, ut Deus est justus; et *negativam*, quæ *negat*, ut Deus non est mutabilis: ubi nota, negationem non continuo efficere propositionem negativam, sed solum si cadat supra copulam; unde hæ non sunt negativæ, sed affirmativæ; Deus præcipit non furari; homo est non lapis.

Propositio ratione *quantitatis* dividitur in *Universalem, Particularem, Singularem et Indefinitam*. Porro hæc quantitas attenditur penes subjectum; itaque propositio universalis est, *cujus subjectum afficitur signo universali, omnis, nullus;* ut omnis peccans est ignorans. Particularis est, *cujus subjectum afficitur signo particulari*, ut quidam pisces respirant: quidam pisces non respirant. Singularis est, *cujus subjectum aut singulare est, aut affectum signo singulari*, ut Plato docuit Athenis: hic homo est bonus. Indefinita dicitur, *cujus subjectum nullo afficitur signo*, ut melancholici sunt suspiciosi: Cupiditas nullo contenta est.

Propositio ratione *qualitatis*, seu proprietatis suæ dividitur in *veram et falsam*. Vera est, quæ *res enunciat, ut sunt;* falsa, quæ *aliter, ac sunt;* nam ex eo quod res est, aut non est, Propositio dicitur vera, aut falsa.

§. II.

De divisione Propositionum ratione alicujus adjuncti, ac primo de Propositione simplici et composita

Ex adjuncto propositiones dividuntur primo in *Simplices*, seu *Cathegoricas; et Compositas*, seu *Hypotheticas;* secundo in *Exponibiles et Exponentes;* tertio in *Absolutas et Modales:* de prioribus hic dicemus, deinde de aliis.

Propositio simplex, seu categorica dicitur, quæ *constat uno prædicato, subjecto et copula;* ut: omnis avarus est miser. Nihil refert, an plures, paucioresve termini sint ex parte prædicati, aut subjecti, modo per modum unius prædicati et subjecti copula jungantur; ut hæc Horatii simplex est, *Raro antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo:* hæc enim una copula, nempe uno verbo junguntur, immo etiam si integræ propositiones, ut sæpe fit, ex parte prædicati, aut subjecti involvantur, non propterea desinit esse simplex propositio; ut illa ejusdem Horatii, *Beatus ille, qui procul negotiis, ut prisca gens mortalium, paterna rura bobus exercet suis, solutus omni fœnore;* nam copula *est* subaudita, cum prædicato *beatus* involutæ propositiones ad modum unius subjecti junguntur.

Simplex propositio una voce contenta dicitur de *primo adjacente*, ut illa, *curro.* Si verbum includat prædicatum solum, dicitur de *secundo adjacente*, ut Adam peccavit. Si subjectum, prædicatum et copula distinctis vocibus exprimantur, dicitur de *tertio adjacente*, ut hæc: Sol est lucidus.

Propositio composita est, quæ *pluribus simplicibus aliqua particula unitis constat:* ut eodem tempore Achab regnabat in Judæa, et Romulus Romam in Italia condebat: Pythagoras, docuit animas migrare de corpore in corpus, et non esse licitum vesci carnibus. Hæc etiam est composita: vita et mors in manu

linguæ; duas enim categoricas includit, nempe mors est in manu linguæ, et vita est in manu linguæ.

Propositio composita quintuplex est, *Conditionalis*, *Causalis*, *Copulativa*, *Disjunctiva*, *et Discretiva.*

Conditionalis est, cum *simplices propositiones uniuntur conditionali particula* si: ut illæ Christi: Si quis diligit me, sermonem meum servabit: Si non venissem, peccatum non haberent. Ut vera *sit*, sufficit, unum *sequi* ex alio, licet sæpe neutrum sit verum, ut in posteriori allata; proprie enim affirmatur utriusque nexus, at non alterutra propositio connexa.

Causalis est, quæ *duas simplices unit causali particula*, quia, eo quod; ut: superbit, quia dives est: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Falsa est, si antecedens non sit causa consequentis, licet utrumque verum sit; affirmat enim, unum esse causam alterius; ut ista falsa est: homo est rationalis, quia risibilis.

Copulativa est, quæ *plures simplices jungit particula* et; ut illa Ovidii, *Et genus, et proavos, et quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra puto.* Aliquando conjunctio non exprimitur, sed subintelligitur, ut in illa Horatii, *Sperat in fastis, meluit secundis, alteram sortem bene præparatum pectus:* ut vera sit, necesse est, omnes simplices esse veras; nam earum conjunctio affirmatur, vel negatur.

Disjunctiva est, quæ *simplices unit particula* vel, aut; ut illa Terentii; *aut amat, aut odit mulier, nihil est tertium;* ut vera sit, sufficit, alterutram debere esse veram, unde falsa est, cum inter duas disjunctivas est medium, ut illa Terentii absolute falsa est; nam potest mulier nec amare, nec odisse. Vera tamen est, ut in pluribus.

Discretiva est, quæ *unit duas simplices particula discretiva* sed, tamen; ut: non est doctus, sed tamen pius; non splendor natalium, sed virtus nobiles efficit.

§. III.

De Propositione exponibili et exponente

Propositio exponibilis dicitur, quæ *voce simplex videtur, cum reipsa sit composita;* ideoque per compositam explicatur, quæ dicitur ejus respectu *exponens.*

Quadruplex distingui potest, *Exclusiva, Exceptiva, Comparativa, Reduplicativa.*

Exclusiva est, cui *miscetur particula exclusiva* solum, tantum; ut: Virtus tantum laudanda est; hanc enim copulativam includit, Virtus laudanda est, et nihil præter virtutem est laude dignum. Particula exclusiva aliquando ex parte prædicati se tenet, et tunc cætera prædicata excludit a subjecto; ut: divitiæ solum ad usum parandæ sunt. Aliquando se tenet ex parte subjecti, et tunc excludit cætera subjecta a prædicato; ut: solus Deus æternus est.

Exceptiva est, quæ *afficitur exceptivis particulis* præter, nisi; ut illa Terentii: *imperitus, nisi quod ipse facit, id rectum putat.* Hanc exponentem includit; imperitus id, quod facit rectum putat, et ab aliis facta recta esse non putat.

Comparativa est, quæ *particula comparativa seu expressa, seu implicita afficitur;* ut, amicum perdere est damnorum maximum; hanc enim includit: amicum perdere damnum est, et aliæ jacturæ non ita damnosæ sunt.

Reduplicativa Propositio est, cujus *subjectum particula reduplicante afficitur*, quatenus, inquantum, ut, secundum quod; ut: Prudens quatenus prudens bonus est: Artifex ut artifex non peccat in opere. Sed notandum, aliquando particulas illas sumi *reduplicative*, aliquando *specificative tantum:* sumuntur reduplicative, cum subjectum *est propria causa formalis*, aut *efficiens prædicati;* ut: Prudens quatenus prudens omnia ordinate agit: Ignis ut ignis comburit; at si *subjectum non sit propria ratio prædicati, eam tamen aliquo modo includat, puta, quia est ejus quædam species, aut proprium subjectum*, tunc particula reduplicans sumitur specificative; ut: Homo quatenus homo sentit. Id verum est specificative, nam licet homo non sit pro-

pria ratio sentiendi, eam tamen includit; at in sensu reduplicativo falsum est, nam homo non sentit, quia homo, sed quia animal. Hæ etiam falsæ sunt in sensu reduplicativo, veræ in sensu specificativo: Homo ut homo videbit Deum: Homo ut homo virtute perficitur: Corpus ut corpus corrumpitur: Justus ut justus peccare potest.

§. IV.

De Propositione absoluta et modali

Propositio absoluta dicitur, quæ *simpliciter enuntiat prædicatum de subjecto:* ut, omnis avarus est miser. Modalis vero dicitur, quæ *exprimit modum, quo prædicatum connectitur cum subjecto:* ut, necessarium est, avarum esse miserum; unde in modali propositione duo distinguenda sunt, *dictum et modus.* Dictum vocatur *propositio absoluta in modali inclusa:* ut in illa relata, avarus est miser, est *dictum*; necessarium vero est *modus.*

Quatuor sunt hi modi: *necessario, contingenter, possibiliter, impossibiliter;* unde quatuor sunt species modalium; ut: homo necessario est rationalis: homo contingenter est bonus: homo possibiliter est malus: homo impossibiliter est Angelus.

Porro hi modi dupliciter exprimi possunt: vel *nomine;* ut, necessarium est, hominem mori: vel *adverbio;* ut homo necessario moritur. Modalis, in qua modus nomine exprimitur, dicitur esse *sensus compositi;* conjungit enim subjectum ut jacet cum prædicato; ut illa, possibile est justum esse malum, innuit fieri posse, ut quis sit simul justus et malus; at vero modalis, in qua modus adverbio exprimitur, dicitur esse *sensus divisi*, ut illa, Justus est possibiliter injustus, non videtur affirmari fieri posse, ut quis simul sit justus et injustus; sed solum, ut qui nunc justus est fieri possit injustus amittendo Justitiam: unde exacte loquendo prima falsa est, posterior vera; attamen utraque melius in usu distinguitur, ne contentio sit de modo loquendi: et sive quis dicat, possibile esse, justum esse injustum, sive justum, esse possibiliter injustum, dicendum, id verum esse in *sensu diviso*, falsum in *sensu composito.*

Circa propositiones modales quædam notanda sunt; 1. In modalibus compositis *modus* semper est prædicatum, *dictum* vero est subjectum; nam modus enuntiatur de dicto. Nec refert, quod *modus* prior sit ordine: non enim in propositionibus semper præit subjectum; nec ordine, sed sensu judicandum est, quis terminus sit prædicatum. Ille, qui de alio dicitur, semper est prædicatum, quocumque ordine proferatur, ut in istis: Lex divina præcipit non occidere: Magnus quæstus est pietas cum sufficientia: Turpe est, obsequi libidini. *Non occidere, pietas, obsequi libidini*, sunt subjecta; licet postponantur.

2. Modales compositæ videntur omnes esse singulares; hæc enim propositio, quæ est subjectum, se habet ut aliquid singulare, de quo modus prædicatur; ut in illa: Necesse est, omne peccatum aut a te, aut a Deo puniri: hæc propositio est velut *dictum* singulare, de quo *necessarium* affirmatur.

Attamen attenditur in illis quidam proprius *modus* universalitatis et particularitatis, quatenus hi modi æquivalent signis universalibus; nam *Necessarium*, æquivalet *Omni; Impossibile* æquivalet *Nulli*; quia quod necessarium est esse, semper est; quod impossibile est esse, nusquam est. *Possibile* vero et *Contingens* æquivalent signo particulari; quod enim contingens et possibile est, aliquando est, aliquando non est.

ARTICULUS TERTIUS

DE PROPRIETATIBUS PROPOSITIONIS

Tres sunt proprietates propositionis, *Oppositio*, *Conversio*, *et Æquipollentia;* de illis agemus tribus paragraphis.

§. I.

De Oppositione

Oppositio definitur *affirmatio et negatio ejusdem de eodem*, seu repugnantia inter duas propositiones eodem prædicato et subjecto constantes: unde duæ conditiones requiruntur ad opposi-

tionem. Prima, ut utraque propositio sit ejusdem prædicati, et ejusdem subjecti; minima enim variatio prædicati, vel subjecti tollit oppositionem. Defectu hujus conditionis, illæ propositiones non sunt oppositæ: Omnis homo non est necessario albus; aliquis homo est contingenter albus; aliquis homo ægrotat hodie; nullus homo ægrotabit cras. Secunda conditio est, ut una propositio sit affirmativa, et altera negativa; unde istæ non opponuntur proprie: Omnis homo est justus; aliquis homo est injustus.

Oppositio est triplex, *Contradictoria*, *Contraria et Subcontraria.*

Oppositio contradictoria *est repugnantia inter duas propositiones*, *quarum una est universalis*, *et altera particularis*, *vel utraque singularis; una affirmativa*, *et altera negativa;* ut, omnis homo disputat; aliquis homo non disputat; Petrus est justus; Petrus non est justus.

Regula pro contradictoriis est, quod *nunquam possunt esse simul veræ*, *aut simul falsæ*, alias idem esset et non esset, quod est impossibile.

Oppositio contraria *est repugnantia inter duas propositiones universales*, *quarum una est affirmativa*, *et altera negativa;* ut, omnis homo est justus; nullus homo est justus.

Regula pro contrariis est, quod *nunquam possunt esse simul veræ*, *bene tamen simul falsæ.*

Ratio istius regulæ est, quia si duæ universales essent simul veræ, propositio quoque particularis contenta sub qualibet illarum esset vera, quæ cum sit contradictoria alterius contrariæ, sequeretur, duas contradictorias esse simul veras: ut si istæ sunt veræ, *omnis homo currit*, *nullus homo currit;* ista etiam erit vera, *aliquis homo non currit:* quæ cum sit contradictoria istius, *omnis homo currit*, duæ contradictoriæ erunt veræ. Attamen possunt esse simul falsæ, ut patet in istis: *omnis homo est albus*, *nullus homo est albus;* cum enim ex contrariis una affirmet, prædicatum convenire omni subjecto; altera vero dicat, prædicatum nulli subjecto convenire, fieri potest, ut prædicatum conveniat tantum alicui subjecto, et tunc utraque universalis erit falsa.

Oppositio subcontraria *est repugnantia inter duas propositiones particulares, quarum una affirmat, altera negat;* ut: aliquis homo est justus, aliquis homo non est justus.

Regula pro istis est, quod *nunquam possunt esse simul falsæ, bene tamen simul veræ;* ut patet in istis, *quidam homo est justus; quidam homo non est justus;* utrumque enim verum est. Ratio istius regulæ est, quia si duæ subcontrariæ essent simul falsæ, earum contradictoriæ essent simul veræ, quæ cum sint contrariæ, darentur duæ contrariæ simul veræ, quod ostensum est supra, esse impossibile.

Quidam addunt quartum genus oppositionis, quam vocant *Subalternam;* et est inter duas affirmativas, vel duas negativas, quarum una est universalis, et alia particularis; ut: omnis homo loquitur, aliquis homo loquatur; sed ista non est proprie oppositio, quia non est secundum affirmationem et negationem.

§. II.

De Æquipollentia

Æquipollentia est, ut vox ipsa indicat, *eadem vis, idemque sensus duarum propositionum ex æquivalentia signorum proveniens;* unde sicut quælibet propositio habet aliquam sibi oppositam, ita et æquipollentem; si enim addatur particula negativa, propositio fit æquivalens suæ oppositæ; ut ista: *omnis homo est justus;* si addam particulam negativam *non*, dicendo, *non omnis homo est justus;* fiet æquipollens suæ contradictoriæ, *aliquis homo non est justus.* Pro hujusmodi æquipollentiis traduntur tres regulæ.

Prima regula est. Propositio contradictoria, *si ei præponatur negatio, redditur æquivalens suæ contradictoriæ;* ut, *non aliquis homo est justus;* idem est ac, *nullus homo est justus.*

Secunda regula est. Propositio contraria, *si ei postponatur negatio, redditur æquivalens suæ contrariæ:* ut, *nullus homo disputat;* si postponas particulam negativam, dicendo, *nullus homo non disputat*, æquivalebit isti, *omnis homo disputat.*

Tertia regula est. Propositio subalterna, *si ei præponas et*

postponas particulam negativam, æquivalebit alteri subalternæ; ut ista: *aliquis homo disputat*, si adjungatur ante et post *negatio*, dicendo, *non aliquis homo non disputat*, æquivalebit isti: *omnis homo disputat.*

Ratio istarum regularum est, quod particula negativa destruit id, quod post se reperit: unde quando præponitur propositioni universali affirmativæ, destruit ejus universalitatem et affirmationem, redditque illam particularem negativam; quando vero postponitur signo universali, tunc relinquit ipsum in sua universalitate, et solum destruit affirmationem. Istæ autem regulæ, ut facilius memoria teneantur, hoc versiculo conclusæ sunt.

Præ, contradic: post, contra: præ, postque subalter:

Id est, Si vis reddere propositiones æquipollentes, negationem præpone contradictoriis; postpone contrariis; præpone, et postpone subalternis.

§. III.

De Propositionis Conversione

Conversio definitur *inversio Propositionis*, ita ut *retenta veritate, ex prædicato fiat subjectum, et ex subjecto prædicatum*; ut: *aliquis homo est niger: aliquod nigrum est homo.* Propositiones convertendæ possunt esse in quadruplici differentia. Aliquæ sunt universales affirmativæ; ut: *omnis homo est justus.* Quædam universalis negativæ; ut: *nullus homo est justus;* Quædam particulares affirmativæ; ut: *aliquis homo est justus;* Quædam particulares negativæ; ut: *aliquis homo non est justus.* Quælibet suo modo convertitur; unde

Triplex est Conversio, scilicet *simplex*, per *accidens*, et per *contrapositionem.*

Conversio simplex *est mutatio prædicati in subjectum servata eadem quantitate*, id est, *universalitate*, aut *particularitate;* ut: *aliquis homo est justus; aliquis justus est homo.*

Conversio per accidens *est mutatio prædicati in subjectum variata quantitate*, ita ut ex universali propositio fiat particularis; ut: *omnis homo est animal: aliquod animal est homo.*

Conversio per contrapositionem *est mutatio prædicati in subjectum mutatis terminis finitis in infinitos.* (Terminus infinitus est, qui afficitur particula negativa : ut, *non homo*, *non lapis)* Exemplum istius conversionis est : *omnis homo est animal: omne non animal est non homo.*

Regulæ conversionum tres sunt. Prima ; Propositio universalis negativa, et particularis affirmativa convertuntur *simpliciter:* ut, *nullus homo est Angelus : nullus Angelus est homo ; aliquis homo est justus ; aliquis justus est homo.*

Secunda regula est : Propositio universalis affirmativa convertitur *per accidens ;* ut, *omnis homo est animal : aliquod animal est homo.* Universalis negativa potest etiam isto modo converti ; ut, *nullus homo est lapis : aliquis lapis non est homo.*

Tertia regula est : Particularis negativa convertitur *per contrapositionem ;* ut *aliquis homo non est justus : aliquid non justum est non homo.* Universalis affirmativa etiam isto modo converti potest : ut, *omnis homo est animal : omne non animal est non homo.* Cæterum ut istæ regulæ facilius memoria teneantur, omnes comprehenduntur duobus versiculis.

fEcI *simpliciter convertitur*, EvA *per accid.*
AstO *per contrap. sic fit Conversio tota.*

In his versiculis nota quatuor vocales istarum trium vocum *FECI*, *EVA*, *ASTO.* Nam per *E* significatur propositio universalis negativa : per *I* significatur particularis affirmativa : per *A* significatur universalis affirmativa : per *O* significatur particularis nagativa, juxta istos versus.

Asserit A, *negat* E, *verum generaliter ambæ.*
Asserit I, *negat* O, *sed particulariter ambo.*

Sensus ergo priorum carminum est, quod universalis negativa, et particularis affirmativa, quæ designantur per *E*, et *I*, in voce *fEcI*, convertuntur simpliciter. At vero universalis negativa, et universalis affirmativa, designatæ per *E*, et *A*, in voce *EvA*, convertuntur per accidens. Demum universalis affirmativa, et

particularis negativa, designatæ per *A*, et *O*, in voce *AstO*, convertuntur per contrapositionem.

Circa modales, licet quidam varias et intricatissimas regulas fuse tradant, secutus tamen expeditiorem viam, dico, quod si sint divisæ, id est, si modus exprimatur *adverbialiter*, ut in illa, homo *contingenter* est albus, eodem modo loquendum est de illis, ac de absolutis. Si vero sint compositæ, id est, modus exprimatur *nominaliter*, ut in ista, *contingens est, hominem esse album*, in primis conversio non habet in eis locum, quia modus, qui se tenet ex parte prædicati, nullatenus debet variari. Ex oppositionibus vero sola contradictoria in eis reperitur, quia omnes istæ propositiones sunt quasi singulares; dum enim dico, *necessarium est, omnem hominem esse rationalem*, idem est ac si dicerem; hæc propositio, *homo est rationalis, est necessario vera.* In singularibus autem propositionibus sola oppositio contradictoria reperitur.

Cæterum præterea posset in illis attendi alia oppositio proveniens ex modis, qui, ut supra notavi, habent aliquam similitudinem cum signis: *Necessarium* cum *Omni*, *Impossibile* cum *Nullo*, *Possibile et Contingens* cum *aliquo;* unde *Necesse est esse*, *et Impossibile est esse*, sunt contraria: *Possibile est esse*, *et Possibile est non esse*, sunt subcontraria: *Necesse est esse*, *et Possibile est esse*, sunt subalterna, sicut *Impossibile est esse*, *et Possibile est non esse.* At vero *Necessarium est esse*, *et Possibile est non esse; Impossibile est esse*, *et Possibile est esse*, sunt contradictoria; unde si apponatur illis particula negativa, juxta prædictas regulas poterunt reddi invicem æquipollentia.

ARTICULUS QUARTUS

DE RECTO PROPOSITIONUM JUDICIO

Propositionum naturam, divisionem et proprietates nosse non tanti est; at in recto earum Judicio præcipua mentis perfectio, atque omnis sapientiæ summa consistit. Rem tanti usus et fructus, tum in scientiis, tum in negotiis ut expendamus, primo videndum, in quo sita sit hæc Judicii *rectitudo;* deinde *qui de-*

fectus ab ea nos abducant; postremo *qua via* hæc rectitudo possit haberi.

§. I.

In quo sita sit rectitudo Judicii

Rectum est, *quod suæ regulæ concordat;* unde rectum Judicium dicitur, quod suæ regulæ conforme est. Porro regula nostri judicii est cognitio rei judicandæ, seu, ut loquitur S. Thomas 1. p. q. 16. a. 2. forma, *quam de re intellectus apprehendit;* unde recte judicamus, cum juxta cognitionis, quam de rebus habemus, mensuram, judicia nostra temperamus, juxta illud Proverb. 12. *Qui quod novit loquitur, judex est justitiæ;* inique vero judicamus, cum vel de re ignota decernimus, vel ultra modum nostræ cognitionis judicia nostra promovemus; itaque ad rectitudinem Judicii duo requiruntur. Primo sufficiens examen rei, de qua judicandum est. Secundo commensuratio Judicii cum cognitione rei.

In primis præire debet examen, quo nobis propositio judicanda possit innotescere; nam in omni judicio valet hæc vulgata regula: *Qui inaudita parte altera, aliquid statuit, etsi æquum statuit, haud tamen ipse æquus fuit.* Unde licet quis verum judicet, non tamen recte judicat, si rem esse veram ignorat: ut, si judicarem astra esse in numero pari, forte id verum est; de re tamen adeo ignota non recte decernerem. Examen, inquam, sufficiens requiritur, quia æquale omnia non exigunt; quædam enim facilia et obvia sunt, quædam reconditiora et difficilia, quædam majoris momenti, alia tanti non sunt, ut nos diutius detinere debeant. Imprudens esset, qui de rebus abstrusis, aut magni momenti cito ac leviter decerneret; at morosus, qui facilibus et minutioribus eamdem curam impenderet. In agendis sæpe urgens et fugax occasio, tempus et locum prolixo examini præripit; at in speculativis nihil nos cogit ante maturam discussionem judicare: in illis ergo promptior, in istis sedatior, in omnibus æquata rei meritis discussio, quantum fas est, postulatur.

Præmisso examine, commensuratum cognitioni judicium est

ferendum; non enim æqualem omnium cognitionem etiam matura et diligens discussio nobis parit. Quædam certa et evidentia comperiuntur, alia tantum probabilia, quædam omnino incerta manent. Certis et evidentibus firmum ac constantem assensum debemus, probabilibus temperatum juxta motiva probabilitatis; incertis vero nullum; unde recte non judicat, qui vel fluctuat in rebus sibi certis et evidentibus, vel pertinacius adhæret probabilibus, vel incertis assentitur: hoc quidem omnes norunt, sed pauci in usu tenent. Mitto Academicos, Scepticos, Pyrrhonicos, qui evidentibus repugnare profitebantur; mitto Epicureos, quia sua insomnia ut veritatis oracula defendebant. Quam multi etiamnum robur ingenii putant, certa quæque inficiari! Quam plures, si quid sibi probabili ratiuncula persuaserint, illico dogma statuunt, cui repugnare nefas existimant! Quanti de rebus omnino incertis confidentissime decernunt!

At nunc dicendum, quo fonte hi defectus in nostra judicia profluant.

§. II.

De causis defectuum Judicii

Quatuor præcipue notari possunt. *1. Vitiosa terminorum perceptio. 2. Præcipitatio Judicii. 3. Præoccupatio. 4. Imaginatio et Sensus.* De vitiosa perceptione terminorum satis supra diximus, nunc de cæteris aliquid dicendum.

Præcipitatio *est Inconsultum de re non satis nota Judicium.* Hæc ex duabus causis fere oppositis oriri solet: aliquando ex levitate ingenii; interdum ex nimio ejus impetu; sunt enim levia quædam ingenia, quæ ut linguam, ita et animi sententiam cohibere diu nequeunt, moras maturæ discussionis non patiuntur, itaque aut nullo, aut levi præmisso examine decernunt: hoc vitio juniores passim laborant. At sunt quædam morosa quidem et gravia ingenia, sed nimii, ut ita dixerim, ponderis; hærent diutius in expendenda propositione; at semel inclinata non descendunt; sed suo pondere abrepta ruunt ultra metam; quidquid sibi tantisper persuasere, ut constans dogma propugnant, nec regredi possunt, sed proprio pondere magis ac magis suis decre-

tis infiguntur, conquisitis ac roboratis, quanta pollent mentis vi, rationibus, quibus ea defendant. Hoc vitium sæpe magna ingenia inficit; nec fere aliud hæreses ac sectas parere solet.

Præoccupatio, alia *est ex parte intellectus;* alia *ex parte voluntatis.* Præoccupatur intellectus præjudiciis. Sunt autem præjudicia, anticipata quædam judicia, quæ nobis ut certa, aut ætas, aut consuetudo, aut educatio, aut authoritas instillavit: horum pleraque vera esse possunt; at nonnulla falsa; itaque viri sapientis est ea nec temere respuere, nec clausis oculis sequi; sed ad stateram rationis expendere, ut certa et evidentia ab incertis et obscuris discernantur, alias ductum ex illis judicium periclitatur.

Præoccupatur voluntas suis affectibus, amore, odio, invidia, ira, pertinacia, superbia, etc. his præventa facile mentem excæcat, et ad falsa judicia inclinat: nam cum rectus ordo sit, ut affectus voluntatis regantur judicio mentis, e contra fere semper accidit, ut potius voluntas ad affectuum suorum normam judicia mentis inflectat. Hoc vitium late regnat in agendis; nam, ut vere dixit Aristoteles, *Ut quisque affectus est, talis ei finis videtur.* At serpit quoque in speculativis; afficimur sæpe nescio qua propensione ad aliquas opiniones, ab aliis abhorremus. Quæ placent, veræ, quæ displicent, falsæ facile videntur. Doctor, ubi sibi existimationem conciliavit, levibus rationibus etiam falsa persuadet; si vultu, gestu, verbis durioribus, aut aliquo alio nos offendat, etiam gravibus momentis assensum non obtinet. Quæ pulchre, vivide, pathetice, graviter, expedite dicuntur, vera esse putamus; quæ inornate, frigide, timide, difficulter, falsa aut dubia suspicamur. Contradicendi quoque prurigo, propriarum cogitationum nimius amor, alienarum contemptus, studium vincendi, pudor se retractandi, propensior animus ad aliquos authores, iniquior ad alios, novitatis amor, fastidium vetustatis, dum se judiciis immiscent, non mediocriter ea in transversum adigunt.

Imaginatio demum et Sensus varie judiciis nostris illudunt, quod iis mens sæpe utatur, non ut ministris, quorum defectus corrigere debet, sed ut amicis nuntiis, quibus nimium fidit, immo ut regulis, quibus rerum cognitionem metitur; hinc fit,

ut homines erga sensibilia propensiores in judicando sint, erga spiritualia iniquiores. Quod sensum vivide movet, magnum aliquid reputant; quod eo non percipitur, vix aliquid esse putant. Ædificiorum, sonorum, picturarum, corporum symmetriam stupidi mirantur; honestæ vitæ, virtutis, veritatis pulchritudine vix afficiuntur; morbum, dolorem, mortem horrent; errorem, peccatum, pericula salutis pro nihilo fere habent; pecuniæ damna lugent; Justitiæ, innocentiæ, gratiæ jacturam vix sentiunt; corporea, ut entia maxime solida censent; res spirituales, ut quid tenuissimum apprehendunt, aut certe corporeis affectionibus induunt, alioquin nihil pene fore timent. Est et alia fraus imaginationis, quæ fingendi docta, miro quodam cæcitatis genere laborat, ut scilicet ea, quæ sunt, non videat; ea vero, quæ non sunt, videat: nam si vivida, elegans, lucida, fœcunda sit, speciosos quosdam partus edit, ac loco rerum suppositos intuetur. Mens vana specie delusa hæc idola, ut Ixion nubes serio amplectitur, verisimilitudinis coloribus pingit, atque experientiis suffulcit; hinc nata illa fictitia Philosophiæ systemata, in quibus Mundus quidam imaginarius, loco veri supponitur. Hæc phantasmata cavere ac vitare, dum veritas quæritur, difficillimum esse merito notavit S. Augustinus lib. de vera Religione cap. 10. Sed de judiciorum defectibus hactenus; nunc dicendum, *qua via* possint vitari, atque rectitudo judicii obtineri.

§. III.

Sex regulæ ad rectum Propositionum Judicium observandæ

Prima: *Cum de propositione judicandum est, ante omnia termini, quibus constat, attente considerandi sunt; si obscuri et ambigui, definiendi; si confusi ac variis partibus compositi, distinguendi.* Videnda, quæ diximus de recta perceptione terminorum.

Secunda regula: *Perceptis terminis, si in idea subjecti prædicatum evidenter continetur, de illo constanter affirmandum est; si vero ei manifeste repugnet, constanter negandum.* Sic in idea totius evidenter pars et aliquid amplius continetur; in idea

effectus dependentia a causis; in idea entis oppositio cum nihilo et e contra; in idea æqualium exclusio inæqualitatis. Itaque constanter judicandum, totum esse majus parte: Effectum supponere causam; Causam totalem continere effectum; Nihilum non esse causam essendi; Quod non est, nec sibi nec aliis dare posse esse; Æqualia, si iis inæqualia addantur, non manere æqualia. Innumeræ sunt aliæ propositiones, tum in moralibus, tum in speculativis, quæ ex ipsis terminis recte perceptis, aut tantisper explicatis, statim veræ judicantur. Hæc dicuntur axiomata, prima principia, propositiones per se notæ, quarum cognitio *Intelligentia* vocatur, ex qua, ut ex primo fonte, omnis alia cognitio profluit, et ad quam, ut sit evidens, tandem resolvi debet; unde perceptio terminorum est præcipua omnis judicii regula, cui proinde primo ac præcipue insistendum.

Sed observandum, aliquando inter propositionis terminos clare perceptos relucere connexionem omnino necessariam; aliquando necessariam solum secundum communem naturæ cursum; aliquando vero necessariam ut in pluribus, licet non in omnibus. Connexio omnino necessaria est, cum prædicatum est de essentia subjecti; ut si sit ejus genus, aut differentia, aut modus inclusus in genere, vel differentia: sic in idea hominis continetur necessario animalitas, vita, corporeitas, substantia, quæ ad ejus genus pertinent; nec non rationalitas, quæ est ejus differentia; item modi in his inclusi, ut quod sit quid finitum, brutis excellentius, Angelis inferius, etc. Connexio vero solum necessaria secundum communem naturæ cursum est, cum prædicatum non est quidem de essentia subjecti, cum naturali tamen ejus conditione connectitur; sic in principiis hominis clare perceptis continetur, ut sit mortalis; ut semel extinctus iterum vivere nequeat; ut duobus oculis, duabus manibus constet; potest tamen sine his attributis absolute concipi, immo existere, sed tunc vis naturæ infertur. Connexio demum necessaria solum ut in pluribus est, cum subjectum ex naturali quadam propensione ferri solet ad prædicatum; quæ tamen aliquando etiam secundum ordinarium naturæ cursum deficit; sic omnis mater amat filios: mulieres sunt loquaces, timidæ, inconstantes: viri

fortiores, constantiores, taciturniores: dies æstivi sicci et calidi, vernales pluviosi et temperati, hyemales frigidi; ita enim communiter evenit, at non semper.

Hinc tres gradus certitudinis distinguuntur. Prima est *certitudo metaphysica*, cum impossibile omnino est, subjectum esse, aut concipi sine prædicato: hæc omnium maxima est et assensu firmissimo digna, qua præditæ propositiones proprie dicuntur *prima principia*. Secunda dicitur *certitudo physica*, cum prædicatum secundum naturæ cursum non potest non convenire, aut repugnare subjecto: hæc minor est priori, attamen et ipsa firmo, licet non tanto, digna assensu. Tertia dicitur *certitudo moralis*, cum scilicet communiter prædicatum convenit subjecto, ac potest tamen aliquando non convenire: hæc aliis minor est, nec in omnibus æqualis; moderatum ergo juxta probabilitatis suæ mensuram exigit assensum.

Tertia regula: *Si perceptis terminis, inter eos nexus, aut pugna evidenter non percipitur, cohibendus est assensus; donec ea connexio, aut repugnantia nobis aliunde innotescat;* ut in illa propositione: *Terra est rotunda*, non est evidens ex ipsis terminis aliqua repugnantia, aut connexio inter ideam terræ et rotunditatis; sustinendus ergo est assensus, donec aliunde id nobis sit exploratum. Porro tribus modis hæc connexio vel repugnantia potest nobis innotescere, *Ratione, Experientia, Auctoritate*, pro quibus statuendæ sunt regulæ.

Propositio nobis innotescit *Ratione*, cum ex aliis jam notis deducitur per discursum; tunc enim a nobis exigit assensum, quem antea non merebatur, attamen cum quadam cautione: unde

Quarta regula: *Omnis propositio ex terminis non evidens, si sequatur evidenter ex aliis evidenter notis, et ipsa quoque certa et evidens judicanda est; vero enim non connectitur nisi verum. At si sequatur solum ex probabilibus, et ipsa solum probabilis censenda est.* Sic cum idea peccati non connectitur evidenter punitio; attamen hæc connexio evidenter sequitur ex alia propositione per se nota, nempe ex illa, *Deus est justus.* Ex hac enim evidenter sequitur, omni benefacto præmium, omni malefacto pœnam ab eo rependendam, proindeque peccatum fore puniendum.

Verum non semper occurrunt propositiones omnino certæ et necessariæ, ex quibus evidenter sequatur ea, quæ nobis judicanda incumbit. Tum recurrimus ad probabiles, quæ scilicet non semper et in omnibus, sed ut in pluribus sunt certæ. Propositionibus ex illis deductis aliquem assensum debemus, at non firmum et constantem, sed libratum cum motivi probabilis verisimilitudine; ut: hanc mulierem amaturam filios suos, ex nulla propositione necessario vera possum colligere; sed tamen occurrit probabilis communiter vera, nempe, Omnis mater diligit filium; ex ea recte judico, probabilius fore, ut hæc quoque suos amatura sit. Sæpe tamen fit, ut utrinque concurrant motiva probabilia; tunc rectitudo judicii exigit, ut semota omni præoccupatione expendantur, atque omnibus ex æquo, et quantum fas est, accurate perspectis, eo potius flectatur statera judicii, quo eam major verisimilitudo inclinat; iniquum enim est iis potius assentiri, quæ minus vera videntur. Nec refert, quod forte quæ nobis minus vera apparent, in se vera sint, et e contra; nam veritas rei a nobis assensum non exigit, nisi quatenus nobis nota est: unde non ipsa in se, sed ejus cognitio est regula, quam semper in judicando sequi tenemur, et a qua vitiose deflectimus. Aliquando in eo probabilitatum concursu, motiva ex una parte adeo infirma sunt et pauca; ex alia vero tot et tanta, ut pene vim demonstrationis obtineant; tum dicitur proprie *certitudo moralis*, quæ nonnunquam tanta est, ut ad *physicam*, ac pene *metaphysicam* certitudinem pertingat, tumque et ipsa firmo et constanti assensu digna est.

Propositio nobis innotescit *Experientia*, cum sensuum testimonio confirmatur. Huic assensum debemus, sed intra certos fines moderatum; unde peccant, qui vel nullam, vel omnimodam fidem sensibus adhibendam putant (1): itaque statui potest.

---

(1) *Ex male intellecta humani compositi ratione, quæ duabus partibus, iisque intime conjunctis, anima, scilicet et corpore, exurgit, promanant tum antiquorum, tum recentiorum falsa et absurda systemata, quæ humanæ Intelligentiæ vim, ordinem, causas et originem, non explicant quidem, sed confundunt, ac pene destruunt. Sunt, ac etiam fuerunt, totius hu-*

Quinta regula: *Quæ sensibus secundum naturam rectæ dispositis, clare, uniformiter, ac distincte percipiuntur, certa judicari debent;* nam sensus nobis a Deo, qui non fallit, dati sunt non modo ad tuendam vitam, ut cæteris animantibus, sed etiam ad informandam mentem. Itaque eorum testimonium, secundum naturalem dispositionem latum, verax semper est, nec mentem fallit, nisi cum eo recte non utitur; unde nemo sanæ mentis abnuet, dari terram, solem, astra, ignem, aquam, animalia, etc. a sole terram illuminari, aliqua corpora deorsum tendere, alia sursum, aquam fluere in declive, attenuari in vapores, cogi in nubes, distillare in pluvias, et alia hujusmodi, quæ solo sensus testimonio constant.

Verum cavendum, ne mens judicium ex testimonio sensus latum ulterius promoveat, quam eam ducat evidentia sensus. Hic defectus duobus fere modis accidit. Primo, cum mens de rebus, quæ sub sensum non cadunt, ex sensibili experientia judicat; ut si quis judicaret, animam hominis post mortem aut nihil esse, aut aliquid admodum exiguum et vanum, quia nihil sensi-

---

manæ Intelligentiæ suppellectilem animæ tantum tribuentes, uti Platonici, ex quibus Idealistarum *propago, quæ nunc etiam suos habet sectatores, qui sensibus vim omnem ac fidem eripuerunt; vel si aliquam concesserunt, pene nulla est. His, de Harmonia præstabilita Leibnitii, de Causis occasionalibus Cartesianorum, de Visione Intellectuali in Deo Malebranchianorum, ac Gioberthianorum Systemata accensenda sunt. Alii e contra intellectum nostrum ita sensuum imperio subjugarunt, ut Intellectum ipsum cum sensu confundant, unde et* Sensistæ *dicti: quorum scientia* Experientia *sola, ac præter sensibilitatem,* nihil. *Atque iis adscribendi sunt, Lokiani, Condillachiani, et qui hac nostra ætate, pecudum more eos sequuntur. Individuum ergo humanum pro suo placito dividunt, ac discerpunt; et nedum, ut in rerum natura est, hominem considerent, fictitiis, ac phantasticis umbris depingunt. Sensibus itaque cum ad integritatem humani Individui, ex ipsa natura, seu melius ex Deo naturæ Auctore, necessario ac essentiali nexu ordinati sint, nec omnimodam fidem, nec omnino nullam, sed eam, quæ pro ratione objecti, et officii, sibi vindicant concedere debemus. Vid. 4. p. Physicæ q. 3. art. 2. de* sensibus externis.

bile amplius operatur. Non enim unum ex alio sequitur, nam licet evidens sit, ea esse, quæ sensus nostros movent, non tamen per sensum evidenter habemus, ea non esse, quæ sensum non movent, aut ea magis, minusve esse, quæ magis, minusve sensum movent. Ex hoc defectu, ut jam monui, et sæpius monendum est, manant iniqua nostra de rebus spiritualibus judicia. Alio modo fertur judicium, ultra sensus evidentiam, cum mens non satis examinat varia sensuum testimonia, sed ex uno, aut paucioribus leviter examinatis præcipitanter judicat; sic pueri et rudes homines Solem patella non majorem, astra candelis accensis æqualia judicant unico visus testimonio contenti; cum tamen vel pluribus visus testimoniis constet, longe majora esse debere, quam appareant; nam visu experimur, objecta eo minora videri, quo longius distant; atque eodem visus testimonio convincimur, Solem esse valde a nobis remotum, quæ distantia quanta sit, cum rudes non norint, si determinent, Solem tantulum esse, quantus iis apparet, vel ipso evidenti sensuum testimonio vitiosi judicii arguuntur. Peccant eodem modo etiam peritiores, cum ex aliquibus particularibus, sensu evidenter perceptis, universalem propositionem inferunt. Hoc vitium sæpe fallit in inductionibus et experimentis; quamobrem Hippocrates experientiam *fallacem* dixit, non vitio sensus, sed *præcipitatione* mentis, sensuum testimonio non sufficienter utentis.

Itaque sua certitudo sensibus constat, sed cum ratio iis, ut oportet, utitur, scilicet ut testibus veracibus quidem, sed non omnisciis; ut nuntiis rerum interiora non penetrantibus, sed aliquas a rebus impressiones, easque particulatim, ac varie pro sui et rerum dispositione haurientibus ac referentibus, quas examinare, conferre, librare, depurare mentis officium est, atque quid in iis evidens sit, quid confusum, quid occultum, quid consonum, quid dissonum, quid magis minusve exploratum, quid ex iis inferendum, quid refutandum, magna diligentia expendere. Sed hic cavenda, quam supra diximus, fraus imaginationis; ne scilicet in ea sensibilium impressionum collatione, non se rebus ipsa accommodet, sed res ipsas suis figmentis aptet. Itaque fræno rationis regenda est, ne sensuum impressionibus præcurrat, sed eas placide sequatur.

Propositio nobis innotescit *Auctoritate*, cum ab iis, qui eam norunt et veraces sunt, affirmatur. His sane assensum debemus, sed libratum cum eorum *lumine* et *veracitate;* unde judicium ex auctoritate ductum, ut sit rectum, certa regula dirigi debet, nec promiscue impendi: itaque sit.

Sexta regula: *Quod nobis constat testimonio alicujus, qui nec falli potest, nec fallere, magis certum judicari debet, quam si nobis in se foret evidens: etiam si id nos omnino superet; immo iis, quæ nobis nota sunt, videatur adversari. Quod vero constat testimonio eorum, qui quidem falli possunt et fallere, attamen quos in eo facto nec falli, nec fallere aliunde certum est, id itidem certum judicari debet, sed juxta mensuram hujus prioris certitudinis.*

Prima pars regulæ evidens est; nam cum nobis conscii simus, mentis nostræ lumen esse finitum, ac in plerisque deficere, potius æstimare debemus nos falli, quam eum, qui nec falli potest, nec fallere: unde omnia nobis a Deo, qui nec falli, nec fallere potest, revelata, certiora debemus judicare, quam si ea evidenter perciperemus: nec ab ea certitudine tantisper dimoveri, etsi captum nostrum superent, immo iis, quæ evidenter percipimus, videantur repugnare; non enim repugnant, sed ob luminis nostri tenuitatem connexio illa nos latet (1). Hoc quidem omnes norunt, at non semper usu tenent; hinc illæ in

---

(1) *Homini, ut ut inter omnia sensibilia præstantissimo, tum in cognoscendo, tum in operando peripheria quædam constituta est, quam si prætergredi quisque sua vi audet, umbras, ac tenebras palpat; si vero audacia, ac temeritate, nonnisi errores, absurda, ac delira. Optime D. Thomas:* in presenti *inquit* vitæ statu Intellectus humani objectum, quidditas rei materialis est, *in qua tota se exercent, tum sensibiles, tum intellectuales potentiæ. Sunt itaque infra naturalis cognitionis humanæ circuitum quædam imperfectissima, quæ in materiæ sinu quasi demerguntur; sunt et supra hominis captum alia perfectiora, quorum natura, ordo, æque ac nexus cum nostra scientia inspici minime possunt. Ideo nonnisi speciali Dei revelatione attinguntur. Non ergo ex intrinseca eorum repugnantia, sed ex tenuitate nostra oriuntur tot difficultates in* Mysteria Fidei, *quæ aliunde nullæ sunt*

rebus fidei fluctuationes, præsumptuosæ quæstiones, curiosæ inquisitiones, importunæ anxietates, errores speculativi in hæreticis, qui ex revelatis ea negant, quæ cum aliis aut revelatis, aut sibi notis repugnare censent; errores practici in malis Christianis, qui regulam fidei in agendis deserunt, ut propria judicia passionibus depravata sequantur.

Secunda regulæ pars respicit auctoritatem humanam. Homines sane falli possunt et fallere, at non semper id faciunt; itaque nec semper, nec nunquam illis tuto creditur. Examinandum ergo an in ea, quam nobis testantur, propositione fallant, aut fallantur. Falluntur defectu *luminis*, fallunt defectu *sinceritatis*: cum ergo aut eorum lumen, aut sinceritas nutat, eorum testimonium jure recusamus; at cum aliquid, quod eorum lumen non fugit, aut superat, referunt, eorumque sinceritas certo nobis constat, tum pro gradu hujus certitudinis propositio certa judicari debet. Itaque, cum multi, quos in mendacio convenisse possibile non est, aut pauci, quorum sinceritas suspecta non est, factum aliquod sibi exploratum testantur, æque certum judicandum est, ac si propriis oculis illud vidissemus: sic facta Romanorum a contemporaneis historicis narrata, tam nobis certa sunt, ac quæ apud nos hodie geri videmus. At si factum aut a paucis, iisque suspectis, aut a multis sinceris quidem, sed non contemporaneis, aut certe ab aliquo contemporaneo, cujus sinceritas non nutet, edoctis, referatur, dubium judicari debet. Sic Græcorum gesta contra Trojanos dubia sunt; ea enim ab Homero non contemporaneo, et ut Poeta plura fingente cæteri hausere.

Et quidem judicii ex auctoritate humana ducti regula in factis ita se habet: at paullo aliter in dogmatibus; nam fides hi-

---

ob auctoritatem Dei loquentis, qui nec falli, nec fallere potest. Errant ergo toto cœlo Rationalistæ hujus temporis, ac Pantheistæ qui in homine, *principium, ac fontem primum totius cognitionis constituunt; errant cum* rationem *habent uti* mensuram *cum qua Relevatio Divina repugnantiam habeat. Quod argumentum illud habet vitii, quod a Logicis* transitus de genere ad genus *appellatur. Mensura enim et mensuratum ejusdem generis esse debent.*

storiæ præcipue pendet ex auctoris sinceritate, minus ex præstantia ingenii. At in dogmatibus auctoritatis pondus non ita ex sinceritate, ut ex lumine testantis urget: unde in factis fidendum magis viro bono, quam docto; at in dogmatibus, magis viro docto, quam bono, licet et bonitatis ratio aliqua habeatur, præcipue in moralibus dogmatibus, quorum judicium prava voluntate corrumpi, recta juvari communiter solet. Itaque in dogmatibus ex auctoritate hominum judicandis sic procedendum videtur.

Primo. Dogma communiter receptum etiam apud eruditos, etsi propterea omnino certum statui non debeat, non est tamen convellendum, nisi evidenti ratione refutetur; hic enim generi humano a quolibet privato debetur honos, ut homines falli communiter facile non existimet, ac apud se reputet, illum tritum et verum, *Plura vident oculi, quam oculus.* Culpandi ergo, qui a communibus sententiis aliqua ratione probabili a se excogitata, etiam forte non contemnenda, abducuntur: laudandi vero, qui via trita incedunt potius, quam per diverticula, donec sint sufficienter explorata.

Secundo. Dogma a peritis in quavis facultate concorditer receptum, ut certum ab imperitis in ea facultate supponi debet; peritis enim in arte credendum est, nam in ea majori lumine pollent ob usum et frequentem rei considerationem. At cum periti dissentiunt, utrorumque nutat auctoritas, dubiumque dogma censendum ei, qui nondum rationes ipse expenderit.

Tertio. Sapientium primæ classis sententiis, etiam unius, aut alterius, ut Sanctorum Patrum, summorum Philosophorum ac Theologorum, multum semper deferendum est; nec facile respuendæ sunt, etiam si a nobis non satis capiantur. Nam æquitas exigit, ut nos potius, quam illa summa ingenia, falli reputemus. Nec placet, quod ajunt quidam, non nisi cæcum alienis oculis videre; nam et oculatum oculatiori magis, quam sibi fidere convenit. At si evidenti ratione, aut certa et satis explorata experientia falsitatis convincantur, viri modesti est, æstimare, eos forte non ita sensisse, ut vulgo putatur, ac benignius, quantum fieri potest, eorum verba et sensum interpretari. At si expositioni non sit locus, manifestum est, evidentem rationem,

aut experientiam cujusvis hominis auctoritati in scientiis naturalibus esse præferendam; nam et maxima ingenia non omnia vident.

Ex his habetur, quod ante statuimus, generalem regulam judiciorum esse *evidentiam*, seu perspicuam rei cognitionem, a qua, ut rectum sit judicium nostrum, nunquam debet recedere, sed eam exacte sequi. Neque vero ab ea recedimus, dum probabilitatem, aut auctoritatem juxta jam positas regulas sequimur; licet enim propositio probabili, aut probabiliori ratione fulta, non sit evidenter vera, est tamen evidenter probabilis, proindeque qui eam talem censet, ab eo, quod sibi evidens est, non recedit. Propositio vero auctoritate nixa, licet non sit nobis evidens, attamen si sufficienter nobis constent, ejus, qui illam testatur, *lumen*, et *sinceritas*, evidenter fide digna est, majori, aut minori, prout magis, aut minus certa nobis sunt hæc duo, quibus assensus ex authoritate ductus nititur. Sed de *Judicio et Propositione* hactenus.

TERTIA PARS
LOGICÆ MINORIS

DE DISCURSU ET ARGUMENTATIONE.

Tertia mentis operatio est Discursus, quo ex uno, aut pluribus judiciis jam notis, aliud ignotum cum iis connexum inferimus. Pars illata, *Consequens;* ex qua hæc infertur, *Antecedens;* Oratio vero, in qua id fit, *Argumentatio* dicitur. Hæc mentis operatio, ut recta sit, duo supponit, et unum sibi proprium exigit. Supponit primo, ut termini, quibus constat argumentatio, sint clare ac distincte percepti; nam sunt ejus elementa, quorum vitium in ipsum compositum redundat. Supponit secundo, ut propositiones, ex quibus alia infertur, sint recte judicatæ; sunt enim mensura judicii de conclusione ferendi, quod proinde rectum non erit, si regula ejus deficiat. At Discursus ut sibi proprium exigit legitimum nexum conclusionis illatæ cum iis, ex quibus infertur; etsi enim veræ sint præmissæ, non est censenda vera conclusio, nisi evidenti nexu ex illis sequatur. De recta perceptione terminorum in prima parte egimus; de recto propositionum judicio in secunda: itaque ad dirigendam hanc tertiam mentis operationem solum superest, ut agamus de recta ratione conjungendi unam propositionem cum aliis, in qua Argumentationis natura consistit. Id exsequemur sex articulis. Primus erit ille de nexu, seu de Argumentatione in genere, *quid* sit, *quotuplex* sit, quæ ejus *regulæ*. Secundus de præcipua Argumentationis specie, nempe *Syllogismo*. Tertius de variis *modis* et *figuris* syllogismorum. Quartus de *probatione* et reductione syllogismorum. Quintus de *inventione medii* syllogistici. Sextus de *fallaciis* syllogismorum.

ARTICULUS PRIMUS

QUID ET QUOTUPLEX SIT ARGUMENTATIO IN GENERE, ET QUÆ EJUS REGULÆ

Argumentatio in genere est *Oratio, in qua unum ex alio infertur.* Porro ex aliquo infertur, quod in eo continetur; unde juxta modos, quibus unum judicium in alio continetur, variæ sunt argumentationis species. Tribus autem modis unum judicium continetur in alio. Primo, ut *Simile* in *simili*; nam in similibus est eadem ratio, idemque proinde judicium. Secundo, ut *Universale* in suis particularibus; nam omnia particularia conjuncta continent universale. Tertio, ut *particulare* sub universali; quodlibet enim particulare sub suo universali continetur, ut Homo sub animali.

Hinc tres Argumentationis species distinguuntur, *Exemplum, Inductio, Syllogismus*, sub quo continentur *Enthymema, Sorites, Epicherema, et Dilemma.*

Exemplum est *Argumentatio, in qua ex simili simile infertur*; ut: Vinum, et ebrietas perdiderunt Alexandrum: ergo et te perdent, si illis indulgeas. Amor profanus seduxit Davidem et Salomonem, viros adeo sapientes: ergo et seducet te, si illi impliceris. Hoc argumenti genus præcipue valet in moralibus, et apud plebem; nam exempla trahunt, et rem sensibili quadam specie ob oculos ponunt; unde Christus eo maxime utitur, (venerat enim ut abscondita prudentibus et sapientiam revelaret parvulis) ut Matth. 16. *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; et Pater vester cœlestis pascit illa: Nonne vos magis pluris estis illis?*

Inductio est Argumentatio, in qua ex *particularibus sufficienter enumeratis universale colligitur*; ut: Alexander Magnus vicit ad Granicum, ad Issum, ad Miletum, ad Arbelam, etc. ergo ubique victor exstitit. Hæc vitiosa est, si partes omnes non enumerentur; unde a singularibus ad speciem ut plurimum deficit inductio, quia singularia non sunt nobis nota: ut si quis lepores omnes esse griseos colligeret, quia nullos alios vidit; nam et alterius coloris esse possunt nobis invisi, immo in frigi-

dissimis plagis albi existunt. Hoc vitio frequenter peccant homines; cum enim singula examinare tædiosum sit, ex paucis particularibus universale statim colligunt: ut, injuriam passi ab aliquibus judicibus, statim conclamant, omnia tribunalia esse corrupta; quosdam Ecclesiæ ministros vitiis deditos ubi vident, labem toti Ordini inurunt. At quod mirum, id in malo communiter, vix in bono contingit; nam si quos in aliquo statu bonos vident, non ideo in genere statum illum laudant. Nihil iniquius his judiciis, at nihil inter homines frequentius. A speciebus ad genus tutior est inductio; nam species omnes facilius nosse possumus: ut, cum colligimus nullum numerum esse infinitum, quia nec par nec impar numerus est infinitus; non enim esse potest nec par, nec impar. Itaque inductione caute utendum, nec ex particularibus temere inferendum universale, antequam ea sit accurate examinata, aut certe ex notis constet, eandem currere rationem de ignotis; ut, tuto colligo, lapides omnes deorsum tendere, ex eo quod plures cadere viderim, quia in hoc est eadem omnium ratio; sunt enim omnes terrenæ substantiæ. Hujus generis inductione nituntur axiomata physica: exploramus experientia plurium particularium connexiones naturales prædicatorum cum subjectis, quæ connexio ubi satis explorata est, fundat physicam certitudinem *axiomatis* universalis.

Syllogismus est Argumentatio, in qua *ex universali particulare in eo contentum infertur;* nititur enim his principiis: Quod *dicitur de omni, dicitur de quolibet sub eo contento*, et Quod *negatur de omni, negatur de quolibet sub eo contento;* unde in illo ex particularibus non concluditur. Verum de eo accuratius mox dicemus. Hujus exemplum interim sit: Omne malum est fugiendum; sed peccatum est malum; ergo peccatum est fugiendum.

Enthymema est Syllogismus *altera præmissarum minutus;* ut: Peccatum est magnum malum: ergo fugiendum. Compendii causa eo frequenter utimur, illam præmissam, quæ nota et obvia est, subintelligendo. Aliquando una propositione continetur; ut, Christianus secundum Christi legem vivas: ea enim continet hoc Enthymema: Christianus es: ergo tibi vivendum juxta Christi legem. Hæ propositiones dicuntur *Sententiæ Enthymema-*

ticæ, quæ in sermone graves et elegantes sunt, ut illæ Virgilii, *O passi graviora, dabit Deus his quoque finem;* et, *Non ignara mali miseris succurrere disco.*

Sorites est Syllogismus *coacervatus, in quo scilicet ex pluribus propositionibus gradatim positis devenitur tandem ad conclusionem;* ut: Peccatum offendit Deum; quod Deum offendit, nos ab eo separat; quod nos a Deo separat, summo bono nos privat; quod summo bono privat, est omnium malorum maximum: ergo peccatum est omnium malorum maximum. Horum argumentorum infrequentior est usus, tum quia mentem onerant tot propositionibus, tum quia fallaciis obnoxia sunt; facile enim inter multas aliqua propositio minus cohærens inseritur, quæ vitiat nexum argumentationis.

Epicherema est Syllogismus, *cujus major et minor alias propositiones ipsas probantes continent;* ut: Qui cupit et metuit, beatus non est, cum nec tuto habeat, quod habet, nec habeat, quod vellet habere; at Divites cupiunt multa, quæ non habent; metuunt ea, quæ habent, amittere: ergo Divites non sunt beati. Latissime patet hæc argumentatio; nam aliquando tractatus integros implet, qui uno Epicheremate continentur.

Dilemma est Syllogismus, in quo *præmissæ disjunctivæ utraque pars subsumitur, atque ad propositum concludendum adhibetur;* ut: Si nubas, vel filios suscipies, vel non suscipies; si suscipias, quantus labor! si non suscipias, quis fructus? ergo non nubendum. Hoc argumenti genus importunum magis est, quam validum. In duobus deficere solet. Primo cum inter disjunctionis partes datur medium; tunc enim non concludit; ut illud Socratis jam morituri: Aut morte sensus omnis adimitur, ut in somno, aut anima ad meliora loca migrat; si primum, suaviter quiescam; si alterum, felicius vivam cum Orpheo, Ulisse, Homero et aliis magnis viris; ergo mori expedit. Nam inter utrumque datur medius status, nempe migratio ad vitam alteram, sed ista miseriorem. Secundo deficit Dilemma, cum utraque pars retorqueri potest vice versa, ut in priori illo: Si nubas, aut filios suscipies, aut non; si non suscipias, quis labor? si suscipias, quantus fructus! ergo nubendum.

Regulæ Argumentationis in genere tres sunt. Prima, *Ex ve-*

ro nullo modo sequitur falsum; nam, quod sequitur ex alio, illo posito esse debet; si ergo ex vero sequeretur falsum, posito vero vere esset, sicque esset verum et falsum, quod est impossibile.

Secunda Regula. *Ex falso aliquando sequitur id, quod aliunde verum est;* ut ex illa falsa: Omnes Apostoli sunt reprobi, sequitur hæc aliunde vera: ergo Judas est reprobus. Ratio regulæ est, quia in argumentatione antecedens infert quidem consequens, at consequens non infert antecedens; unde posito antecedente poni debet consequens, at non vicissim posito consequente poni debet antecedens, ut posito, quod omnes homines sint docti, necesse est Petrum esse doctum, at posito, quod Petrus sit doctus, non debent propterea omnes homines esse docti. Consequens itaque potest esse aliunde verum, licet antecedens sit falsum. Hæc regula majoris momenti est, quam vulgo existimetur; hujus enim inadvertentia plerumque peccamus, dum nos veram rei causam invenisse putamus, quia veris effectibus ea, quam finximus, concordat; id est, verum esse antecedens, quia verum est consequens; ut, Cartesius Principia a se excogitata, vera confidentissime asserit, quia iis positis, aliqui, qui nunc in mundo videntur, effectus contingerent.

Tertia Regula, seu potius præceptum. *Antecedens debet esse notius Consequente;* assumitur enim Antecedens, ut nobis illustret Consequens; non illustraret autem, nisi esset notius: itaque in argumentando cavendum, ne in antecedente utamur principiis obscuris, ac dubiis, sed perspicuis et certis, aut quæ ex talibus evidenti nexu deducta sint.

Hæc de Argumentatione in genere. Nunc de præcipua et usitatiori ejus specie, nempe *Syllogismo*, accuratius agendum.

ARTICULUS SECUNDUS

DE NATURA SYLLOGISMI, EJUSQUE DIVISIONIBUS IN GENERE

Syllogismus definitur ab Aristotele lib. 1. Analyt. cap. 1. *Oratio, in qua quibusdam positis* (nempe duabus propositionibus) *necesse est aliquid sequi* (nempe tertiam propositionem)

ex eo quod hæc sint posita. Clarius definiri potest, *Argumentatio, in qua duo extremi termini propositionis affirmative, aut negative comparantur cum uno Tertio, ut inde concludatur eorum comparatio inter se, seu affirmativa, seu negativa.* Ut enim superius diximus, sæpe inter propositionis, de qua ferendum est judicium, terminos clare perceptos nulla connexio, aut repugnantia apparet, atque adeo ipsa ex terminis judicari nequit; tunc quæritur tertius terminus, qui eorum nexum, aut repugnantiam illustret. Nam si alicui tertio termino idem sint duo illi termini, evidenter colligimus, esse idem inter se; si vero unus ex illis terminis sit idem cum illo tertio, at alius non sit idem, evidenter colligimus, non esse idem inter se; juxta hæc duo principia, quibus omnis Syllogismi certitudo continetur: *Quæ sunt idem eidem, sunt idem inter se*; et: *Quorum unum est idem cum aliquo tertio, aliud vero non est idem, ea non sunt idem inter se.* Ut proposita quæstione, *an Luna ex se luceat*, ex ipsis terminis nullus nexus, nulla repugnantia inter eos apparet; comparo illos cum tertio, nempe *semper lucere;* sic. Quod ex se lucet, *semper lucet*; sed Luna *non semper lucet*; inde colligo; ergo Luna non ex se lucet.

Ex his terminis subjectum propositionis illatæ dicitur *Minus Extremum;* prædicatum vero dicitur *Majus Extremum*, quia prædicatum ex se latius patet quam subjectum; Terminus ille tertius dicitur *Medium.* Propositio, in qua Majus Extremum comparatur cum Medio, dicitur *Major:* illa, in qua Minus Extremum comparatur cum Medio, dicitur *Minor:* ea demum, in qua Minus Extremum comparatur cum Majori Extremo, dicitur *Conclusio.*

Exemplum. Quæritur, *an Luna ex se luceat.* Sumo tertium terminum *semper lucere*, et sic illius propositionis extrema comparo cum hoc tertio: Quod ex se lucet, semper lucet; Atqui Luna non semper lucet: ergo Luna ex se non lucet, *Luna* est Minus Extremum: *ex se lucere* est Majus Extremum: *Semper lucere* est Medium. Propositio, in qua comparatur *ex se lucere* cum *semper lucere* est Major: Propositio, in qua comparatur *Luna* cum *semper lucere*, est Minor: Conclusio demum est, in qua *Luna* comparatur cum *ex se lucere.*

Hinc colligitur hæc regula. *In omni Syllogismo sint tantum tres termini;* omnis enim ars Syllogistica in eo sita est, ut duorum extremorum nexus, aut pugna colligatur ex eorum comparatione cum uno tertio. At cum dico, ut sint tres tantum termini, id intelligendum sensu, non voce; nam hi termini possunt esse complexi, immo sunt aliquando integræ propositiones in aliis involutæ; ut in illo: Qui crudelibus, ac inquietis Dominis servit, nec pace, nec libertate fruitur; sed qui agitur passionibus suis, crudelibus et inquietis Dominis servit: ergo qui agitur passionibus suis, nec pace, nec libertate fruitur. Argumentum optimum est, tribus reipsa terminis constans, licet quilibet voces plures, immo propositiones integras involvat.

§. I.

De Divisione Syllogismi in genere

In Syllogismo duo distinguenda sunt, *Materia et Forma.* Materia ejus duplex est, *remota et proxima:* Materia remota sunt *termini*, proxima sunt *propositiones:* ex terminis enim fiunt propositiones, ex propositionibus Syllogismus. Forma ejus est *dispositio artificiosa terminorum et propositionum, quibus constat.* Dispositio terminorum est *combinatio extremorum cum medio:* hæc dicitur *Figura Syllogismi.* Dispositio propositionum est *combinatio earum inter se secundum universalitatem et particularitatem, affirmationem* aut *negationem:* hæc dicitur *Modus Syllogismi.* Hinc variæ divisiones Syllogismorum nascuntur.

Syllogismus ratione materiæ dividitur in *Demonstrativum, Probabilem et Sophisticum.* Demonstrativus est, *qui constat propositionibus necessario veris.* Probabilis est, *qui constat propositionibus probabiliter veris:* dicitur etiam *Topicus*, id est, localis, quia eruitur ex quibusdam communibus promptuariis, quæ Logici vocant *Locos.* Sophisticus est, qui constat propositionibus *apparenter veris, sed reipsa falsis.*

Syllogismus ratione formæ dividitur primo in Syllogismum *Informem et Formatum.* Syllogismus informis est, qui proponitur *absque ulla certa dispositione terminorum et propositionum;*

ut ille : *Cum ethnice vivas, sperare non potes eam salutem, quæ solis christiane viventibus est a Deo promissa;* in illa enim propositione includitur integer Syllogismus optime concludens, hic nempe : Qui ethnice vivit, non potest sperare salutem a Deo solis Christiane viventibus promissam; atqui tu ethnice vivis : ergo non potes talem sperare salutem. Hi Syllogismi frequentissimi sunt in colloquiis, atque libris Doctrinalibus; gratiores aliis sunt, at fallaciis maxime obnoxii, ideoque ad veritatem exquisite expendendam minus apti. Syllogismus formatus est, *cujus termini et propositiones suo quæque ordine distincte collocantur.* Hi sunt ad claram et distinctam quæstionum explicationem aptissimi: num vis aut imbecillitas, nexus aut hiatus ratiocinii statim perspicue in illis cernuntur; unde informibus Rhetores, Philosophi formatis libentius utuntur; illi enim decorem et ornatum, isti nudam veritatem quærunt.

Syllogismus formatus dividitur in *Compositum et Simplicem.* Compositus est, vel qui *pluribus constat propositionibus*, ut Sorites, Dilemma et Epicherema, de quibus supra diximus; vel qui tribus tantum, sed quarum major composita est, et conclusionem totam continet. Syllogismi hujus postremi generis sunt tres, *Conditionales, Disjunctivi et Conjunctivi.*

Exemplum *conditionalis* Syllogismi. Si avarus semper eget, semper miser est; at avarus semper eget : ergo avarus semper miser est. Duobus modis hi Syllogismi concludunt. Primo ab affirmatione antecedentis ad affirmationem consequentis. Secundo a negatione consequentis ad negationem antecedentis : at vice versa non concludunt; ut ex illa conditionali : Si currit, movetur, concludere possum, Currit, ergo movetur; vel, Non movetur, ergo non currit : at non vice versa : Non currit, ergo non movetur; vel, Movetur, ergo currit. Ratio hujus est, quia propositionis hypotheticæ antecedens semper supponit consequens, at consequens non supponit antecedens; ut in illa : Si est homo, est animal : Homo supponit animal, at animal non supponit hominem; unde posito homine ponitur animal, et sublato animali tollitur homo : at non contra, posito animali ponitur homo, aut sublato homine tollitur animal.

Exemplum Syllogismi *disjunctivi*. Vel Solmovetur circa terram, vel terra circa Solem, sed terra non movetur circa Solem: ergo Sol movetur circa terram. Peccat, cum inter extrema disjunctionis datur medium; tunc enim negato uno non sequitur aliud, quia utroque sublato, potest stare medium; ut in illo: Viro diviti, aut fundenda pecunia, aut retinenda; non retinenda: ergo fundenda; vel: Non fundenda; ergo retinenda. Utrumque falsum est: nec fundenda prodige, nec retinenda avare; sed recte dispensanda, quod medium est. Differt hic Syllogismus a Dilemmate, quod in illo una tantum pars disjunctionis in minori subsumitur; in Dilemmate autem utraque pars, quæ se habet ut medium.

Exemplum *conjunctivi*. Nemo potest servire Deo et Mammonæ; atqui multi serviunt Mammonæ: ergo multi non serviunt Deo. In Syllogismo conjunctivo a positione unius partis ad negationem alterius concluditur; at non contra; ut non valet: Atqui prodigus non servit Mammonæ, ergo servit Deo; aut contra: Atqui prodigus non servit Deo, ergo servit Mammonæ.

Syllogismus simplex est, qui *constat tribus tantum, iisque simplicibus propositionibus;* ut: Summum bonum est summe amandum; sed Deus est summum bonum: ergo est summe amandus.

Dividitur 2. Syllogismus ratione formæ in *Directum et Indirectum*. Directum est, qui concludit *servato naturali ordine terminorum conclusionis;* ut: Omne vitium est fugiendum; sed luxuria est vitium: ergo luxuria est fugienda. Indirectus est, qui *concludit propositionem veram, sed inversam, mutato prædicato in subjectum;* ut: Omnis anima rationalis est immortalis; sed nullus Angelus est anima rationalis; ergo aliquid immortale non est Angelus. Vere concludit, sed invertuntur termini conclusionis; nam ita dispositis præmissis hæc conclusio directe sequebatur: ergo aliquis Angelus non est immortalis, quæ est falsa; unde hic Syllogismus dicitur indirecte concludere.

Dividitur tandem 3. Syllogismus ratione *formæ* in varios *Modos et Figuras*. Hæc divisio etiam comprehendit Syllogismos complexos; sed quia evidentior est in simplicibus, ad quos etiam compositi reduci possunt, ut ad suam regulam: hic solum eam in simplicibus considerabimus.

ARTICULUS TERTIUS

DE VARIIS FIGURIS ET MODIS SYLLOGISMORUM

Quatuor sunt possibiles Figuræ syllogismi; at ex illis tres tantum sunt utiles. Figura enim est *combinatio extremorum cum medio:* at quatuor modis potest concipi hæc combinatio. Primo, cum medium subjicitur in majori et prædicatur in minori. Secundo, cum in utraque prædicatur. Tertio, cum in utraque subjicitur. Quarto, cum in majori prædicatur et in minori subjicitur.

Verum hæc quarta figura omnino est violenta, et ut recta fiat, debet reduci ad primam; unde est inutilis, licet probetur Galeno, ideoque *Galenica* dicatur. Hujus figuræ exemplum sit: Omnis homo est animal; sed omne animal est substantia: ergo aliqua substantia est homo. Concludit quidem vere, sed inordinate admodum et violente, perturbata dispositione terminorum conclusionis. At eadem veritas, nempe nexus inter hominem et substantiam ordinate concludetur, reducto syllogismo ad primam figuram, ad quam hæ propositiones connaturaliter tendunt, hoc pacto: Omne animal est substantia; sed omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia.

Dices. Hic syllogismus ordinatissime concludit: Omnis homo est animal; sed omne animal est substantia: ergo omnis homo est substantia; et tamen est in quarta figura.

Respondeo, esse in prima figura, sed præmissas inverti: nam major est, in qua majus extremum, nempe prædicatum conclusionis, comparatur cum medio, quovis tandem loco ponatur. Quæ ergo in præfato syllogismo secundo loco ponitur, est vere major; unde pertinet ad primam figuram, et non ad quartam.

Ratio vero, cur hæc figura aut perturbate admodum, aut minime concludat, ea est. Syllogismus, in quo medium prædicatur et subjicitur, concludit vi hujus principii, *Quidquid dicitur de subjecto, dicitur de omni sub eo contento;* et vicissim, *Quidquid negatur de subjecto, negatur de omni contento sub ipso;* unde ideo majus extremum affirmatur, aut negatur de

minori extremo, quia fuit affirmatum aut negatum de medio, sub quo minus extremum continetur, et ideo necesse est, ut majus extremum prædicetur de medio, et medium prædicetur de minori extremo, non vice versa. Id autem non fit, nisi medium subjiciatur in majori, in qua comparatur cum majori extremo, et prædicetur in minori, in qua comparatur cum minori extremo. Si vero prædicetur de majori extremo, et subjiciatur minori extremo, tota vis illationis et principium, quo nititur, funditus corruet, sicque aut nulla, aut admodum perturbata erit illatio.

Rejecta ergo illa quarta, ut nullius usus, tres solum remanent figuræ, quæ hoc versiculo comprehenduntur.

Sub. præd. prima: sed altera bis præd. Tertia bis sub.

Sensus est. In prima figura Medium subjicitur in majori, prædicatur in minori; ut: Omne vitium turpe est; sed ambitio est vitium: ergo ambitio est turpis.

In secunda figura Medium in utraque præmissa prædicatur; ut: Omne metallum est ductile, sed nullus lapis est ductilis: ergo nullus lapis est metallum.

In tertia figura Medium bis subjicitur; ut: Omnis virtus est amanda; aliqua virtus est laboriosa: ergo aliquid laboriosum est amandum.

Modus syllogisticus est *dispositio præmissarum inter se secundum universalitatem et particularitatem, affirmationem et negationem.* Porro quatuor sunt genera propositionum; Universalis affirmativa, Universalis negativa, Particularis affirmativa, Particularis negativa; quæ designari solent quatuor his vocalibus A. E. I. O. unde sequitur, sub qualibet figura sexdecim modos esse possibiles. Nam invariata dispositione Medii cum Extremis in præmissis (non enim hic habetur ratio conclusionis) sexdecim possibiles sunt harum quatuor propositionum combinationes, ut consideranti facile patebit. At omnes hi modi non concludunt, pluresque proinde sunt inutiles: ut ergo inutiles ab utilibus secernantur, statuendæ sunt regulæ.

Prima Regula

Medium in aliqua præmissarum debet supponere distributive, id est, *pro omnibus et singulis suis significatis.* Nam terminus universalis particulariter, seu disjunctive supponens, sumitur tantum pro una parte suorum significatorum. Si ergo sumatur in majori et minori solum particulariter, poterit sumi in majori pro una parte, et in minori pro altera, sicque dividetur in duas partes, quarum uni comparabitur unum extremum: non ergo comparabuntur extrema uni et eidem, in quo tamen sita est omnis ars syllogistica: unde hic non concludit: Omnis arbor est substantia; aliquis homo est substantia; ergo aliquis homo est arbor.

Sed hic observandum, terminum singularem posse esse medium, licet pro uno tantum supponat; nam hoc ipso non dividitur in plures partes, sed pro eodem supponit semper, atque adeo æquivalet in hoc, termino universali distributo; sic optime concluditur; S. Petrus fuit peccator; S. Petrus est salvatus: ergo aliquis salvatus fuit peccator. Illi syllogismi, quorum Medium est terminus singularis, dicuntur *expositorii.* At notandum, ita debere esse singularem, ut sit pluribus incommunicabilis; nam alias sortietur amplitudinem æquivalentem termino universali, atque adeo non concludet, nisi distributive sumatur pro omnibus, quibus est communicabilis: hinc non valet; Pater est Deus; Filius est Deus: ergo Pater est Filius. Quia Deus, licet sit terminus singularis, est tamen communicabilis pluribus personis, et in majori pro una, in minori pro altera persona sumitur.

Secunda Regula

Nullus terminus in conclusione distribui potest, nisi distributus fuerit in præmissis; nam extrema eo et non alio modo uniri possunt inter se in conclusione, quo in præmissis unita sunt cum medio; hæc enim unio illius ratio est: si ergo solum disjunctive, seu particulariter unita sint in præmissis cum medio, non possunt inter se distributive, seu universaliter uniri; ut hic non concludit: Omnis homo est animal; omnis lapis est

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

substantia: ergo omnis substantia est animal; nam substantia in conclusione sumitur distributive pro omni substantia, in minori vero solum disjunctive pro aliqua substantia.

Tertia Regula

Ex puris particularibus nihil concluditur. Hæc regula sequitur ex duabus primis; nam si illæ particulares sint affirmativæ, Medium in illis non distribuetur, sive sit subjectum, sive sit prædicatum, quia in particulari affirmativa, nec subjectum distribuitur, est enim terminus particularis, nec prædicatum, quia in nulla propositione affirmativa prædicatum distribuitur juxta quartam regulam suppositionis. At si aliqua præmissarum sit negativa, Medium quidem distribui poterit; sed tunc prædicatum conclusionis non distribuetur in præmissis; non in affirmativa particulari, quia hæc neutrum terminum distribuit; non in negativa particulari, quia in illa medium, si supponatur distributum, debuit fuisse prædicatum, unde majus extremum potuit solum esse subjectum, quod in ea non distribuitur, utpote affectum signo particulari; ea tamen contra secundam regulam in conclusione distribuetur; nam erit negativa juxta quintam regulam infra tradendam: in omni autem negativa prædicatum supponit distributive.

Quarta Regula

Ex puris negativis nihil sequitur. Nam ex eo, quod duo extrema repugnent uni tertio, non sequitur aut uniri, aut repugnare inter se; ut ex illis negativis: Nullum corpus est indivisibile; nulla lux corporea est indivisibilis, non potest concludi, lucem non esse corpus, vel esse corpus.

Dices; hic syllogismus recte concludit: qui non diligit proximum, non diligit Deum; sed avarus non diligit proximum: ergo non diligit Deum; et tamen constat puris negativis.

Respondeo, in hoc et ejusmodi aliis syllogismis, quæ videntur concludere ex puris negativis, aliquam præmissarum esse affirmativam quoad sensum, licet quoad verba videatur utraque negativa, ut in præfato major est affirmativa quoad sensum,

et æqu'valenter; nam æquivalet isti; qui diligit Deum, diligit proximum; vel, qui est non diligens Deum, est non diligens proximum; vel, si quis non diligit proximum, inde recte colligitur, eum nec Deum diligere. Porro istæ omnes sunt affirmativæ: vi ergo ejusmodi æquivalentis affirmationis concludere possunt aliquando syllogismi, qui quoad verba videntur ex negativis, quia non sunt ex pure negativis.

Quinta Regula

Conclusio syllogismi semper sequitur debiliorem partem, id est, negativa est, si aliqua præmissarum fuerit negativa; particularis, si aliqua fuerit particularis; nam extrema debent comparari inter se in conclusione eo modo, quo fuerunt comparata cum medio; si ergo unum fuerit negatum de medio, debent negari inter se, sicque sequetur negativa conclusio. Si vero in syllogismo aliqua præmissarum sit particularis, vel constabit duabus affirmativis, vel altera negativa; si constat duabus affirmativis, minus extremum conclusionis non potest distribui; non enim distribuitur in affirmativa particulari, quia hæc nullum distribuit extremum: non in affirmativa universali, quia hæc distribuit solum subjectum, quam sedem tunc occupare debet medium, alias nullibi distribueretur: ergo minus extremum non debet distribui in conclusione: ergo conclusio non erit universalis. At si altera præmissarum sit negativa, tunc conclusio erit universalis negativa, quæ utrumque distribuit extremum; at utrumque extremum non potuit distribui in præmissis, quarum altera est negativa si una sit particularis, nam in illis subjectum propositionis particularis non distribuitur, nec prædicatum affirmativæ: ergo in illis solum duo distribui possunt, subjectum universalis, et prædicatum negativæ; sed medium in alterutra debet distribui: ergo unum tantum ex extremis distribui potest: ergo non potest ex illis concludi universalis negativa, quæ utrumque distribuat extremum, sed tantum particularis negativa.

Dices; hic optime concludit. Si numerus non est impar, est par; sed binarius non est impar: ergo est par; et etiam ille: Necesse est aut terram moveri circa Solem, aut Solem circa ter-

ram; sed terra non movetur circa Solem: ergo Sol circa terram. Et tamen altera præmissarum est negativa, et conclusio affirmativa.

Respondeo, hos et similes syllogismos esse disjunctivos; in disjunctivis autem non concluditur ex comparatione extremorum cum uno tertio, sed ex immediata eorum oppositione, qua fit, ut si verum sit unum non esse, verum sit alterum esse, et contra; unde negatio unius infert affirmationem alterius, non per se ex vi negationis, sed per accidens propter adjunctam oppositionem, et tamen in præmissis tacite includuntur duæ affirmativæ concludentes hanc affirmativam, nempe, si verum sit, propositionis disjunctivæ unam partem non esse, verum erit alteram esse; sed verum est, hanc non esse: ex quibus concluditur, alteram esse.

Sexta Regula

Termini syllogismi eodem sensu sumantur in singulis propositionibus. Hæc Regula magni momenti et usus est. Ejus defectu vulgo peccatur: hinc inter disputandum tot distinctiones adhibentur; alio enim sensu termini in una, ac in altera propositione sumuntur: hoc defectu vitiatur syllogismus, cujus vis consistit, ut concludatur extremorum nexus, aut pugna inter se, ex comparatione ad idem tertium; unde si vel minima variatio irrepat, tota vis argumenti labefactatur. Oritur hic defectus ex æquivocatione, ex variatione suppositionis, ex ambigua terminorum significatione, atque aliis sensum vocis mutantibus. Afficit sæpius Medium terminum: anxius enim arguentis animus, dum quærit Medium, illud avide arripit, si vel tantulam connexionem habeat cum extremis, nec advertit, an una, eademque ansula utrumque jungat: tum major et minor distinguenda, nam in utraque est Medium, et subinde neganda consequentia. At aliquando afficit alterum extremorum: tum altera præmissarum distinguitur, cum conclusione. Exempla proferre nimis longum: usus disputandi ea satis suggeret. Ea regula non spectat quidem modos in particulari, sed supponitur, ut in omnibus servanda; alioquin non concludent.

Ex his regulis, in primis expungendi sunt ex sexdecim cu-

juslibet figuræ quatuor pure negativi et quatuor particulares ex 3. et 4. Regula; ex aliis octo remanentibus, in prima Figura expungendi sunt duo, quorum minor est negativa, et duo alii quorum major est particularis; nam in ea Figura si minor est negativa, conclusio erit negativa, ex 3. Regula: ergo majus extremum distribuetur, per 4. Regulam suppositionis. At non distribuitur in Majori, quæ est affirmativa; nam in ea est prædicatum, quod in affirmativa non distribuitur: ergo distribuetur in conclusione et non in præmissis, contra 2. Reg. At si major est particularis Medium non distribuet; est enim in ea subjectum. Nec etiam in minori, quæ non potest esse nisi affirmativa, ut jam demonstravimus; est enim in ea prædicatum. Itaque remanent tantum modi quatuor in hac Figura, saltem qui directe concludant.

Ex secunda Figura expungendi sunt omnes affirmativi; quia in illa Medium in utraque præmissa est prædicatum, quod in affirmativa non distribuitur. Item omnes, quorum major est particularis, quia majus extremum, quod est in ea subjectum, non distribuitur, et tamen distribuitur in consequentia, quæ est semper negativa; est enim in ea prædicatum; peccant ergo contra 2. Regulam. Illis exclusis remanebunt tantum quatuor.

Ex tertia Figura expungendi sunt duo, quorum minor est negativa; nam in conclusione, quæ tunc erit negativa, distribuunt majus extremum juxta 4. Regulam suppositionum, at non distribuetur in majori, quæ erit affirmativa; est enim in ea prædicatum: remanent ergo sex modi hujus Figuræ.

Itaque in omnibus Figuris sunt tantum quatuordecim Modi utiles. Attamen placuit Dialecticis quatuor modis primæ Figuræ accensere quinque alios indirectos, quorum vix est aliquis usus. Poterant et accenseri pariter et alii indirecti in aliis Figuris, sed prætermittuntur. Recensentur ergo vulgo novemdecim Modi utiles, his quatuor versiculis comprehensi.

1. Barbara, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
2. Cesare, *Camestres*, *Festino*, *Baroco*. *3. Darapti*,
Felapton, *Disamis*, *Datisi*, *Bocardo*, *Ferison*.

Harum vocum tres primæ vocales designant combinationem

trium syllogismi propositionum. Vocalis A significat affirmativam universalem. E universalem negativam. I particularem affirmativam. O particularem negativam, juxta versus,

Asserit A, *negat* E, *sed universaliter ambo.*
Asserit I, *negat* O, *sed particulariter ambo.*

Quatuor primæ voces significant quatuor modos directos primæ Figuræ. Quinque sequentes voces alio charactere expressæ designant quinque Modos indirectos primæ figuræ. *Baralipton*, *Celantes*, *Dabitis*, fiunt ex tribus primis directis inversa solum conclusione: at *Fapesmo* et *Frisesomorum*, fiunt ex combinatione A. E. et I. O. quæ utraque directe nihil in hac Figura concludit; attamen indirecte, inversis scilicet conclusionis terminis, vere concludit. Quatuor voces *Cesare*, *Camestres*, *Festino*, *Baroco*, designant modos secundæ Figuræ. Sex reliquæ designant modos tertiæ Figuræ. Exempla Modorum omnium tum utilium, tum inutilium Tabulæ sequentes exhibent.

Colligitur, primam Figuram esse omnium perfectissimam; nam concludit propositiones omnis generis, idque clarissime quatuor primis suis modis, qui proinde omnium præstantissimi censentur: at secunda Figura non concludit propositionem affirmativam; tertia vero non concludit universalem.

TABULA MODORUM

PRIMÆ FIGURÆ

Cum censura cujuslibet.

a Omne animal est sensibile; Bar-
a Omnis homo est animal: ba-
a Ergo omnis homo est sensibilis. ra.

Utilis, quia servat regulas.

a Omne animal est substantia;
e Nullus lapis est animal:
e Ergo nullus lapis est substantia.

Inutilis, quia distribuit in conclusione Majus extremum, quod non est distributum in præmissis contra 2. Regulam.

a Omne animal est sensibile; Da-
i Aliquis homo est animal: ri-
i Ergo aliquis homo est sensibilis. i.

Utilis, quia servat regulas.

a Omne animal est substantia;
o Aliquis lapis non est animal:
o Ergo aliquis lapis non est substantia.

Inutilis; distribuit enim majus extremum in conclusione, et non in præmissis contra 2. Regulam.

e Nullum animal est lapis; Ce-
a Omnis homo est animal: la-
e Ergo nullus homo est lapis. rent.

Utilis, quia servat Regulas.

e Nullus homo est lapis:
e Nullum marmor est homo:
e Ergo nullum marmor est lapis.

Inutilis, quia ex puris negativis contra 4. Regulam.

e Nullum animal est lapis; Fe-
i Aliquis homo est animal: ri-
o Ergo aliquis homo non est lapis. o.

Utilis, quia servat Regulas.

e Nullum animal est lapis;
o Sed aliquod marmor non est animal:
o Ergo aliquod marmor non est lapis.
Inutilis, quia ex puris negativis contra 4. Regulam.
i Aliquod animal est rationale;
a Sed omnis equus est animal:
i Ergo aliquis equus est rationalis.
Inutilis; non enim distribuit medium contra 1. Regulam.
i Aliquod animal est substantia;
e Nullus lapis est animal:
o Ergo aliquis lapis non est substantia.
Inutilis; distribuit enim in conclusione majus extremum, et non in præmissis contra 2. Regulam.
i Aliquis equus est albus;
i Sed aliquis albus est homo:
i Ergo aliquis homo est equus.
Inutilis, quia est ex puris particularibus contra 3. Regul.
i Aliquis equus est substantia;
o Aliquis lapis non est equus:
o Ergo aliquis lapis non est substantia.
Inutilis, quia est ex puris particularibus contra 3. Regul.
o Aliquod animal non est rationale;
a Sed omnis homo est animal:
o Ergo aliquis homo non est rationalis.
Inutilis, quia non distribuit medium contra 1. Regulam.
o Aliquis lapis non est animal;
e Nullus homo est lapis;
e Ergo nullus homo est animal.
Inutilis, quia est ex puris negativis.
o Aliquod animal non est rationale;
i Sed aliquis homo est animal:
o Ergo aliquis homo non est rationalis.
Inutilis, quia est ex particularibus.
o Aliquis lapis non est animal;
o Aliquis homo non est lapis:
o Ergo aliquis homo non est animal.
Inutilis, quia est ex negativis.

TABULA MODORUM

SECUNDÆ FIGURÆ

Cum censura eorum.

a Omnis homo est animal;
a Omne sensibile est animal:
a Ergo omne sensibile est homo.
Inutilis, quia non distribuit medium contra 1. Regulam.
a Omnis homo est rationalis; Cam-
e Nullus equus est rationalis: es-
e Ergo nullus equus est homo. tres.
Utilis, quia servat Regulas.
a Omne animal est substantia;
i Aliquis lapis est substantia:
i Ergo aliquis lapis est animal.
Inutilis, quia non distribuit medium contra 1. Regulam.
a Omnis homo est animal; Ba-
o Aliquis lapis non est animal; ro-
o Ergo aliquis lapis non est homo. co.
Utilis, quia servat Regulas.
e Nullus equus est rationalis; Ce-
a Sed omnis homo est rationalis: sa-
e Ergo nullus homo est equus. re.
Utilis, quia servat Regulas.
e Nullum animal est lapis;
e Nullus homo est lapis:
e Ergo nullus homo est animal.
Inutilis, quia est ex negativis contra 4. Regulam.
e Nullus lapis est animal; Fe-
i Aliquis homo est animal: sti-
o Ergo aliquis homo non est lapis. no.
Utilis, quia servat Regulas.
e Nullum animal est lapis;
o Aliquis homo non est lapis:
o Ergo aliquis homo non est animal.
Inutilis, quia ex negativis contra 4. Regulam.

i Aliquis equus est animal;
a Omnis homo est animal:
i Ergo aliquis homo est equus.

Inutilis, quia non distribuit medium contra 1. Regulam.

i Aliqua substantia est homo;
e Nullus lapis est homo:
e Ergo nullus lapis est substantia.

Inutilis, quia distribuit majus extremum in conclusione, et non in præmissis contra 2. Regulam.

i Aliquis equus est animal;
i Aliquis homo est animal:
i Ergo aliquis homo est equus.

Inutilis, quia ex particularibus contra 3. Regulam.

i Aliqua substantia est homo;
o Aliquis lapis non est homo:
o Ergo aliquis lapis non est substantia.

Inutilis, quia est ex particularibus.

o Aliquis homo non est lapis;
e Nullum vivens est lapis:
e Ergo nullum vivens est homo.

Inutilis, quia est ex puris negativis.

o Aliqua substantia non est rationalis;
i Aliquis homo est rationalis:
o Ergo aliquis homo non est substantia.

Inutilis, quia ex puris particularibus.

o Aliqua substantia non est rationalis;
i Sed aliquis homo est rationalis:
o Ergo aliquis homo non est substantia.

Inutilis, quia est ex particularibus.

TABULA MODORUM

TERTIÆ FIGURÆ

Cum censura eorum.

a Omne animal est sensibile; Da-
a Omne animal est substantia: ra-
i Ergo aliqua substantia est sensibilis. pti.

Utilis, si inferatur consequentia particularis.

a Omne animal est substantia;
e Nullum animal est lapis:
e Ergo nullus lapis est substantia.

Inutilis, quia distribuit majus extremum in conclusione, et non in præmissis.

a Omnis planta est vivens; Da-
i Aliqua planta est fructifera: ti-
i Ergo aliquod fructiferum est vivens. si.

Utilis, quia servat regulas.

a Omnis planta est vivens;
o Sed aliqua planta non est animal:
o Ergo aliquod animal non est vivens.

Inutilis, quia distribuit majus extremum in conclusione, et non in præmissis contra 1. regulam.

e Nullum animal est lapis; Fe-
a Sed omne animal est substantia: la-
o Ergo aliqua substantia non est lapis. pton.

Utilis, si conclusio sit particularis; nam si universalis sit, distribuitur in conclusione minus extremum, quod non distributum est in præmissis, contra 2. regulam.

e Nullus lapis est animal;
e Nullus lapis est rationalis:
e Ergo nullum rationale est animal.

Inutilis, quia ex solis negativis.

e Nullus lapis est rationalis; Fe-
i Aliquis lapis est substantia: ri-
o Ergo aliqua substantia non est rationalis. son.

Utilis, quia servat regulas.

e Nullus lapis est animal;
o Aliquis lapis non est homo:
o Ergo aliquis homo non est animal.

Inutilis, quia ex puris negativis.

i Aliquod animal est rationale; Di-
a Omne animal est substantia: sa-
i Ergo aliqua substantia est rationalis. mis.

Utilis, quia servat regulas.

i Aliquod animal est substantia;
e Nullum animal est lapis:
o Ergo aliquis lapis non est substantia.

Inutilis, quia distribuit majus extremum in conclusione non distributum in præmissis.

i Aliquod animal est rationale;
i Aliquod animal est brutum:
i Ergo aliquod brutum est rationale.

Inutilis, quia est ex particularibus.

i Aliquod animal est rationale;
o Aliquod animal non est homo:
o Ergo aliquis homo non est rationalis.

Inutilis, quia ex particularibus.

o Aliquod animal non est lapis; Bo-
a Omne animal est substantia: car-
o Ergo aliqua substantia non est lapis. do.

Utilis, quia servat regulas.

o Aliquod animal non est lapis;
e Nullum animal est marmor:
o Ergo aliquod marmor non est lapis.

Inutilis, quia est ex negativis.

o Aliquod animal non est rationale;
i Aliquod animal est homo:
o Ergo aliquis homo non est rationalis.

Inutilis, quia est ex particularibus.

o Aliquis lapis non est animal;
o Aliquis lapis non est homo:
o Ergo aliquis homo non est animal.

Inutilis, quia est ex negativis.

ARTICULUS QUARTUS

DE PROBATIONE ET REDUCTIONE SYLLOGISMORUM

Proprium est omnis Syllogismi, ut probari possit ejus vis per principia, quibus nititur. Proprium vero est Syllogismi imperfecti, ut ad perfectiorem reduci possit; ac vicissim perfectioris, ut alii ad ipsum reduci possint; ac præterea, ut vocant, ad impossibile. De utraque proprietate aliquid dicendum.

Syllogismus probatur, cum principia, quibus ejus bonitas nititur, proferuntur. Principium Syllogismi affirmativi duplex est: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se:* et, *quidquid dicitur universaliter de subjecto, dicitur de quolibet contento sub illo.* Ut, quia dicitur universaliter de animali, quod sit vivens, de omni contento sub animali vivens dici debet, ut de avi, quadrupede, pisce, etc. Principium Syllogismi negativi est itidem duplex: *Quorum unum est idem alicui tertio, et aliud non est idem, ea non sunt unum inter se; et, quod negatur universaliter de subiecto, negatur de quolibet sub eo contento.*

Proposito itaque hoc argumento affirmativo: omnis virtus est honesta; humilitas est virtus: ergo humilitas est honesta. Si negetur bonitas consequentiæ, demonstrari sic potest: Quæ uniuntur uni tertio, uniuntur inter se; sed vides in præmissis humilitatem et honestatem uniri cum virtute: ergo legitime uniuntur inter se. Vel: quod dicitur universaliter de subjecto, dicitur de quolibet sub eo contento; sed fateris, universaliter dici de virtute, quod sit honesta; item concedis, humilitatem sub virtute contineri: ergo et de humilitate dici debet, quod sit honesta.

Proposito vero hoc argumento negativo: Nullum turpe est bonum; sed avaritia est turpis: ergo non est bona. Si negetur consequentiæ bonitas, ita demonstrari potest: Quorum unum est idem cum aliquo tertio, et aliud non est idem, ea non sunt idem inter se: sed concedis, bonum non esse idem cum turpi, avaritiam esse idem: ergo avaritia et bonum non conveniunt inter se. Vel: quod negatur universaliter de aliquo, negatur de quolibet sub eo contento; sed de omni turpi negatur bonum:

ergo negatur de avaritia, quæ est quoddam turpe, ut concedis in minori.

Reductio est duplex, *Ostensiva* et *Reprensiva*, seu ut vocari solet ad *impossibile.*

Reductio ostensiva est *revocatio Syllogismi imperfecti ad perfectum.* Syllogismus imperfectus dicitur, qui aut indirecte concludit, ut quinque modi posteriores primæ Figuræ; vel si directe concludat, minus clare concludit, ut Syllogismi omnes aliarum Figurarum. Syllogismus perfectus est, qui directe et clare concludit, ita ut positis præmissis perspicue videatur illatio; tales sunt tantum quatuor primi modi primæ Figuræ, *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*, ad quos proinde cæteri revocari debent, ut sint perfecti.

Hæc reductio fit pauculis immutatis. Quid autem fieri debeat, indicant consonantes vocum illarum barbararum, quibus exprimuntur; nam primo modus imperfectus reduci debet ad illum ex quatuor perfectis, qui simili consonante incipit: ut, Cesare, Camestres, ad Celarent; Darapti, Datisi, ad Darii, et sic de cæteris. Id vero ut fiat, quid immutari debeat, docent Consonantes illæ insertæ post Vocales, S, P, M; nam S denotat propositionem indicatam per Vocalem, quæ præit, convertendam esse simpliciter. P denotat esse convertendam per accidens. M denotat mutandum esse situm præmissarum, nempe majorem in locum minoris. In modis Baroco et Bocardo C significat illos modos non posse reduci ad perfectos, sed solum ad impossibile. Hæc docent hi versiculi.

S vult simpliciter verti; P vero per accid.
M vult transponi; C per impossibile duci.

Exempli gratia, hic Syllogismus indirectus primæ figuræ mihi est reducendus ad modum directum.

Omne animal est substantia;
Nullus lapis est animal:
Ergo aliqua substantia non est lapis.

In primis cum sit in Fapesmo, reduci debet ad Ferio, qui eadem littera incipit. Id fiet si major, quam denotat A, convertatur per accidens, ut indicat P subsequens, et minor, quam denotat I, convertatur simpliciter, ut indicat S subsequens; et

demum transponantur præmissæ, ut denotat M. Hoc facto habebis hunc Syllogismum perfectum in Ferio.

Nullum animal est lapis;
Aliqua substantia est animal:
Ergo aliqua substantia non est lapis.

Reductio ad impossibile est, cum *negatæ conclusionis assumitur contradictoria, ut combinata cum una præmissarum concludat perfecte contradictoriam alterius præmissæ;* sic enim, qui concessis præmissis negavit consequentiam, cogitur contradictoriam unius concessæ concedere, atque adeo concedere dua contradictorias esse veras, quod est impossibile. Quæ autem præmissarum assumi debeat, docent hi versiculi.

Prima minorem adimit, facit e majore minorem.
Celantes minor est contrad. min. sede majoris.
Majorem servat, variatque secunda minorem.
Tertia majorem variat, servatque minorem.

Sensus est. In prima figura contradictoria conclusionis negatæ assumitur in majorem præmissam; et major Syllogismi in minorem; excipitur *Celantes*, in quo minor assumitur pro majore. In secunda Figura major servatur et contradictoria ponitur loco minoris. In tertia Figura minor suo loco servatur, et contradictoria fit major: ut proposito hoc Syllogismo in *Festino*.

Nullum peccatum est laudabile;
Aliquod odium est laudabile:
Ergo aliquod odium non est peccatum.

Si quis concessis præmissis neget conclusionem, sumam ejus contradictoriam: Omne odium est peccatum; ex qua cum majore suo loco retenta, quia Syllogismus est secundæ Figuræ, hunc clarissimum Syllogismum in *Celarent* conficiam, quo respondentem cogam concedere contradictoriam minoris concessæ.

Nullum peccatum est laudabile;
Omne odium est peccatum:
Ergo nullum odium est laudabile.
Ergo ex te aliquod odium est laudabile, et nullum odium est laudabile, quæ sunt duæ contradictoriæ.

Cæterum si Tyrones has reductionum regulas minus capiant, minime ob id conturbentur; nam vix earum ullus usus est, ni-

si forte reductionis ad impossibile. Sed cum in disputando negantur conclusio Syllogismi in forma legitima existentis, assumpta contradictoria conclusionis ipso naturali lumine, satis obvia est præmissa, cum qua combinari debet, ut inferatur contradictoria alterius præmissæ concessæ.

ARTICULUS QUINTUS

DE INVENTIONE MEDII

Cum ars Syllogistica in id incumbat, ut extremorum conclusionis nexum, aut pugnam ostendat per medium terminum; operæ pretium est, mota quæstione, illum invenire; ut eo, quid sit sentiendum circa quæstionem, ostendatur, atque propositio ex obscura quæstione fiat clara et evidens conclusio. Hoc nunc agemus duplici §. Primo dicemus, *qua via* quærendum sit medium. Secundo, *ex quibus locis*, seu promptuariis sit eruendum.

§. I.

Qua via quærendum sit Medium.

Regulæ, quæ tradi solent de inventione Medii, acutæ quidem sunt, sed id habent incommodi, ut difficiles sint, et fere nullius usus. His ergo prætermissis viam forte minus subtilem, sed planam tamen et utilem hic aperire tentabimus.

Omnes modi Syllogismorum, ut ostendimus, reducuntur ad quatuor primos primæ Figuræ: ergo media illorum ad media istorum; itaque præsens consideratio solum attendet mediis quatuor primorum. Porro licet sint quatuor genera propositionum, quæ venire possunt in quæstionem, attamen duæ præcipuæ sunt, universalis affirmativa, et universalis negativa; nam eæ solum quæruntur in scientiis, quæ sunt de universalibus, et præterea particulares continentur sub suis universalibus; unde his duabus præcipue attendemus.

Prima regula. *Proposita quæstione, quæ sit universalis affirmativa, quærendus pro Medio terminus, de quo possit uni-*

versaliter dici prædicatum propositionis, et qui possit universaliter dici de ejus subjecto. Ratio regulæ, quia in universali affirmativa prædicatum dicitur esse in subjecto; at non est in eo immediate, alias cognito subjecto videretur in eo: ergo debet esse in eo mediante alio termino, in quo sit prædicatum, et qui sit in subjecto, illeque est proprie medium utrumque uniens.

Secunda regula. *Ut inveniatur ille medius terminus, percurrenda sunt prædicata superiora subjecto, et subjecta inferiora prædicato;* nam si ea attenta mente percurras, reperies tandem aliquod prædicatum subjecti, quod immediate et clare connectetur cum aliquo subjecto prædicati, ex quibus proinde efficies propositionem per se notam, si materia patiatur, et ad id valeat lumen tuum, qua propositione evidenter probabis, prædicatum quæstionis necti cum ejus subjecto.

Ut itaque invenias illum terminum medium, attenta mente perlustra prædicata subjecti, definitionem ejus, differentiam, et genus tum proxima, tum remota; attributa tum ipsius subjecti, tum ejus differentiæ ac generis: eaque compara cum prædicato quæstionis, videndo, an de illis dici possit, donec tandem pervenias ad aliquem terminum ipsi immediate et clare subjectum, qui erit medium quæsitum.

Hic quærendi modus est per *ascensum:* in eo enim a subjecto ascendimus ad prædicatum; at rursus alius esse potest per *descensum*, nempe si perlustres subjecta posita sub prædicato, de quibus scilicet dici potest, ejus definitionem, species sub eo positas tum proximas, tum infimas, donec pervenias ad aliquid, quod dici possit de subjecto quæstionis.

Exemplum. Quæritur, *an anima rationalis sit immortalis.* Attendo ad ejus definitionem, quod sit principium intelligendi in homine. Considero principium intelligendi esse substantiam spiritualem, deinde substantiam spiritualem non pendere in sua operatione a corpore, nec proinde in suo esse; postea, quod non pendet in esse a corpore, manere destructo corpore; demum quod manet destructo corpore non destrui per mortem; tandem quod non destruitur per mortem, esse immortale. Ex illis terminis gradatim constitutis assumendus est, vel qui immediate dicitur de subjecto, vel de quo immediate dicitur prædicatum

ut efficiatur præmissa per se nota; alia vero præmissa, in qua ille terminus medius comparabitur ad extremum remotius, non erit quidem per se nota, sed assumptis intermediis probari facile poterit, donec reducatur ad per se notam; ut: Quod non destruitur per mortem est immortale; sed anima rationalis non destruitur per mortem: ergo, etc. Major est per se nota. Minor probatur assumpto termino proxime sequente. Quod manet destructo corpore, non destruitur per mortem; atqui anima manet destructo corpore: ergo, etc. Eodem modo probabitur hæc minor, donec pervenias ad ultimum terminum clare convenientem animæ, qui efficiet tandem propositionem per se notam, et sic habebis duas per se notas, ex quibus clare demonstrabitur quæstio proposita.

Et hæc quidem via tenetur in inventione medii *demonstrativi;* at in medio *probabili* liberius excurrimus, excogitando quemvis terminum, qui videatur convenire subjecto, et cui prædicatum convenire possit; ut propositio hæc mihi est probabiliter suadenda, *Mors est bona:* inspicio, quæ possint dici de morte, quibus ratio boni conveniat, vel de quibus dicitur *Bonum,* et quæ possint aliquo modo convenire *Morti,* et statim occurrit integrum agmen; nam bonum est frui Christo, liberari a miseriis vitæ, eripi a periculo peccandi, adire meliorem vitam; item quod Deus approbat, quod Christus elegit, quod Sancti desiderant, est bonum, quæ omnia possunt convenire morti; unde magna copia mediorum suboritur ad probandam propositionem istam; complicando enim terminos sic arguo: *Quod facit, ut fruamur Christo, est bonum; sed mors facit, ut fruamur Christo*: ergo *Mors est bona.* Item, *Quod eripit a miseriis vitæ, est bonum;* sed *Mors eripit a miseriis vitæ:* ergo *est bona.* Item, *Quod liberat a periculo peccandi, est bonum;* sed *Mors liberat a periculo peccandi;* ergo *est bona.* Item, *Janua ad meliorem vitam est bona;* sed *Mors est Janua ad meliorem vitam:* ergo *est bona.*

In inveniendis autem istis mediis non parum conducit, si percurramus *Genera, Differentias, Species, Proprietates, Accidentia, Effectus, Causas* prædicati et subjecti propositionis a nobis probandæ. Item si comparemus illa ad prædicamenta, ad

alias res, quæ dicuntur in Philosophia, vel in Theologia. Item ad ea, quæ audivimus, quæ legimus, quæ experti sumus, quæ conceduntur, vel ab omnibus, vel saltem ab adversariis, contra quos disputamus, et ad alia ejusmodi, quæ possunt pertinere ad propositam conclusionem; sic enim fit, ut quasi sponte sua sese offerant diversa media, ex quibus aptiora eligi debent.

Secunda regula pro propositionibus universalibus negativis est. *Ad illas probandas considerandi sunt termini, qui repugnent prædicato conclusionis, et tamen conveniant subjecto;* si enim aliquid repugnat prædicato, quod tamen dicatur de subjecto, profecto prædicatum non erit idem cum subjecto. Ut, volo probare *Mortem non esse bonam*, debeo cogitare quænam repugnent *Bono*, quæ tamen conveniant *Morti*, et statim se offert ingens copia talium rerum; nam, quod privat vita, quod est contrarium inclinationi naturæ, quod omnia fugiunt, quod nos separat ab amicis, quod privat omnibus vitæ bonis, quod adimit spatium pœnitentiæ, non est bonum; quæ tamen omnia conveniunt morti. Complicando igitur istos terminos sic efformo argumentum. *Quod privat vita, non est bonum;* sed *Mors privat vita:* ergo *Mors non est bona*, Item: *Quod est contrarium inclinationi naturæ, non est bonum;* sed *Mors est contraria inclinationi naturæ:* ergo *non est bona.* Item: *Quod omnes fugiunt, non est bonum;* sed *omnes fugiunt Mortem:* ergo *non est bona*, et sic de aliis.

Addi præterea potest, quod omnis propositio universalis negativa potest converti simpliciter; unde ad illam probandam non solum utilia sunt, quæ repugnant prædicato et conveniunt subjecto, sed etiam, quæ repugnant subjecto, et conveniunt prædicato, ut patet in exemplo; nam, quia bono convenit esse gratum, esse conveniens naturæ, quæ omnia repugnant morti, ideo possum sic arguere: *Omne bonum est gratum;* sed *Mors non est grata:* ergo *nec bona.* Item: *Omne bonum convenit naturæ;* sed *Mors non convenit naturæ:* ergo *Mors non est bona.*

Tertia regula. *Ad probandam utramque præfatam conclusionem possumus etiam procedere ab inconveniente, cogitando pro affirmativis quænam inconvenientia sequerentur, si prædicatum non conveniret subjecto. Et contra pro negativis, quænam*

inconvenientia sequerentur, si prædicatum conveniret subjecto. Ut in præfatis exemplis possem considerare, quid sequeretur, si *Mors* non esset *bona*, et reperirem eam a Christo nunquam fuisse electam, nec a Sanctis expetitam, nec a Deo amicis suis pro munere immissam; unde sic arguere possem: Si mors non esset bona, non esset a Christo electa; sed est electa a Christo: ergo est bona. Ad probandam autem mortem non esse bonam, possem adhibere inconvenientia, quæ sequerentur, si esset bona: v. g. quod liceret eam sibi inferre; quod non esset effectus peccati; quod vita ipsa esset mala: unde sic argui posset. *Si Mors esset bona, liceret eam sibi inferre, atqui id non licet; ergo non est bona*, et sic de aliis.

§. II.

De Locis ex quibus eruuntur media Syllogismorum.

Locus est sedes, (1) seu promptuarium, ex quo eruitur medium Syllogismi. Decem vulgo assignantur; a *Causis*, ab *Effectibus*,

---

(1) *Locum definit Tullius in Top. 1.* argumenti sedem; argumentum autem rationem, quæ rei dubiæ faciat fidem. *Clarius: argumentorum* sedes, *sive promptuaria unaquæque, e quorum sinu vel ad confirmandum, vel ad convellendum* Media *extrahuntur fundantur in quibusdam* axiomatibus *universalioribus, quæ in quavis propositione excogitabili, cujusvis ea sit materiæ, aut ordinis, reperire est. Ut puta Locus a definitione, hoc axiomate regitur* — quod affirmatur de definitione, affirmatur de definito; et e contra — *Hinc ea axiomata* Maxima, *et* locus Maxima *ab Scholasticis vocatur.* Ratio *vero sive argumentum, est consonantia, sive convenientia rei de qua agitur in subjecta materia, cum* Maxima, *sive axiomate universali: ita ut, Majorem Syllogismi partem, sive propositionem constituat* Maxima; *minorem vero particularis rei* definitio, *de qua agitur. Quapropter Loci illi non alia ratione dicuntur communes, nisi quia multa continent et pluribus disciplinis, quarum altera alteri subjicitur, conveniunt; non valent tamen ad scientiam, vel ad opinionem gignendam nisi ad genus rei, quæ demonstratur coerceatur, et fiat plane propria.*

Hæc opportune notavimus, ut eorum explodatur sententia, qui locos communes *tenent uti inutiles, atque id solum statuunt*

a *Subjecto*, ab *Adjunctis*, a *Contrariis*, a *Simili*, a *Nomine*, a *Definitione*, a *Divisione*, ab *Auctoritate*, de quibus tantisper dicendum.

1. Ex loco a *causis* sumitur medium, dum effectus probatur per causam, vel materialem; ut: Corpus humanum est mortale, quia constat elementis contrariis: vel formalem; ut: homo est rationalis, quia constat anima intellectiva: vel efficientem; ut: Auster est ventus calidus, quia spirat e locis, ubi major est ardor Solis: vel finalem; ut: male agis, quia malum finem intendis.

2. Ab *effectibus* sumitur medium, cum e contra causa probatur per effectum; ut: est ordo in rebus naturalibns; ergo est providentia. Auster est hyeme calidus; ergo spirat a regione calida. Locorum a causis et ab effectibus quædam sunt axiomata. *Qualis causa, talis effectus, et contra; quod est causa causæ, est causa causati; sublata causa tollitur effectus; si effectus est, causa est; posita causa necessaria et totali ponitur effectus.*

3. A *subjecto* sumitur medium, cum aliquid de accidente probatur ex ejus subjecto; ut: sanitas non est stabilis, quia est in subjecto instabili; Prudentia est virtus intellectualis, quia est in intellectu.

4. Ab *adjunctis* ducitur medium, cum aliquid de re probatur ex iis, quæ illam circumstant; a personis, a loco, a tempore, etc. ut: Petrus perpetuo conversatur cum malis: ergo malus.

5. A *contrariis*, cum unum contrarium ponimus, ut aliud destruamus, vel vice versa; ut: est nox; ergo non lucet: Calor rarefacit; ergo frigus addensat: Virtus est amabilis; ergo vitium odiosum. Hujus loci sunt axiomata: *Contrariorum contraria est ratio. Opposita non possunt esse simul.*

6. A *simili*, cum simile a simili probatur; ut: Deus in se

---

ad probationes propositionum aptissimum, si rem, *de* qua agitur, *attente quis consideret, et naturam, causasque intimius perscrutetur. At quid est aliud naturam alicujus rei considerare, nisi proprietates, affectiones, causas, effectus ejusdem, mediante aliqua veritate cognita inquirere?*

confidentem Susannam a calumnia liberavit: ergo et te si eum invoces. Miles pro Rege vitam exponit; cur non et tu pro Deo? Axioma hujus loci est, *Similium similis est ratio.*

7. A *nomine* tribus modis ducitur medium. Primo cum aliquid de re probamus ex nomine illi indito; ut: Seraphinos Deum ardentius amare, quia ab ardore nomen habent: nam Saraph apud Hebræos est *ardere.* Angelos esse Dei nuntios, eo quod (Angelos) Græce sit Latine *Nuntius.* Secundo cum ab Etymologia nomen probamus convenire rei; ut: amat Sapientiam; ergo est Philosophus. Tertio cum a conjugatis argumentamur: Juste non agit; ergo non est justus. Homo sum: ergo nihil humanum a me alienum puto: Sæpe ebrius est; ergo ebriosus.

8. A *definitione* locus est, cum definitio prædicati, aut subjecti adhibetur ad probandum utriusque nexum, aut pugnam; ut: rotundum est, cujus partes æqualiter distant a centro; sed partes terræ æqualiter distant a centro: ergo terra rotunda. Aliquando sumitur integra definitio; aliquando solum genus subjecti, tumque dicitur locus a genere; ut: homo est animal: ergo mortalis; aliquando sola differentia, tumque dicitur locus a differentia; ut: homo est rationalis: ergo capax scientiæ. Hujus loci axiomata sunt: *Quod affirmatur de definitione, affirmatur de definito; et quod de ea negatur, itidem et de definito,* et vice versa: *De quo affirmatur, aut negatur definitio, affirmatur aut negatur definitum,* et vice versa. Et speciatim pro genere: *Quod convenit generi, convenit speciei: Sublato genere tollitur species. Posita specie ponitur genus;* at non vice versa.

9. A *divisione* locus est, cum ex toto partem probamus, aut ex omnibus partibus totum, aut exclusis aliis eam, quæ superest, colligimus, aut aliquid esse in toto, quia est in aliqua ejus parte. Hujus loci Axiomata sunt, *Si est totum, est pars;* ut: existit homo: ergo anima rationalis. *Si est in parte, est in toto;* ut: est Parisiis: ergo in Gallia. *Exclusis partibus omnibus excluditur totum;* ut: Paradisus terrestris non est in Europa, non in Africa, non in Asia, non in America, nec videtur esse sub frigidis regionibus incognitis: ergo non extat amplius. *Exclusis reliquis partibus valet consequentia ad eam, quæ superest;* ut: Prudentia non est in voluntate, non in appetitu: ergo in intellectu.

10. Ab *auctoritate* locus est, cum testimonium Sapientium assumitur ad quæstionem probandam. Valet hic locus in Theologia, quæ fide et auctoritate nititur, minus in Philosophia, licet in ea non contemnendus; quatenus eo utendum, diximus 2. p. art. ultimo (1).

Hi loci dicuntur Probabiles, et Dialectici, quia præbent media dialecticis, seu probabilibus argumentis. Attamen etiam Demonstrativa, seu Analytica argumenta, in quibus scilicet causæ necessariæ, et evidentes nexus, aut pugnæ extremorum quæstionis investigantur, ex quibusdam eorum eruuntur; ut a *causis*, a *divisione*, maxime vero a *definitione*, quæ est proprium medium demonstrationis, si clara sit et propria.

ARTICULUS SEXTUS

DE SYLLOGISMO SOPHISTICO

Sophisma est *Syllogismus captiosus*, seu constans ex propositionibus ita captiose ordinatis; ut præseferant speciem veritatis, cum tamen falsæ sint. Omne autem sophisma decipit vel in forma, vel in vocibus, vel in rebus: unde triplex est falla-

---

(1) *Cicero in Top. 1. decem, et octo enumerat locos, e quibus* media *Syllogismorum eruantur: iique sunt. 1. a definitione, 2. ab enumeratione partium, 3. a notatione nominis, 4. a conjugatis, 5. a genere, 6. a specie seu forma, 7. a simili, 8. a differentia, 9. a contrariis, 10. ab adjunctis, 11. ab antecedentibus, 12. a consequentibus, 13. a repugnantibus, 14. a causis, 15. ab effectibus, 16. a Majori, 17. a Minori, 18. a Pari. De quibus omnibus fusius agunt Rethores, eo quod cum Dialecticis multa habent communia. Nec putandum est a Tullii enumeratione Auctorem nostrum recessisse, cum satis pateat attente consideranti, quam per facile in primis* novem *enumeratis ab Auctore, cæteri Tulliani loci includi. In loco puta a Definitione, implicite et genus, et species, et differentia, veluti partes in toto continentur, et tunc solum dicitur locus a genere, a* differentia *etc. cum rationes speciales ex hac parte afferuntur, cæteris prætermissis: et sic porro de aliis locis dicendum.*

cia, scilicet *formæ*, *vocis et rerum*. Circa fallaciam formæ nihil dicendum occurrit: nam supra satis exacte tradidimus regulas discernendi formam legitimam ab illegitima. Circa fallaciam vocum et rerum quædam breviter dicemus.

Fallacia vocum est, *dum quis ut decipiat, abutitur vocibus, easque usurpat in sensu fallaci*. Quinque præcipue sunt modi fallendi in vocibus, *Æquivocatio*, *Amphibologia*, *Variatio sensus compositi aut divisi*, *Accentus*, *et Figura dictionis*.

Æquivocatio est, dum *quis utitur in argumento voce æquivoca*; ut si quis ita arguat: Aries est animal; sed machina bellica est aries: ergo machina bellica est animal; nam istud nomen *Aries* æquivoce sumitur pro animali, et pro machina bellica, qua antiqui muros dejiciebant.

Amphibologia est, dum *quis utitur phrasi ancipitis sensus*, ut sæpe solebant antiqua Gentilium oracula: sic Pyrrho quærenti, an Romanos superare posset, respondit Oraculum: *Ajo, te Æacida Romanos vincere posse:* quæ phrasis æque significat, Pyrrhum a Romanis vincendum, vel Romanos a Pyrrho superandos.

Fallacia sensus compositi, aut divisi est, dum *quis arguit a sensu composito ad divisum, vel contra;* ut: qui habet potentiam ambulandi, potest de facto ambulare; sed Petrus sedendo habet potentiam ambulandi: ergo sedendo potest ambulare.

Fallacia accentus est, dum *quis utitur voce ex accentus diversitate sensum variante;* ut: qui occidit, moritur; sed gladius occidit: ergo gladius moritur.

Fallacia dictionis est, dum *ab uno genere ad aliud fit transitus;* ut si quis dicat: omne corpus visibile est coloratum; sed paries est visibilis: ergo paries est coloratus; nam ibi variatur genus masculinum in neutrum. Hæc porro fallacia omnino puerilis est.

In rebus plures fallaciæ contingere possunt; præcipuæ septem enumerantur. Prima est fallacia *accidentis*, seu prædicati; quando scilicet prædicatum variat suppositionem; ut si quis dicat: animal est genus; sed homo est animal: ergo homo est genus. Risibile est proprietas: homo est risibilis: ergo homo est proprietas.

Secunda fallacia est a *simpliciter ad secundum quid*, *et contra*, dum quis scilicet arguit ab eo, quod simpliciter verum est, ad secundum quid; ut: Arma sunt restituenda domino; sed iste furibundus est dominus talium armorum: ergo sunt restituenda isti furibundo. Quamvis enim major sit vera simpliciter, non est tamen vera secundum quid; licet enim arma sint absolute restituenda domino, non tamen in aliquo casu, si nempe sit furibundus.

Tertia fallacia est *contradictionis*, quando scilicet *infertur contradictio*, *ubi nulla est;* ut si quis dicat: Æthiops est albus secundum dentes; sed non est albus secundum alia membra: ergo est albus et non albus; ergo in Æthiope contradictoria verificantur; falsum enim est, quod ibi sit contradictio, quia non est albus et non albus secundum idem.

Quarta fallacia est *petitio principii*, cum scilicet quis aut arguendo, aut respondendo assumit conclusionem probandam pro medio, vel solutione; ut si quis post longam disputationem, in qua probaret, Deum esse in prædicamento, tandem huc devenisset, quod in Deo potest formari conceptus genericus, et differentialis, hanc propositionem ita probaret: Quidquid est in prædicamento, habet conceptum genericum; sed Deus est in prædicamento: ergo habet conceptum genericum. Esset petitio principii, quia probaret ultimam propositionem negatam per id a quo incepit disputatio.

Quinta fallacia dicitur *consequentis*, quando quis arguit conversim in his, quæ non convertuntur; ut: Si currit, movetur: ergo si non currit, non movetur. Si est homo, est animal: ergo si non est homo, non est animal.

Sexta fallacia dicitur *non causæ ut causæ*, quando scilicet quis tribuit effectum ei, a quo non causatur; ut si quis dicat: inebriari est malum; sed vinum inebriat: ergo vinum est malum. Et: seditiones sunt malæ; sed propter Evangelium excitantur seditiones: ergo Evangelium, etc. non enim vinum est causa ebrietatis, sed malus ejus usus; nec Evangelium est causa seditionum, sed malitia hominum fidem persequentium, aut Evangelii prætextu Rempublicam turbantium.

Septima fallacia dicitur *interrogationis*, dum quis de oppo-

sitis simul interrogando, unam pro utroque responsionem elicit; ut si quis ita quærat: Virtus et iniquitas estne bona, vel mala? Si enim respondeatur, mala, inferet: ergo virtus est mala.

Sed horum omnium ut jam vix aliquis est usus, ita quoque ipsis non est prolixius inhærendum. Fusius de illis egit Aristoteles, quia ejus temporibus vigebant Sophistæ, quorum tota cura occupabatur in excogitandis versutiis, quibus incautos vel deciperent, vel implicarent.

APPENDIX DE METHODO

Methodus Græce, Latine redditur *Via brevis et expedita.* Eo nomine vocatur apta rerum cognoscendarum dispositio; unde methodus definitur, *modus ordinate procedendi in cognitione veritatis.*

Duplex est methodus: *Analytica*, seu Resolutiva; et *Synthetica*, seu Compositiva; duobus enim modis proceditur in cognitione veritatis, *inventione*, et *doctrina.* Inventione, cum veritatem proprio ingenio quærimus; Doctrina, cum inventam aliis tradimus. Methodus *Analytica* est *modus ordinate procedendi ad inveniendam veritatem.* Dicitur Analytica, seu resolutiva, quia resolvit quæstiones ad sua principia, effectus ad suas causas, composita ad suas partes, particularia ad universalia, sub quibus continentur; nam quæstio per principia innotescit, effectus per causam, compositum per partes, particulare per universale. Methodus *Synthetica*, seu compositionis, est *modus ordinate procedendi in docenda veritate.* Dicitur compositiva, quia modo priori opposito procedit, nempe a principiis ad conclusiones, a causis ad effectus, a partibus ad totum, ab universalibus ad particularia, id est, a simplicioribus ad compositiora: utraque ergo idem iter terit, sed opposita ratione. *Analytica* a rebus ad rerum principia ascendit, *Synthetica* a principiis jam inventis ad res explicandas descendit; illa est ut ascensus a valle ad montem, ista ut descensus a monte ad vallem.

Exemplum utriusque methodi. Qui primi Logicam invenere, prius consideraverunt, aliquando bene, aliquando male nos ratiocinari; inde moti sunt ad investigandam naturam Syllogismi, quam ut cognoscerent, resolverunt Syllogismos in propositiones; rursus illas in terminos, ex quibus constant; at qui nunc docent

Logicam, vice versa primo agunt de terminis, deinde propositionem ex illis compositam explicant, postremo Syllogismum.

Est et alia methodus arbitraria, seu prudentiæ. Hæc non se rebus ipsis tractandis, sed illas auditorum captui, atque loco, tempori, aliisque circumstantiis accommodat.

Nunc superest, ut methodi regulas tradamus, primo in genere, deinde cujuslibet in particulari.

Quatuor Regulæ Methodi in genere

1. A Facilioribus, notioribus, proximioribusque semper incipiendum, atque ex iis paullatim et per gradus ad difficiliora, obscuriora et remotiora progrediendum; nam sic fit, ut priora viam aperiant et muniant ad posteriora, et nota veritas facem præferat ad ignotam ei proxime conjunctam, illustrandam, hæc ad aliam, sicque succedenter. Hoc ordine servato ex minima veritate clare percepta, ut ex modico semine, innumeræ aliæ seriatim mira fœcunditate pullulant. Sic Socrates rudem puerum ordinate interrogando ad difficillimarum quæstionum cognitionem brevi tempore manuduxisse fertur. Sic Geometræ pauca principia, eaque vulgaria et cuique nota ponunt, ex quibus ordinate tractatis innumeras veritates, easque abstrusissimas perspicue evolvunt.

2. Servetur ordo naturalis rerum, eique artificialis se accomodet, quantum fieri potest; nam sic, una re ex alia quasi sponte sua fluente, mens facile et placide in earum cognitionem progredietur.

3. Res cognoscenda in omnes partes, atque attributa dividatur beneficio partitionis et abstractionis; atque suo quæque loco distincte constituantur, fingendo in iis ordinem et connexionem, si re ipsa non sit. Nam pauca facilius, quam multa, et multa invicem ordinata connexaque, quam confusa et disparata cognoscimus.

4. Inutilia, extraneaque resecentur, insistendo unice scopo, ad quem tenditur. Nam mentis attentio inutilibus obruitur, extraneis a proposito abducitur, et dum vagatur per multa, ut viator in campis oberrans, aut nunquam, aut sero metam attingit.

Regulæ tres Methodi Analyticæ

Omnis inquisitio veritatis circa tria fere versatur; nam vel propositæ quæstionis veritas, aut falsitas quæritur, vel noti effectus causa efficiens ignota, vel compositi confusius noti partes, principia et ex illis fluentes proprietates. In illis quærendis industria mentis plus valet, quam regulæ. Hæ tamen statui possent.

1. Attente videndum, quid quæratur; atque ad id unice omnis inquirentis cura intendenda; nam qui prorsus nescit, quid quærat, nec inventum agnoscet; qui vero per multa vagatur, vix ad scopum unquam attinget.

2. Deinde attendendum ad rem, de qua aliquid quæritur, ejus omnes status, facies, circumstantias explorando; atque eam in partes, partiumque particulas et attributa dividendo; nam in eo consistit, et ab eo nomen traxit hæc methodus, quod rem ipsam exacte dissolvat, ut ejus causas et principia perscrutetur, atque velut ex ejus visceribus eruat. Si sit *quæstio*, resolvenda est in suos terminos, hi rursus in sua genera et differentias; atque hæc ulterius, quantum necesse fuerit, ut tandem ratio ejus percipiatur. Si sit *effectus*, multis experientiis ac variis explorandus est; omnes *circumstantiæ* attendendæ, atque circa illum observandum quidquid possumus. Si sit *totum*, resolvi debet in omnes partes, ac partium particulas. Hæc divisio plerumque mente fit; at nonnunquam reipsa. Sic Anatomia cadaver animalis secat; sic Chymia dissolvit metalla et alia gladio ignis. Nec solum effectus et compositum consideranda sunt jam absoluta et perfecta, sed ab *ortu* ad *exitum* exploranda; ut: melius animal cognoscet, qui ejus in utero formationem, deinde progressus, tandem exitum et dissolutionem attendet.

3. Accurate inspiciendæ sunt singulæ partes, atque invicem conferendæ. Et ubi aliqua veritas clara ex hac comparatione ac inspectione elucescere incipit, hæc veluti scintilla fovenda est et promovenda, alias ex ea ordine eruendo, donec ad illam, quam quærimus, perveniamus; nam, ut jam monui, mira est connexio veritatum, adeo ut ex una recte tractata innumeræ evolvi possint.

Exemplis hæ regulæ illustrabuntur. Proponitur quæstio, *an Logica sit speculativa*, 1. Attendo, quid quæratur, nempe principium clarum hæc extrema connectens, aut dividens. 2. Dissolvo quæstionem in suos terminos, illos rursus in suam definitionem. Speculativum est, *quod unice intendit cognitioni veritatis:* Logica est *facultas dirigens mentem in cognitionem veritatis:* exinde tendendo ad scopum, hanc elicio, totam Logicam tendere ad cognitionem veritatis; ex ea tandem eam, quam quæro, unice intendere cognitioni veritatis; hæc enim quæstionem solvit, et Logicam speculativam esse demonstrat. Alio modo Geometris familiari resolvitur quæstio, videndo quid ex ea sequatur, aut ex quo sequatur; nam si ex ea falsum sequitur, falsa; si ex aliquo vero sequitur, vera erit.

Item quæritur *causa efficiens hominis*. 1. Attendo quid quæram, principium, a quo productum sit, quidquid hominis naturam constituit. 2. Resolvo hominem in partes, corpus et animam; in anima rationem, in corpore mirum partium ordinem observo. Ex his clare video, causam efficientem hominis debere esse aliquod intellectuale, ut possit mentem dare, et summe sapiens, ut possit adeo sapienter corporis partes ordinare. 3. Ulterius hanc veritatem promovendo, video, has dotes non competere proximis principiis effectivis hominis, patri et matri; inde concludo, esse hominis altius principium effectivum, nempe mentem ratione sapientissima præditam. In hac methodo regredi possumus a causa cognita ad effectum plenius cognoscendum, aut ad alios similes detegendos; ut a mente illa sapientissima non solum hominem, sed et alias res processisse, atque gubernari, ut Cœlos, astra, elementa, plantas, etc. quæ omnia rursus examinando, ex illis ampliorem divinæ hujus mentis cognitionem haurio, atque vicissim ex ea pleraque circa res humanas et naturales.

Item quæruntur *principia corporis animalis*. 1. Attendo quid quæram; non quæro causam efficientem, non finalem, sed materialem, et formalem. 2. Resolvo compositum illud in suas partes, has rursus in alias, donec ad minimas perveniam, quæ singillatim examinanda sunt; atque ut plenior sit cognitio, earum prima formatio in aliquo particulari est exploranda, puta, pulli in ovo. Quæ omnia si per te ipsum præstare non potes,

consulenda aliorum experimenta, sed ordinate, quasi si per teipsum ea faceres.

Quinque Regulæ Methodi compositivæ

Hæc, ut dixi, in tradendis jam inventis scientiis observatur. Hujus regulæ faciliores sunt.

1. Utendum terminis claris, ac recte explicatis et definitis; nam hi sunt elementa totius scientiæ, unde si obscuri sint, confusi, ambigui, nihil evidens ex iis constructur.

2. Ex terminis clare perceptis formandæ propositiones per se notæ, ut sint principia clara docendorum.

3. Ex per se notis principiis recta forma combinatis eliciendæ sunt proximiores conclusiones, ex illis gradatim aliæ; nec inserenda est unquam aliqua propositio, quæ aut per se nota non sit, aut ex alia per se nota evidenter deducta; nam secus nihil evidenter concluditur. Et quidem non in omnibus præsto sunt tales propositiones; probabilibus uti aliquando cogimur: at tunc non demonstramus, sed tantisper suademus.

4. Quidquid ad genus pertinet, tractetur antequam ad species descendatur; tum gradatim quod pertinet ad proximiores species.

5. Digressiones fugiendæ; brevitatis magna, sed perspicuitatis major habenda ratio, ut et connexionis; omnia ordinate disponendo, ac suis nexibus quæque invicem conjungendo; sed hæc fusius explicare nihil necesse est. Verum de Logicæ præceptis hactenus, nunc ad quæstiones pergendum.

LOGICA MAJOR

QUÆSTIONES, QUÆ DE REBUS LOGICIS AGITARI SOLENT COMPLECTENS.

Usus in Scholis obtinuit, ut circa res Logicas pleræque moveantur quæstiones, quæ licet prima fronte subtiles magis, quam utiles videantur, suo tamen fructu non carent; nam aliquæ præcepta illustrant, aliæ sua sublimitate mentem acuunt; omnes exercitatum in illis animum ad alias scientias paratiorem efficiunt.

Harum quæstionum quædam Logicam ipsam spectant, aliæ vero res de quibus agit; itaque præmittemus quæstionem præambulam de ipsa Logica, deinde opus in tres partes dividemus, tribus mentis Operationibus correspondentes. In prima de iis disputabimus, quæ ad *Apprehensionem* pertinent, ut sunt Universalia et Prædicamenta. In secunda de *Propositione*, qua dirigitur Judicium. In tertia de *Argumentatione*, quæ ad Discursum pertinet. Eadem scilicet partitione usi, quam in Minori Logica observavimus.

QUÆSTIO PRÆAMBULA

De ipsa Logica.

Logica duplex statui solet, *Naturalis*, et *Artificialis*, seu Acquisita. Logica Naturalis *est Facultas discurrendi a natura indita, qua sine ullis præceptis etiam imperiti et rudes aliquatenus ratiocinantur.* Logica Artificialis *est facultas usu et studio comparata, præcepta complectens, quibus mens ad recte ratiocinandum dirigitur.* Nam experimur, ut alias facultates innatas ædificandi, pingendi, cantandi, etc. ita et ipsam ratiocinandi vim nobis a natura inditam, esse admodum imperfectas,

et nisi artis præceptis juventur, nihil fere egregium moliri; unde, ut ad opera externa quædam artes inventæ sunt, quibus facultas naturalis perficitur, ut ad ædificandum, pingendum, navigandum, excolendos agros, etc. ita et oportuit artem invenire, cujus præceptis ad recte ratiocinandum mens adjuvaretur.

Hic de artificiali Logica tantum agimus, circa quam primo quæritur, *quid sit ejus objectum;* secundo, *an sit Scientia;* tertio, *quæ sit ejus divisio in docentem et utentem;* quarto, *qualis sit Scientia, an speculativa;* quinto, *an sit necessaria ad alias scientias;* sexto, *an earum demonstrationes efficiat.*

ARTICULUS PRIMUS

QUID SIT OBJECTUM LOGICÆ

Omnis facultas cognoscitur per suum objectum; cum enim tota sit propter ipsum, talis est, qualem eam objectum exigit; unde ab eo specificari dicitur. Ut ergo quid sit Logica innotescat, primo videndum, quid sit ejus objectum. Vocamus autem hic objectum alicujus facultatis id, *quod ipsi considerandum objicitur, seu circa quod versatur;* ut objectum visus est color, objectum gustus est sapor, objectum cujusvis scientiæ sunt res, circa quas ejus consideratio versatur.

At in objecto duo accurate discernenda sunt; *Materiale et Formale.* Objectum materiale *est ipsa res, circa quam facultas quælibet versatur.* Objectum formale *est id, quod in ea re facultas attingit;* ut objectum materiale visus sunt *res,* quæ videntur; Objectum formale *est color,* quem in rebus videt. Sic in scientia Objectum materiale sunt *res,* de quibus tractat; Objectum formale *est illa propria ratio,* quam in illis considerat; ut Medicinæ objectum materiale est *corpus humanum, sanabilitas* vero est ejus objectum formale; agit enim de corpore humano, non sub omni ratione, sed ut est per artem sanabile. Ex objecto materiali et formali fit unicum integrum objectum, quod *objectum attributionis* vocatur, quia ad illud referuntur omnia, de quibus agit scientia; ut corpus sanabile est objectum medicinæ; Ens mobile est objectum Physicæ. Vocatur etiam *Subje-*

ctum scientiæ, quod ejus disputationibus subjiciatur: nonnumquam, *Materia circa quam.*

Præterea inter objectum et facultatem sæpe aliquid mediat, cujus ope illud attingit; ut inter visum et colorem mediat *lux*, cujus ope color a visu percipitur; inter scientiam et objectum mediant *principia*, quibus objecti cognitio habetur. Illud medium dicitur *Ratio*, *sub qua.* His ita constitutis.

In primis certum est, rationem, *sub qua* Logicæ esse *principia*, quibus conclusiones suas illustrat; ut: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;* et: *Quod dicitur de omni, dicitur de quolibet sub eo contento, etc.* principia enim sunt veluti quædam lux irradians conclusiones, ideoque se habent in scientiis, ut lux in visione. Solum difficultas esse potest de *objecto materiali*, at major de *objecto formali*, circa quod tres sunt præcipuæ sententiæ.

Prima Nominalium, qui censent, voces esse objectum Logicæ. Sed illa fere obsolevit; non enim de vocibus, sed de rebus per eas significatis agunt scientiæ, licet utantur vocibus loco rerum; ut computator utitur calculis ad numerandas pecunias. Plane Medicina non est de hac voce *morbus*, sed de re per eam significata.

Secunda Sententia tres mentis operationes, ut dirigibiles a Logica, censet esse ejus objectum. Ea est plurium recentiorum.

Tertia, Ens rationis directivum operationum mentis assignat pro objecto formali Logicæ: ita Thomistæ, ac plerique alii.

PRIMA CONCLUSIO

Objectum materiale Logicæ sunt res omnes a nobis cognitæ.

Probatur. Objectum materiale facultatis discurrendi est ipsa discursus materia, ut patet ex terminis; sed res omnes cognitæ sunt materia discursus, de omni enim re cognita discurrimus: ergo sunt objectum materiale facultatis discurrendi, quæ est Logica.

Dices. Objectum materiale scientiarum realium non est objectum materiale Logicæ; sed res cognitæ sunt objectum materiale scientiarum realium: ergo non sunt objectum materiale Logicæ.

Resp. Transeat major, (nam eadem materia potest pertinere ad diversas scientias) et distinguo minorem: Res cognitæ sunt materia scientiarum realium, *eo modo, quo Logicæ*, nego; *sub alio modo*, concedo: Res enim cognitæ sunt materia scientiarum realium, præcise ut cognosci possunt; sunt vero materia Logicæ, quatenus artificiose disponi possunt in modum Definitionis, Propositionis, Syllogismi, etc.

SECUNDA CONCLUSIO

Objectum formale Logicæ est Ens rationis directivum trium mentis operationum.

Per illud Ens rationis *intelligo artificiosam dispositionem*, quam ratio facit in rebus cognitis, dum ens ordinat in modum prædicati, subjecti, generis, speciei, definitionis, divisionis, propositionis, syllogismi, etc. ut enim ars pingendi colores artificiose disponit, ut repræsentent, atque adeo colores sunt objectum materiale hujus artis; dispositio vero colorum objectum formale; ita Logicæ proprium munus est, res cognitas artificiose disponere in modum claræ definitionis, boni syllogismi, etc. quo facilius a mente possint percipi; unde res cognitæ sunt ejus objectum materiale; dispositio vero illa artificiosa, seu forma definitionis, syllogismi, etc. est ejus objectum formale. Hæc dicitur *Ens rationis*, quia non est in rebus, sed solum in mente eam apprehendente, et res ita ordinante. Dicitur etiam *secunda intentio*, quia res afficit, non ut sunt in se, sed ut sunt in mente. Hac adeo plana explicatione vides, quam immerito quidam, ut Thomistas impugnent, dicant eos habere pro Logicæ objecto Chimæras; non enim Chimæras hic fingimus, sed rem proponimus, quam quilibet in se ipso quotidie experitur. Nam cum Syllogismum facis, quid aliud facis, quam illum artificiosum ordinem inter propositiones et terminos?

Conclusio sic explicata est S. Thomæ, cujus verba exscribere non pigebit; nam eam non mediocriter illustrant. *Ens*, inquit 4. Metaph. lect. 4. *est duplex; ens natura, et ens rationis. Ens rationis proprie dicitur de illis secundis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus consideratis, ut est intentio generis*,

differentiæ, prædicati, etc. quæ quidem non inveniuntur in rebus, sed considerationem rationis consequuntur: et ejusmodi ENS RATIONIS *est proprie* SUBJECTUM LOGICÆ. Et in Prœmio Ethicæ: *Ordo*, inquit, *quadrupliciter ad rationem comparatur; est enim quidam ordo, quem ratio non facit, sed solum considerat, sicut est ordo rerum naturalium: alius ordo est, quem ratio considerando facit in proprio actu, ut cum ordinat conceptus suos ad invicem: tertius ordo est, quem ratio facit in operibus voluntatis: quartus ordo est, quem ratio nostra facit in rebus exterioribus, ut in arca, in domo, navi, etc. Ordo, quem ratio considerat, sed non facit, pertinet ad Philosophiam naturalem. Ordo,* QUEM RATIO CONSIDERANDO FACIT IN PROPRIO ACTU, *pertinet ad Philosophiam rationalem* (id est Logicam). *Ordo autem actionum voluntatis pertinet ad moralem Philosophiam. Ordo demum, quem ratio facit in rebus exterioribus, pertinet ad Artes mechanicas.*

Probatur conclusio ratione. Objectum formale Logicæ est forma definitionis, propositionis, syllogismi, etc. sed hæc forma est ens rationis: ergo ens rationis est objectum formale Logicæ. Major non negatur ab Adversariis, et si negent, sic demonstratur: Objectum formale Logicæ est id, quod ab ea proprie attingitur in objecto materiali, ut patet ex definitione objecti formalis; atqui res omnes, quæ sunt materiale objectum Logicæ, attinguntur ab ea præcise, quatenus ex iis formari possunt syllogismi, definitiones, etc. ergo ejus objectum formale est forma definitionis, syllogismi, etc. Minor vero probatur ex dictis: Artificiosa dispositio non existens in ipsis rebus, sed in illis apprehensa per rationem est ens rationis, id est, existens in sola cognitione rationis; atqui forma syllogismi, definitionis, etc. est artificiosa dispositio apprehensa per rationem in rebus cognitis; ergo est ens rationis. Major evidens est ex ipsis terminis. Minor patet experientia; formamus enim syllogismum, aut definitionem, dum res a nobis cognitas artificiose disponimus juxta Logicæ præcepta; unde syllogismus a S. Augustino dicitur *artefactum rationis:* porro cujusvis artefacti forma est dispositio materiæ, qua constat secundum regulas artis; ut forma domus est artificiosa dispositio lapidum et lignorum.

Confirmatur. Objectum formale Logicæ est id, ad quod ejus omnis cura, omniaque præcepta tendunt; atqui omnis cura, omnia præcepta Logicæ ad id tendunt, ut sciamus recte objecta disponere in modum prædicati, subjecti, generis, differentiæ, syllogismi, *etc.* quo mens facilius ea cognoscat: ergo hæc artificiosa dispositio jure illi tribuitur ut objectum formale; unde aliæ scientiæ *Reales* dicuntur, quod de rebus agant; Logica vero *Rationalis*, quod agat de ordine in rebus a ratione facto.

Respondent Adversarii, artificiosam illam dispositionem, non esse ens rationis apprehensum in rebus cognitis, sed ens reale inhærens ipsis actibus mentis; ut, formam syllogismi esse ordinem actuum mentis, quorum priores tertium inferunt.

Sed hæc responsio repugnat evidenti experientiæ; nam dum formo syllogismum, non ipsum mentis actum dispono, sed tres ideas rerum invicem comparo et ordino, ut illis sic dispositis mens mea assentiatur extremorum conjunctioni, propter unionem cum medio; et cum definio, non actum meum, qui simplex est, dispono, sed rei definiendæ genus et differentiam.

Replicant; dispositionem objectorum fieri a Logica, ut per eam mentis operationes dirigat, proindeque illas ut dirigendas per se intendi a Logica ut proprium objectum; dispositionem vero objectorum ut medium ad illud.

Sed contra. Objectum Logicæ est id, in quo totum ejus artificium consistit et consummatur; atqui totum Logicæ artificium consummatur in recta dispositione objectorum: ergo est objectum Logicæ. Declaratur Minor. Objectis recte dispositis mens naturaliter, et absque ullis aliis regulis recte fertur in objectum; ut propositionibus per se notis in forma legitima juxta regulas Logicæ dispositis, mens non eget præceptis, ut assentiatur conclusioni, sed ipsa rei evidentia necessario inclinatur: ergo tota ars Logicæ unice versatur circa dispositionem objectorum.

Deinde quod commune est omnibus scientiis, non est objectum Logicæ, sed solum id, quod est ipsi proprium; atqui dirigere mentem est commune omnibus scientiis, eam enim illustrant et perficiunt; at Logicæ proprium est, ut cum cæteræ eam dirigant per cognitionem proprii objecti, Logica id præstet per artificiosam omnium objectorum dispositionem: ergo non ipsa

directio mentis, sed artificiosa objectorum dispositio est proprium Logicæ objectum. Fateor tamen, directionem illam esse finem Logicæ, atque eam id habere præ cæteris, ut generaliter in omnibus mentem dirigat.

Dices. S. Thomas supra relatus dicit, objectum Logicæ esse *ordinem*, *quem ratio facit*, non in objectis, sed *in proprio actu*.

Resp. S. Thomam ibi sumere actum ut includit objectum; nam in præcedenti loco satis expresse docet, ordinem illum fieri in rebus consideratis, atque id patet experientia. Attamen quia non fit in rebus, ut sunt in se, sed ut sunt in actu rationis eas considerantis, dicitur quodam modo fieri in ipso actu rationis.

Collige ex dictis, eos nobiscum sentire re ipsa, sed voce differre, qui dicunt, Orationem Logicalem artificiosam, esse objectum Logicæ; hæc enim formaliter est ens rationis modo a nobis explicato.

Solvuntur Objectiones

Objectiones ex duplici capite procedunt; aliæ contendunt, Operationes intellectus esse objectum Logicæ; aliæ vero, Ens rationis non posse esse illius objectum.

Obj. ex primo capite. Definitio, divisio, et argumentatio sunt objectum Logicæ, atqui hæ sunt ipsissimæ operationes intellectus; ergo operationes intellectus sunt objectum Logicæ. Probatur minor; nam definitio nihil aliud est, quam actus, quo definio; divisio, actus quo divido, etc.

Resp. Distinguo Majorem: argumentatio (et idem dicendum de definitione et divisione) est objectum Logicæ; argumentatio *effectiva*, nego; argumentatio *effecta*, concedo. Similiter ad Minorem distinguo: argumentatio est operatio intellectus; *effectiva*, concedo; *effecta*, nego.

Explicatur solutio. Sæpe nomen operis effecti tribui solet actioni, qua tale opus fit; sicut *pictio* vocatur non solum imago facta, sed etiam actio pictoris imaginem formantis: in hoc igitur sensu argumentatio dicitur non solum oratio, in qua sic propositiones disponuntur, ut una aliam inferat; sed etiam actus intellectus, quo fit talis oratio. Attamen distinctionis gratia actum argumentantem vocamus *argumentationem effectivam*; ora-

tionem vero per talem actum formatam vocamus *argumentationem effectam.* Hoc posito dicimus, objectum Logicæ esse, non quidem argumentationem effectivam, id est, actum, quo arguimus; sed argumentationem effectam, id est, orationem, in qua propositiones sic ordinantur, ut una ex aliis sequatur; neque enim Logica sollicita est de inspicienda natura et proprietatibus illius actus, quo argumentamur; (id enim magis ad Animasticam spectat) sed tota ejus cura est in examinanda natura, proprietatibus, et regulis illius orationis, quæ per mentis actum formata dicitur *argumentatio;* quæque formaliter consistit in dispositione, quam ratio percipit in rebus cognitis. Alii vocant actum argumentantem *argumentationem formalem*, orationem vero per actum mentis formatam vocant *argumentationem objectivam*, sed in idem redit.

Instabis. Argumentatio effecta, seu illa oratio, in qua unum ex alio infertur, non est objectum Logicæ: ergo nulla solutio. Probatur subsumptum: Illa argumentatio est objectum Logicæ, quæ facit scire; sed talis oratio non facit scire: ergo non est objectum Logicæ. Probatur minor; Ens rationis non potest facere scire; sed talis oratio est tantum ens rationis: ergo non potest facere scire. Minor a nobis conceditur, major vero probatur: Ens rationis non potest producere ens reale; sed scientia est ens reale: ergo non potest produci ab ente rationis, proindeque ens rationis non potest facere scire.

Resp. Nego subsumptum. Ad probationem, nego minorem. Ad ejus probationem, distinguo majorem: ens rationis non potest facere scire, *per modum causæ generantis scientiam*, concedo; *per modum conditionis*, *sine qua non*, nego: licet enim illa dispositio artificiosa, quam vocamus *ens rationis*, et in qua formaliter consistit argumentatio, non causet scientiam, attamen est conditio, sine qua res ipsæ, ex quibus fit syllogismus, non causarent scientiam; sicut licet figura gladii non sit causa vulneris, attamen est conditio, sine qua ferrum non vulneraret.

Dices. Licet ex rebus in modum syllogismi dispositis nullum ens rationis, nulla forma syllogistica resultaret, attamen daretur adhuc Logica: ergo talis forma, et tale ens rationis non est objectum Logicæ.

Resp. Argumentum implicare in terminis; nam forma syllogistica essentialiter consistit in eo, quod dispositionem illam in rebus concipiamus, sicut imago essentialiter consistit in eo, quod sit quædam artificiosa dispositio in coloribus; unde sublato ente rationis, implicat dari res in modum syllogismi dispositas.

Urgebis. Instrumentum scientiæ non potest esse objectum scientiæ; sed forma syllogistica non est nisi instrumentum sciendi: ergo non est objectum Logicæ.

Resp. Distinguo majorem: Instrumentum scientiæ non potest esse objectum scientiæ, *principalioris*, concedo; scientiæ *instrumentalis*, nego. Porro Logica est scientia instrumentalis, ideoque vocatur ab Aristotele *Organum*, id est, *instrumentum*; unde non mirum, si ejus objectum sint instrumenta sciendi. Sicut instrumentum artis equestris, scilicet frænum, est objectum alterius artis, scilicet frænifactoriæ.

Objicies 2. Finis Logicæ est ipsius objectum; sed operationes intellectus sunt finis Logicæ: ergo sunt ejus objectum. Probatur minor; nam ad hoc tendit Logica, ut dirigat operationes intellectus.

Resp. Distinguo majorem; Finis *proximus* est objectum Logicæ, concedo; finis *remotus*, nego. Et ad minorem; operationes mentis sunt finis Logicæ *proximus*, nego; finis *remotus*, concedo; primaria enim cura Logicæ est tractare de entibus rationis, scilicet de syllogismo, propositione, definitione, etc. eaque mediante cognitione dirigit operationes intellectus; unde syllogismi, propositiones et alia hujusmodi entia rationis sunt primarius finis et objectum proprium Logicæ; operationes vero intellectus sunt tantum finis remotus.

Instabis. Sic se habet Logica ad actus mentis, sicut Moralis ad actus voluntatis; atqui objectum Moralis non est dispositio, quam ratio facit in actibus voluntatis, sed potius ipsi actus voluntatis: ergo nec dispositio illa artificiosa, quam Logica facit, erit objectum Logicæ, sed potius ipsi actus mentis.

Resp. Transeat major, et nego minorem; nam formaliter loquendo actus voluntatis non sunt objectum formale Moralis, sed potius moralitas ipsa, seu, ut ita loquar, *ens morale*, quod in illis reperitur, ut insinuat Divus Thomas supra relatus, et a no-

bis ostendetur initio Moralis; attamen quia operationes voluntatis sunt subjectum et materia ordinis moralis, ideo totum illud conjunctum ex operatione et moralitate, dicitur objectum moralis scientiæ: at vero operationes intellectus, proprie loquendo, non sunt materia, in qua recipitur dispositio logicalis; non enim forma syllogistica recipitur in actu, quo discurro, sed apprehenditur in rebus a me cognitis; unde operationes mentis non possunt proprie dici objectum Logicæ etiam materiale.

Dices. Quare igitur D. Thomas 3. Poster. lect. 1. dicit, actus mentis esse propriam materiam Logicæ?

Resp. D. Thomam loqui de materia *dirigibili*, non vero de materia *cognoscibili;* nam Logicæ non est cognoscere naturam actuum mentis, sed solum illos dirigere, præbendo syllogismos, et definitiones, quibus procedant ad cognoscendas veritates.

Obj. ex secundo capite. Objectum Logicæ est aliquid reale: ergo non est ens rationis. Probatur antecedens: Specificativum Logicæ debet esse aliquid reale; sed objectum Logicæ est ejus specificativum; ergo debet esse reale. Minor certa est; nam omnes facultates specificantur ab objectis. Major vero probatur: Specificativum entis realis debet esse reale; sed Logica est ens reale: ergo specificativum ejus debet esse reale.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem, nego majorem. Ad ejus probationem, distinguo majorem: Specificativum entis realis debet esse reale; specificativum *intrinsecum* et per modum partis constituentis, concedo; specificativum *exstrinsecum* et per modum objecti terminantis, nego. Explicatur distinctio: Dupliciter aliquid potest specificare aliud, id est, dare illi speciem. Primo intrinsece et per modum constitutivi; ut anima dat speciem homini per modum intrinseci et partis constituentis, et generaliter forma cujuslibet rei specificat illam intrinsece et constitutive. Secundo, per modum termini extrinseci, ad quem res illa ordinatur. Sic generaliter omnis habitus, omnis virtus, omnis scientia speciem desumit ab objecto suo, ut ab aliquo extrinseco, ad quod terminatur. Dicimus ergo, quod licet id, a quo primo modo, *intrinsece* scilicet et *constitutive* specificatur ens reale, debeat esse aliquid reale: attamen id, a quo specificatur secundo modo, scilicet *extrinsece* et *terminative*, non sem-

per est ens reale. Manifestum est autem, Logicam hoc secundo tantum modo specificari ab objecto.

Instabis. Ordo realis debet habere terminum realem; sed Logica dicit ordinem realem ad suum objectum: ergo objectum debet esse quid reale.

Resp. Distinguo majorem: Ordo realis debet habere terminum realem; ordo *prædicamentalis*, concedo; ordo realis *transcendentalis*, nego. Quid sit ordo prædicamentalis et transcendentalis, dicetur infra. Interim ordo prædicamentalis est relatio quædam adventitia rei ad positionem alterius, ut nato filio, resultat in patre relatio paternitatis; et hæc relatio exigit semper terminum realem. Ordo transcendentalis est ipsa rei entitas, in quantum ordinatur ad aliud, ut oculus ad colores, et scientia ad suum objectum. Dicimus ergo, transcendentalem hunc ordinem posse terminari etiam ad ens rationis, ut patet in actu, quo formo chimæram, quo fingo fabulas, quo cupio mortem, quo tracto de ente rationis; hic enim actus mera entia rationis respicit, et tamen realis est.

Urgebis. Id, quod respicitur a scientia, debet habere proprietates; sed ens rationis non habet proprietates: ergo non potest respici a scientia. Probatur minor: nam istæ proprietates vel essent reales, vel rationis; non sunt reales, alias essent nobiliores ente rationis; non sunt etiam entia rationis, alias idem esset proprietas sui ipsius: ergo nullæ sunt.

Resp. Nego minorem. Ad probationem respondeo, has proprietates esse entia rationis; at nego propterea, idem esse proprietatem sui ipsius. Nam sub ente rationis plura sunt entia, in quibus unum est proprietas alterius; ut oppositio, conversio, æquipollentia sunt proprietates propositionis.

Obj. 2. Ens fictitium non potest esse objectum Logicæ; sed ens rationis est quid fictitium: ergo non est objectum Logicæ. Probatur minor: Cognoscere in rebus, quod non est in ipsis, est fingere; sed ens rationis consistit in eo, quod cognoscatur in rebus id, quod non est in rebus: ergo est quid fictitium.

Resp. Nego minorem. Ad probationem distinguo majorem; Fingere est cognoscere in rebus, quod non est in ipsis; cognoscere gratis, *sine ratione* et *fundamento*, concedo; cognoscere

cum ratione et fundamento, nego: talis enim cognitio non censetur fictio, sed artificiosa et ratione plena dispositio. Et pariter ad minorem distinguo: Ens rationis in eo consistit, ut aliquid cognoscatur in rebus, quod non est in ipsis; *actualiter*, concedo; quod non est in ipsis *fundamentaliter*, nego: res enim, licet in se non sint dispositæ in modum v. g. syllogismi; attamen ita exigunt ordinari, quando concipiuntur, ut recte discurramus.

Instabis. Intellectus errat faciendo entia rationis: ergo sunt mera figmenta. Probatur antecedens: Concipere rem aliter, ac sit in se, est errare; sed intellectus, faciendo ens rationis, concipit rem aliter, quam sit in se, v. g. concipit rem esse prædicatum, vel subjectum, cum tamen neutrum sit a parte rei: ergo intellectus, faciendo ens rationis, errat.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo majorem: Errare est concipere rem aliter, quam sit in se, *ex parte rei intellectæ*, ita ut rem ipsam concipiamus esse in se ipsa, quod non est, concedo; aliter, *ex parte modi intelligendi*, ita ut quendam ordinem tribuamus ipsis rebus in intellectu nostro, quem non habent in se ipsis, nego. Solutio est D. Thomæ 1. p. q. 85. art. 1. Patet autem, quod ens rationis non fit, in quantum rem concipimus esse in se id, quod non est, v. g. Petrum esse irrationalem, sed solum in quantum attribuimus aliquem ordinem rebus a nobis cognitis, quem non habent in seipsis; unde faciendo ens rationis non erramus, sed solum ordinamus ac disponimus ea, quæ ex seipsis non sunt invicem ordinata.

ARTICULUS SECUNDUS

AN LOGICA SIT SCIENTIA

Constat igitur, quid sit objectum Logicæ; nunc quæritur, an Logica tendat in istud objectum scientifice, sitque vera scientia; Ut autem difficultas clare proponatur.

Nota, quinque esse Virtutes intellectuales, scilicet *Intelligentiam*, *Sapientiam*, *Scientiam*, *Prudentiam*, *et Artem*. Virtus enim intellectualis est, *qua perficitur intellectus ad veritatem attingendam*; his autem quinque mens nostra perficitur cir-

ca veritatem, sicut appetitus per virtutes morales, *Justitiam*, *Temperantiam*, *et Fortitudinem*, perficitur circa bonum. Intelligentia est *habitus perficiens intellectum circa prima principia per se nota.* Sapientia est *notitia rerum per causas sublimiores.* Scientia est *notitia rerum per quascumque causas certas et evidentes*, seu cognitio per *demonstrationem acquisita;* unde sapientia est scientia quædam sublimior. Prudentia est *recta ratio agibilium*, id est, habitus rectificans rationem circa ea, quæ sunt a nobis agenda. Ars est *recta ratio factibilium*, id est, habitus rectificans mentem circa opera facienda, v. g. circa naves, domos, horologia, etc. Quæritur ad quid ex istis pertineat Logica? Quidam putant, esse artem; alii, esse scientiam impropriam tantum. Communior sententia est, eam esse veram Scientiam: ita censent omnes Thomistæ cum S. Thoma plerisque in locis, quæ referre necesse non est.

CONCLUSIO

Logica est vere, ac proprie Scientia, seu Sapientia.

Probatur. Scientia est cognitio certa et evidens per demonstrationem acquisita; sed Logica est cognitio certa et evidens per demonstrationem acquisita: ergo est scientia. Probatur minor: nam Logica non tradit nude regulas discurrendi, sed eas demonstrative probat, rationem illarum evidentem reddit, et scientifice de illis disputat, v. g. quod definitio debeat constare genere et differentia; quod solum tres termini possint esse in syllogismo, etc. ergo Logica est cognitio per demonstrationem acquisita.

Unde esto Rhetorica et Grammatica sint tantum artes, quia nudas regulas tradunt, præcipue Grammatica, non tam ratione, quam usu constantes, attamen Logica suas regulas probat et demonstrat. Rhetor enim quærit ornatum sermonis, quo res plausibiles et verosimiles efficiat: Grammaticus vero quærit congruitatem sermonis, quæ potius ex usu, quam ex ratione attenditur; sed Logicus veritatem ipsam quærit, ideoque demonstratione, quæ veritatis interpres est, sua præcepta, quantum potest, ostendit et communit.

Obj. 1. Objectum Logicæ, scilicet Ens rationis proprie ac simpliciter loquendo, non est scibile: ergo Logica non est scientia. Probatur antecedens; Quod non est simpliciter ens, non est simpliciter scibile; sed ens rationis non est simpliciter ens: ergo non est simpliciter scibile. Minor constat, quia Ens rationis non est, nisi umbra entis. Major suadetur, quia scibilitas fundatur in ente: ergo quod non est simpliciter ens, non est simpliciter scibile.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem, nego majorem. Ad ejus probationem distinguo: Scibilitas fundatur in ente, *præsuppositive*, concedo; *commensurative*, nego. Sensus est: ut aliquid sciri possit, debet quidem habere aliquam entitatem; nam de nihilo nihil scitur. Attamen scientia, quæ de aliquo habetur, non commensuratur semper ejus entitati, ita ut tanta sit, quanta est illa entitas, sed commensuratur principiis, ex quibus suas derivat conclusiones; unde circa res minimas maximæ, ac certissimæ habentur scientiæ, ut de lineis, ac numeris; contra de maximis rebus aliquando aut nulla, aut incerta habetur cognitio, ut de individuis. Itaque Logica est scientia, eaque certissima, licet sit de aliquo minimæ entitatis, quia procedit ex principiis evidentissimis.

Instabis. Ens secundum quid non est simpliciter verum: ergo non est simpliciter scibile.

Resp. Distinguo antecedens: Ens secundum quid non est simpliciter verum, veritate *transcendentali*, transeat; veritate *formali*, nego. Solutio amplius patebit in Metaphysica. Interim veritas transcendentalis est ipsa rei entitas, ut comparata ad intellectum: Veritas formalis est ipsa cognitio intellectus, ut conformis suo objecto. Patet autem, quod de minimo ente possumus habere cognitionem ipsi simpliciter conformem, ac proinde de quolibet ente datur simpliciter veritas formalis.

Urgebis. Scientia est solum de rebus certis, et necessariis; sed ens rationis est incertum, et nullo modo necessarium: ergo de illo non est scientia. Major adeo certa est, ut Socrates, cum Cratillo et Heraclito, putans omnia continuo motu variari, negaverit posse haberi scientias de rebus; Plato vero, ut salvaret scientiam, recurrebat ad ideas æternas et immobiles. Minor pro-

batur: Quod fit a nobis, non est quid certum et necessarium; sed ens rationis fit a nobis: ergo non est certum et necessarium.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo majorem: Scientia est de rebus certis et necessariis, quantum ad *connexionem* prædicatorum essentialium, concedo; necessariis quantum ad *existentiam*, nego. Et ad minorem: Ens rationis non est certum et necessarium, quantum ad *existentiam*, concedo; quantum ad *connexionem* prædicatorum essentialium, nego. Explicatur solutio: Res, de quibus agunt scientiæ, non debent esse necessariæ quantum ad existentiam, id est, necessario existere, ut patet in morbis, de quibus agit Medicus; in virtutibus, de quibus agit Moralis; in motu, de quo agit Physicus, quæ omnia modo existunt, modo non existunt; sed solum debent esse necessariæ quantum ad connexionem prædicatorum essentialium, id est, habere quædam prædicata, quæ ita ipsis conveniant, ut non possimus concipere rerum istarum essentias, quin illis hæc prædicata conveniant. Ideoque semper verum est ejusmodi prædicata convenire talibus rebus, ut semper verum fuit, morbum consistere in deordinatione humorum, et disponere ad mortem; Virtutes consistere in quadam mediocritate per rationem taxata; Syllogismos constare extremis cum uno tertio comparatis; Definitionem debere esse clariorem definito. Circa ejusmodi notiones et prædicata necessario rebus convenientia occupantur scientiæ, et Logica inter cæteras, quæ non disputat de Syllogismo, qui hodie fit, vel eras, sed de regulis necessario servandis ad formandos Syllogismos, et de proprietatibus necessario ipsis convenientibus.

Obj. 2. Modus sciendi, et instrumentum scientiæ non est scientia; sed Logica est modus sciendi, et instrumentum scientiarum: ergo non est scientia. Probatur minor; ut enim dicit Aristoteles, *Absurdum est quærere simul scientiam, et modum sciendi.*

Respondeo. Nego majorem; nam sicut in artibus una potest esse instrumentum alterius, ita una scientia potest esse instrumentum aliarum. Ad Aristotelem respondeo, solum velle, quod illa scientia, quæ est modus sciendi, prius debet addisci, quam aliæ, et tamen adhuc dici posset, quod Logica non est tam in-

strumentum, et modus sciendi, quam scientifica notitia instrumentorum, et modorum sciendi.

Instabis. Logica aliquando conficit Syllogismos probabiles, imo et sophisticos: ergo non est scientia.

Resp. Distinguo antecedens: Conficit Syllogismos probabiles et sophisticos; per modum habitus inclinantis ad assentiendum conclusioni probabili, vel sophisticæ, nego; per modum applicantis suas regulas materiæ probabili, aut sophisticæ, concedo. Logica enim solum tradit scientifice regulas bene argumentandi in omni materia, et quamlibet datam materiam disponit in modum syllogismi. Cæterum per accidens est, quod illa materia inferat conclusionem probabilem, vel fallacem; neque de hoc curat Logica, neque ad assentiendum ipsi movet intellectum; unde ex hoc non amittit rationem scientiæ.

Urgebis. Logica dicitur ars; ergo non est scientia.

Resp. Distinguo antecedens: Dicitur ars, proprie dicta et *mechanica*, nego; ars *liberalis*, et similitudinaria, concedo. Logica enim dicitur ars, in quantum sicut ars proprie dicta disponit materiam externam, ut lapides, vel ferrum, ita Logica disponit res cognitas, ita D. Thomas 1. 2. q. 57. ar. 3. ad 3.

ARTICULUS TERTIUS

DE DIVISIONE LOGICÆ IN DOCENTEM ET UTENTEM

Ex præmissis constat, quid sit Logica; definiri enim potest, *Scientia entis rationis directivi operationum mentis.* Nunc agendum est de vulgata ejus divisione in *Docentem et Utentem.*

PRIMA CONCLUSIO

Logica recte dividitur in Docentem et Utentem.

Probatur. Facultas bene discurrendi non solum scientifice tradit regulas ad recte argumentandum, sed etiam eas ad usum redigit, bene definiendo, dividendo, et argumentando; ergo recte dividitur in *Docentem*, quæ tradit, et explicat regulas; et *Utentem*, quæ eas applicat ad opus; nam, ut ait D. Thomas, *Usus est applicatio rei ad opus*, 1. 2. q. 16. ar. 1.

Circa hanc conclusionem nota, quod præcepta Logicæ possunt triplici materiæ applicari, scilicet *demonstrativæ*, *probabili*, et *sophisticæ*, seu *captiosæ*. Aliquando enim demonstrative disputamus, id est, per principia certa et evidentia; aliquando solum probabiliter: et aliquando captiose, et cum fallacia. Hinc aliqui grandem quæstionem movent, utrum in omni ista materia usus præceptorum proprie pertineat ad Logicam utentem.

SECUNDA CONCLUSIO

Usus præceptorum logicalium in materia topica, seu probabili, et sophistica proprie pertinet ad Logicam: ita omnes cum Divo Thoma 4. Metaph. lect. 4.

Probatur. Logica conficit syllogimos topicos et sophisticos, quando libuerit, et in omni materia: ergo usus in talibus syllogismis pertinet ad Logicam. Probatur antecedens; Siquidem tales syllogismi procedunt per media facillima et communissima, quorum etiam locos et fontes suppeditat Logica, ideoque, qui scit regulas Logicæ, statim potest ejusmodi syllogismos conficere; unde dicit Aristoteles (4. Met. l. 4.), *Dialecticum disputare probabiliter de omni ente.*

TERTIA CONCLUSIO

In materia demonstrativa, saltem logicali, Logica potest dici utens.

Probatur. Logica, conficiendo suas demonstrationes, utitur quoque suis præceptis: ergo in materia demonstrativa, saltem logicali, habet usum.

Conclusionem istam quidam Thomistæ negant, quod velint, usum debere omnino distingui a doctrina logicali; unde quando Logica, explicando et definiendo demonstrationem, servat regulas bonæ definitionis et divisionis, dicunt, talem actum esse potius doctrinam, quam usum; sed quæstio est solum de nomine. Melius dicitur, quod idem actus potest esse simul *doctrina* et *usus:* doctrina quidem, in quantum tradit aliqua præcepta; usus vero, quatenus tradendo illa servat regulas alibi præscriptas. Cæ-

terum an Logica possit dici utens in materia demonstrativa aliarum scientiarum, id est, an Logica conficiat syllogimos aliarum scientiarum, vel solum dirigat præscribendo regulas, dicemus articulo 6.

QUARTA CONCLUSIO

Logica Docens et Utens non sunt duo habitus realiter distincti, sed tantum duo munera ejusdem habitus; ita ut eadem facultas sit, quæ regulas explicat, et illas ad usum redigit. Conclusio est communis inter Thomistas, et alios, quam insinuat D. Thomas 4. Metaph. lect. 4.

Probatur ejus principiis. *Usus* et *Doctrina* regularum logicalium pertinent ad eundem habitum: ergo Logica *docens* et *utens* est idem habitus. Probatur antecedens: Actus subordinati, quorum unus oritur ab alio, et non addit novam difficultatem, pertinent ad eundem habitum; sed usus in Logica oritur ex doctrina, ut patet, ipsique subordinatur, nec novam addit difficultatem; ergo usus et doctrina in Logica spectant ad eundem habitum. Major est D. Thomæ 2. 2. q. 28. ar. 4. et patet inductione. Sic amor Dei et Proximi spectat ad eandem charitatem: sic vincere nimios timores, et frænare temerarias audacias, spectat ad unicam virtutem fortitudinis: sic Deum colere, adorare, precari, sacrificare, etc. pertinet ad unicam virtutem religionis, etc. Minor vero probatur: Si usus regularum logicalium adderet difficultatem supra doctrinam, vel ea oriretur ex parte materiæ, quæ resisteret, ut in arte fabrili ferrum resistit, ideoque opus est speciali industria ad ipsum tractandum; vel ex parte potentiæ executivæ, quæ esset alia a potentia sciente, ut in musica; nam Musicus mente scit regulas, et gutture eas exequitur, ideoque nova industria indiget ad erudiendam vocem; sed ex neutro capite oritur difficultas in usu regularum logicalium; ergo ex nullo. Declaratur minor: nam in primis materia logicalis non resistit; res enim cognitas possumus ordinare, prout placuerit, ex una conficiendo prædicatum, ex alia subjectum, absque eo quod resistant. Deinde eadem potentia est, scilicet intellectus, quæ et scit regulas Logicæ, et eas discurrendo redigit ad usum.

Obji. 1. Instrumentum distinguitur a re, cujus est instrumentum: sed Logica utens est instrumentum docentis: ergo distinguitur ab illa. Major constat, quia nihil potest esse instrumentum sui ipsius. Minor vero probatur: Logica utens est instrumentum omnis scientiæ; sed Logica docens est scientia: ergo Logica utens est instrumentum docentis.

Resp. Distinguo majorem; Instrumentum *proprie* dictum, concedo; Instrumentum *improprie* dictum, nego. Logica autem non dicitur proprie instrumentum scientiarum, sed potius facultas cognoscitiva et factiva instrumentorum sciendi; nam proprie instrumenta sciendi sunt syllogismi, definitiones, et alia ejusmodi; unde sicut ars fabrilis utitur malleo a se facto ad fabricandum alium malleum, ita Logica utitur regulis syllogismi ad considerandam naturam syllogismi. Adde præterea, non esse inconveniens in instrumentis istis spiritualibus, quod idem quodammodo sit instrumentum sui ipsius; nam definitio definit se ipsam, et argumentatio arguit de se ipsa, et sermo loquitur de se ipso; cujus radix est, quia ratio reflectitur supra se ipsam, ideoque omnia, quæ sunt in ratione, sunt etiam supra se reflexiva. Potest igitur Logica esse quodammodo sui ipsius instrumentum, nec modo aliis scientiis, sed etiam sibi deservire, quatenus explicat suum objectum per syllogismos, quos ipsa facit.

Instabis. Logica utens non est scientia: ergo distinguitur a docente, quæ est scientia.

Resp. Distinguo antecedens: Logica utens non est scientia; *reduplicative* ut utens, concedo; *specificative*, nego. Id est, ille habitus, quo utimur regulis Logicæ, non habet, quod sit scientia formaliter ex ipso usu; attamen etiam usus ad illum pertinet habitum, qui aliunde est species scientiæ. Sic charitas reduplicative, ut amat Proximum, non est virtus Theologica ex ipso Proximo; sed tamen etiam amor Proximi pertinet ad charitatem, quæ aliunde est species virtutis Theologicæ, eo quod scilicet respiciat Deum.

Urgebis. Usus non potest esse actus scientiæ: ergo non pertinet ad Logicam docentem, quæ est scientia, sed ad novum habitum. Probatur antecedens: quia actus scientiæ est scire, non vero uti.

Resp. Distinguo antecedens: Usus non potest esse actus scientiæ; *primarius*, concedo; *secundarius*, nego. Nam usus scientiæ est quasi quædam diffusio et propagatio scientiæ; unde, nisi offerat novam difficultatem, pertinere potest ad habitum scientiæ.

Dices. Logica docens et utens habent diversos fines, cum finis docentis sit cognitio regularum, finis vero utentis constructio syllogismorum: ergo sunt diversi habitus.

Resp. Distinguo antecedens: Habent diversos fines *subordinatos*, concedo; *non subordinatos*, nego; siquidem confectio syllogismi subordinatur cognitioni syllogismi, ideoque possunt pertinere ad eundem habitum.

Obji. 2. Logica docens et utens differunt definitione: ergo differunt quidditate: Definitio enim explicat naturam et quidditatem rei; unde ubi est duplex definitio, est etiam duplex quidditas et natura.

Resp. Distinguo antecedens: Differt definitione *adæquata* et *totali*, nego; *inadæquata* et *partiali*, concedo. Sæpe enim fit, ut unica res habens duplex munus, definiatur duplici definitione inadæquata, quarum quælibet explicat unum munus; ut, si quis definiret charitatem Dei, Amorem, quo Deus diligitur super omnia: et charitatem Proximi, Amorem, quo Proximum propter Deum diligimus sicut nosmetipsos, essent duæ definitiones inadæquatæ, et una res definita. Ita se habet res in præsenti: Facultas discurrendi, seu Logica, licet sit unus habitus, habet duo munera, ideoque definiri potest dupliciter sic: Logica docens est *Facultas speculativa syllogismorum;* Utens est *Facultas confectiva syllogismorum.*

Instabis. Consideratio prudentialis, qua quis discutit, quid in negotio expediat; et usus prudentialis, quo quis exequitur id, quod secundum virtutem judicat expedire, spectant ad duos habitus, ex S. Thoma 1. 2. q. 57. ar. 6. ergo etiam consideratio, et executio syllogismorum spectant ad duos habitus.

Resp. Nego paritatem; nam in moralibus executio novam, immo maximam affert difficultatem; plures enim sunt fortes in consultando, et ignavi in exequendo, unde alia requiritur virtus ad bene consultandum, et alia ad bene exequendum. At ve-

ro in logicalibus tota difficultas est in sciendis regulis, et vix ulla in exequendo.

Urgebis. Etiam quis perfecte callens regulas Logicæ non ita promptus est ad conficiendos syllogismos, et per usum sentit, se quotidie acquirere novam facultatem: ergo et novum habitum.

Resp. Distinguo antecedens: Quis sciens regulas patitur difficultatem, quam per usum tollit; ex defectu *materiæ*, quæ non ita prompte succurrit, concedo; *ex parte applicationis regularum ad materiam*, nego; et nego consequentiam. Difficultas enim illa se tenet non ex parte regularum applicandarum, sed ex penuria materiæ, quam ita promptam non habet. Sæpe autem disputando acquirit facilitatem, quia per exercitium memoria fit promptior ad subministrandam materiam.

ARTICULUS QUARTUS

AN LOGICA SIT SCIENTIA SPECULATIVA

Constat, quid et quotuplex sit Logica; nunc examinandum est, *qualis sit*, et primo an practica, vel speculativa. Scientia speculativa est, *quæ unice ad cognitionem veritatis tendit:* Scientia practica, *quæ hanc cognitionem ad opus extendit.* Utraque veritatem quærit, sed illa *propter se*, ista *propter opus;* unde illa scit, ut sciat; ista scit, ut operetur. Sed quia scire, ipsaque speculatio est quoddam opus, non censetur scientia practica ex eo, quod tendat ad opus, quod sit speculatio, alias omnis scientia esset practica, quia omnis tendit ad speculandum. S. Thomas 1. p. q. 14. ar. 16. assignat discrimen scientiæ *practicæ* a *speculativa* ex tribus; 1. *ex objecto*, si sit res operabilis, seu, ut ita dicam, practicabilis; ut res morales; 2. *ex modo*, si procedat compositive, descendendo ad particularia et circumstantias, iisque suas regulas applicando; ut Medicina non solum in genere morbos considerat, sed in particulari, in tali et tali circumstantia; 3. *ex fine*, si finis non sit sola cognitio veritatis, sed opus ab ea diversum et ad eam non ordinatum; unde Geometria, licet figuras construat, non desinit esse speculativa; quia illas construit, ut speculetur. His ita positis.

Tot sunt sententiæ, quot modis quæstio solvi potest. Quidam censent, Logicam esse totam practicam. Hæc sententia communis est inter Recentiores extra D. Thomæ scholam. Quidam, esse totam speculativam; ita Thomistæ, Scotistæ, et plures alii. Quidam hoc in negotio utuntur judicio Salomonis; eam enim dividunt in duas partes, quarum una sit speculativa, et altera practica. Quidam demum fatentur, esse simplicem qualitatem; dicunt tamen, in sua simplicitate continere rationem speculativi simul et practici, ut communiter dicitur de Theologia; sed hi nimium ancillam scientiarum efferunt, cum illi tribuant, quod solius Theologiæ scientiarum reginæ proprium est.

PRIMA CONCLUSIO

Logica non est partim speculativa, partim practica.

Probatur Logica, ut et omnis scientia, est unica simplex qualitas: ergo non potest dividi in partes, quarum una sit practica, et alia speculativa. Consequentia patet. Antecedens vero probabitur in Metaphysica, ubi in genere ostendemus, quamlibet scientiam esse unum simplicem habitum, nec componi ex pluribus partialibus.

SECUNDA CONCLUSIO

Logica non est eminenter practica et speculativa. Conclusio est D. Thomæ, qui 1. p. q. 1. art. 4. aperte asserit, in scientiis naturalibus alias esse speculativas et alias practicas, ita ut formalitas speculativi et practici in illis separetur, in Theologia vero simul uniatur.

Probatur. Objectum, finis, et principia scientiarum naturalium non possunt esse simul practica et speculativa: ergo scientia naturalis non potest utrumque in se ipsa unire: Consequentia patet. Probatur antecedens: Scientiæ naturales respiciunt res limitatas, in quibus utraque ista formalitas practici et speculabilis nequit simul colligi; siquidem proprium solius Dei est, ut sit simul prima veritas, ac proinde speculabilis; et prima regula morum, ac proinde congruum scientiæ præcticæ objectum.

Confirmatur. Quæ sunt unita in superioribus, sunt divisa in inferioribus: ergo quamvis ratio practici et speculativi uniatur in Deo et in Theologia, attamen dividitur in aliis objectis et scientiis inferioribus.

TERTIA CONCLUSIO

Logica est tota speculativa. Ita censet S. Thomas 1. 2. q. 57. ar. 3. ad 3. *In speculabilibus*, inquit, *est aliquid per modum operis, ut constructio syllogismi; et quicumque habitus speculativi ad ejusmodi opus ordinantur, dicuntur per similitudinem artes.* Et 2. 2. q. 51. ar. 2. *In speculabilibus alia rationalis scientia est dialectica, et alia demonstrativa.* D. Augustinus 8. de Civit. Dei c. 4. annumerat Logicam inter speculativas scientias.

Probatur conclusio ratione. Facultas speculandi est tota speculativa; sed Logica est Facultas speculandi: ergo est tota speculativa. Major patet ex terminis; quid enim erit speculativum, si facultas speculandi non sit speculativa? Minor non est minus evidens: nam apprehendere, judicare, discurrere, est speculari; Scientiæ enim in tantum objecta sua speculantur, in quantum hæc faciunt; sed Logica est Facultas recte apprehendendi, judicandi, discurrendi, ut patet omnes ejus partes et regulas intuenti: ergo est facultas speculandi.

Confirmatur. Objectum, principia, modus procedendi, finis demum Logicæ sunt speculativa: ergo est ex omni parte speculativa. Declaratur antecedens quoad singulas partes. Primo; Objectum Logicæ materiale sunt res omnes cognitæ; formale vero est dispositio rerum in modum definitionis, syllogismi, etc. atqui res cognitæ sunt aliquid speculativum, dispositio vero illa est ens rationis, quod totum consistit in cognitione, id est, speculatione: ergo objectum Logicæ est totum speculativum. Secundo; principia Logicæ sunt principia, quibus nititur omnis recta speculatio; ergo sunt speculativa. Tertio; modus procedendi Logicæ non descendit ad circumstantias, sed respicit syllogismos et definitiones ab illis abstractas: ergo est speculativus. Quarto demum; finis Logicæ est dirigere mentem, ut recte speculetur: ergo est speculativus; unde dicitur *Modus sciendi*, cujus pro-

inde finis est scire et fugare ignorantiam. Ex Aristotele autem 1. Metaph. c. 1. Scientia illa proprie dicitur speculativa, cujus finis est scire et fugare ignorantiam.

Adde summam affinitatem Logicæ cum Metaphysica, quæ est perfectissime speculativa; nam vulgo, etiam ab adversariis, magna pars eorum, quæ pertinent ad Logicam, tractatur in Metaphysica; et quæ ad istam pertinent, in Logica: ergo utraque agit de rebus pure speculativis.

Respondent adversarii; Operationes mentis, ut sunt definire, dividere, discurrere, posse duobus modis spectari. Primo, ut præcise contemplantur objecta; et hoc modo sunt meræ speculationes. Secundo, ut artificiose fiunt ex præceptis Logicæ; et hoc modo induunt rationem operis practici. Porro Logica eas respicit hoc secundo modo; unde est de re practica, proindeque practica. Hæc responsio est unicum adversariæ sententiæ fundamentum.

Sed facile dissolvitur. Speculatio veritatis non exuit rationem speculationis, nec induit rationem operis practici, ex eo, quod rectius et certius tendat ad veritatem; atqui Logica dirigit operationes mentis, ut rectius, ac certius tendant ad veritatem: ergo ut diriguntur a Logica, non exuunt rationem operis speculativi, nec induunt rationem operis practici. Minor negari non potest; hic enim est proprius finis Logicæ. Major vero est evidens ex terminis; nam ex eo, quod rectior et certior sit speculatio, hoc ipso est perfectius speculativa: ergo non extrahitur a ratione speculationis, sed in ea perficitur.

Reponunt. Speculatio prout regulatur a prudentia, ut laudabiliter fiat, induit rationem operis practici. Quidni et induet, cum a Logica regulatur, ut artificiose fiat?

Sed contra. Latum discrimen est; nam speculatio non regulatur a prudentia intra genus speculationis, sed intra genus moris, quatenus est opus imperatum a voluntate, quod in bonum, aut malum finem ordinari potest; sub qua ratione a proprio genere et fine extracta induit rationem operis practici: At regulatur a Logica intra proprium genus speculationis, ut certo et recte speculationis finem assequatur, nempe cognitionem veritatis; unde respicitur a Logica formaliter sub ratione speculationis.

Solvuntur Objectiones

Obji. 1. Aristoteles et D. Thomas, dividendo scientias speculativas, Logicam omittunt: ergo non eam agnoscunt ut speculativam.

Resp. 1. Retorquendo argumentum: nam itidem enumerando scientias practicas, Logicam inter eas non recensent; itaque pari ratione illam non habent ut practicam.

Resp. 2. In his locis, quæ referunt Adversarii, Aristotelem solum dividere scientias principales; unde Logicam, quæ est solum ministra speculativarum, ut ait D. Thomas, omittit. Adde, quod, teste Laertio, Aristoteles duplicem fecit Philosophiæ partem; Actionis unam, Contemplationis alteram: Contemplativam vero divisit in Physicam et Logicam.

Obji. 2. Objectum Logicæ est quid practicum: ergo et Logica. Probatur antecedens. Objectum practicum, ex Aristotele, est *aliquid contingens operabile a nobis;* sed objectum Logicæ est aliquid contingens operabile a nobis; ergo est practicum.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo majorem: Objectum practicum est contingens operabile a nobis; operatione, *quæ non sit speculatio actualis*, concedo; operatione, *quæ sit ipsa speculatio actualis*, nego. Ens autem rationis, quod est objectum Logicæ, fit per operationem, quæ est pura speculatio; fit enim cognoscendo, imo totum in cognitione et speculatione consistit.

Obji. 3. Scientia, quæ tendit ad opus, est practica; sed Logica tendit ad opus; ergo est practica.

Resp. Distinguo majorem: Scientia, quæ tendit ad opus *intra intellectum*, nego; ad opus *extra intellectum*, concedo: et distinctione applicata minori, nego consequentiam. Opus enim, quod fit intra intellectum, est speculatio; nam juxta pervulgatum et verum Axioma, *Intellectus extensione fit practicus*, id est, dum se extendit ad regulandas actiones aliarum facultatum: at intra se nihil molitur præter cognitionem veritatis; unde ex eo, quod scientia tendat ad opus intra intellectum factum, non est censenda practica, sed magis ex hoc ipso speculativa;

nam *speculativæ scientiæ finis est actio in mente*, ut dicit S. Basilius Hom. 1. Hexam.

Instabis. Opus intellectus potest esse praxis: ergo scientia, quæ tendit ad opus intra intellectum, potest esse practica. Probatur antecedens: Praxis est executio regularum et applicatio illarum ad usum; sed opus intellectus potest esse executio et applicatio regularum: ergo potest esse praxis.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo majorem: Praxis est executio et applicatio regularum *practicarum*, concedo; *speculativarum*, nego: siquidem applicatio regularum speculativarum est potius speculatio quædam. Regulæ autem logicales non sunt practicæ, id est, operis cujusdam faciendi; sed sunt speculativæ, id est, sunt regulæ bene speculandi.

Urgebis. Actus intellectus potest esse executio regularum etiam practicarum: ergo nulla solutio. Probatur subsumptum: Actus prudentiæ est actus intellectus; sed actus prudentiæ est executio regularum practicarum, scilicet regularum moralium: ergo actus intellectus potest esse executio regularum etiam practicarum.

Resp. Nego subsumptum. Ad probationem distinguo majorem; Actus prudentiæ est actus intellectus, *solius*, nego; ut *habet adjunctam voluntatem*, et se extendit ad ipsam regulandam, concedo. Prudentia enim est virtus perficiens intellectum in ordine ad voluntatem, et ad bene vivendum; unde actus ejus est practicus, quia habet adjunctam voluntatem, et tendit ad aliquid extra intellectum; sed Logica perficit intellectum in ordine ad se tantum, et ad bene speculandum.

Dices. Etiam syllogismus non fit ab intellectu solo, sed ut habet adjunctam voluntatem; nemo enim nisi velit, efficit syllogismum: ergo nulla est allata disparitas.

Resp. Distinguo antecedens: Syllogismus fit ab intellectu, ut habet adjunctam voluntatem, *pure applicantem ad opus*, concedo; *specificantem ipsum opus*, nego. Id est, ut intellectus argumentetur, debet quidem applicari a voluntate, attamen voluntas ipsa non dat speciem syllogismo; nam, sive bona, sive mala voluntate argumentemur, modo servemus regulas, syllogismus erit bonus; unde syllogismus non dependet a voluntate,

nisi applicative. Hoc autem non impedit, quin sit opus mere speculativum; omnis enim speculatio dependet hoc modo a voluntate; nihil enim possumus speculari, nisi velimus.

Repones. Quidam syllogismi sunt praxes: ergo Logica ordinatur ad praxim. Probatur antecedens: Syllogismus operativus, quem facit omnis, qui deliberat de aliquo faciendo, et de quo dicit Aristoteles, *Peccatores paralogizari*, id est, male argumentari; *bonos vero bene argumentari*, est mere practicus: ergo saltem respectu illius Logica erit practica.

Resp. Syllogismos operativos non esse logicales, sed prudentiales; constant enim bona intentione, tanquam majore, bona deliberatione, tanquam minore, et bona electione, tanquam consequentia; unde non pertinent ad Logicam, sed ad prudentiam; ideoque vir bonus, etsi Logicæ sit nescius, syllogismos illos optime efficit.

Obji. 4. Syllogismus, etiam logicalis, ordinatur ad aliquid practicum; ergo est practicus. Probatur antecedens: Syllogismus ordinatur non solum ad scientias speculativas, sed etiam ad practicas: ergo ordinatur ad aliquid practicum.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo: Syllogismus ordinatur ad scientias practicas, reduplicative *ut practicæ sunt*, et aliquid operantur, nego; præcise *ut scientiæ sunt*, et aliquid speculantur, concedo. Scientia enim practica primo speculatur, deinde procedit ad operationem: Logica, et syllogismus ipsi deserviunt tantum ad primum munus, nempe ad speculandum; quod vero illam speculationem ultra referat ad opus, est extra jura Logicæ, nec de hoc curat.

Obji. 5. Scientia speculativa debet sistere intra sui objecti speculationem; sed Logica non sistit intra sui objecti speculationem: ergo non est speculativa. Probatur minor: nam Logica ordinat speculationem suam ad objecti confectionem; ideo enim discimus regulas argumentandi, ut de facto argumentemur.

Resp. Transeat major, (non enim est de ratione scientiæ speculativæ, saltem instrumentalis, qualis est Logica, ut non ordinet suum objectum ad aliud) et nego minorem. Ad probationem distinguo: Logica ordinat speculationem sui objecti ad ejus confectionem, quæ et ipsa est exercita ejusdem objecti spe-

culatio, concedo; quæ sit praxis, nego. Nam ipsa confectio syllogismi est quædam actualis ejus speculatio, cum fiat speculando: scientia autem non desinit esse speculativa ex eo, quod suam speculationem referat ad aliquid aliud, quod sit etiam speculatio.

Instabis. Actualis confectio syllogismi, esto sit quædam speculatio, non est tamen speculatio regularum Logicalium: ergo erit earum praxis.

Respondeo ex dictis, confectionem syllogismi non esse quidem regularum speculationem, sed speculativam earum executionem: unde nego consequentiam.

Hic notabis, hanc quæstionem satis celebrem esse tantum de nomine. Adversarii vocant *Practicum*, quidquid fit secundum regulas: inde dicunt Logicam Practicam, sed minus recte; sunt enim et regulæ quædam recte speculandi, id est, speculativæ. Nos rectius *Practicum* dicimus, quod non sistit intra fines speculationis, sed eam refert ad alium finem, sicque Logicam non esse Practicam. At, inquis, cur tot argumenta in quæstione nullius rei? Parendum fuit mori recepto, nec tamen sine fructu; nam hæc saltem illustrant notionem practici et speculativi.

ARTICULUS QUINTUS

AN LOGICA SIT NECESSARIA AD ALIAS SCIENTIAS

Diximus, qualis sit Logica in seipsa; dicendum nunc, qualis sit comparata ad alias Scientias, ac primo an aliis necessaria?

Notandum 1. Necessarium duobus modis dici: Necessarium *simpliciter*, et Necessarium *secundum quid;* Necessarium *simpliciter* dicitur, *sine quo res esse non potest;* sic oculus est necessarius ad videndum, gratia ad salutem: Necessarium *secundum quid* dicitur, *sine quo res haberi potest*, at non ita facile; sic equus est necessarius ad longum iter, vestis et domus ad vitam, perspicilla Seni ad videndum.

Notandum 2. Scientiam duobus modis haberi posse, in statu *perfecto*, et in statu *imperfecto*. Scientia in statu perfecto est plenior ac perfecta cognitio conclusionum de objecto, ita ut possint resolvi ad principia per se nota, et contra impugnantes de-

fendi. Scientia in statu imperfecto est cognitio parta per aliquam facilem demonstrationem, quæ nec tam exacta est, ut ad difficiliora penetret; nec tam certa, ut possit demonstrationum, quibus nititur, bonitatem evidenter defendere: hoc posito.

Tres sunt sententiæ; duæ extremæ, una media. Prima censet, Logicam esse utilem, at non necessariam ad Scientias perfecte habendas. Secunda, esse simpliciter necessariam ad Scientias etiam in statu imperfecto habendas. Tertia media, esse necessariam simpliciter ad Scientias in statu perfecto habendas, at non in statu imperfecto.

PRIMA CONCLUSIO

Logica non est simpliciter necessaria ad Scientias in statu imperfecto acquirendas.

Probatur. Facultas naturalis sufficit ad faciles demonstrationes cognoscendas; sed per eas acquiritur aliqua Scientia, saltem imperfecta: ergo per solam facultatem naturalem sine Logica artificiali potest acquiri Scientia imperfecta. Minor certa est, quia cognitio per demonstrationem acquisita est Scientia. Major patet experientia; quis enim Logicæ expers solo lumine naturali pleraque ex certis principiis non deducit, aut sibi exposita clare non percipit? Et sane cum aliarum artium opera pleraque ab hominibus fiant sine arte, ut cantare, ædificare, etc. mirum, si homo opus sibi connaturalissimum, nempe discurrere, non nisi male semper faceret, si Logicæ artem non didicerit.

Confirmatur. Saltem prima demonstratio Logicæ habetur ante Logicam acquisitam: ergo aliqua cognitio demonstrativa acquiritur sine Logica acquisita.

Dices. Ut quis etiam imperfecte sciat, debet reflexiva cognitione advertere, bonam esse consequentiam suæ demonstrationis; atqui hæc reflexiva cognitio est rudimentum quoddam Logicæ acquisitæ: ergo sine Logica acquisita nullus, etiam imperfecte, scire potest.

Resp. Ad hanc reflexivam cognitionem sufficere Logicam naturalem; neque enim quævis cognitio bonitatis consequentiæ est

Logica acquisita, sed ea solum, quæ habetur ex regulis et principiis Logicæ attentius consideratis. At si contendant Adversarii, hanc tantulam cognitionem jam esse Logicam acquisitam, quæstio solum erit de nomine.

SECUNDA CONCLUSIO

Logica est necessaria simpliciter ad Scientias in statu perfecto acquirendas.

Ita censet S. Augustinus lib. 2. de Ordine, cap. 13. *Disciplina*, inquit, *disciplinarum, quam Logicam vocant, hæc docet discere, hæc sola scientes facere potest.* Et Plato, *sine ea*, inquit, *verum perfecte attingi non potest.* Ejus defectu antiquos Græciæ Philosophos, licet magni essent ingenii, in multis errasse notat Aristoteles.

Probatur. Ad Scientias perfecte habendas, simpliciter necessarium est perfecte discurrere; atqui mens humana sine cognitione exactiori naturæ et principiorum discursus, quæ est ipsissima Logica acquisita, non potest perfecte discurrere: ergo nec sine Logica Scientiam perfectam habere. Major constat ex terminis. Minor vero suadetur tum ex imperfectione mentis humanæ, tum quia qui perfecte discurrit, debet scire, demonstrationes suas leges servare, atque niti principiis certis et evidentibus boni discursus: ergo debet nosse has leges et hujusmodi principia.

Confirmatur. Qui non scit perfecte se scire, perfecte non scit; sed sine Logica perfecte non scimus, nos scire: ergo nec perfecte scimus. Probatur Minor. Logica est scientia perfecti discursus: ergo qui ea caret, perfecte non scit se scire.

Idem probat Galenus contra Erasistratum hoc dilemmate. Vel quodlibet sequitur ex quolibet, vel non: Si non sequitur, opus est arte discernente quid sequatur, et quid non: Si sequitur, ex eo quod corvus sit niger et cygnus albus, sequitur quod Erasistratus sit stultus.

Objic. Plures didicere Scientias perfecte sine Logica, ut Hippocrates Medicinam, Ægyptii Mathematicas, Hebræi et Chaldæi Scientias omnes: ergo ad eas non est simpliciter necessaria. Im-

mo Logicam, præcipue Aristotelis, plerique SS. Patres ut noxiam inculpant; ad quod spectat illud a S. Ambrosio, ut fertur, dictum: *A Logica Augustini libera me Domine.*

Resp. Antiquos illos Logicæ ignaros non fuisse, quamvis eam aliis, quam nos, formulis haberent; unde Sap. 8. inter Sapientiæ partes illa censetur, quæ *scit versutias sermonum, et dissolutiones argumentorum.* Vel si qui minus Logicam noverant, ii alias habuere Scientias perfecte satis quantum ad documenta et experimenta; at non quantum ad certitudinem et rectitudinem formæ; unde in plerisque decipi poterant vitioso syllogismo, et deceptos notat jam relatus Aristoteles. Porro SS. Patres Logicam inculpant quoad abusum, qui familiaris est Hæreticis ad impugnandam fidem. Et sane ut in Augustino adhuc infideli Logicæ peritia fidei molesta fuit, ita in eodem jam fideli veritatem contra Hæreticos non mediocriter adjuvit.

Instabis. Etiam nunc Geometræ parum de Logicæ regulis curant, et tamen nulli acrius demonstrant, aut evidentius suadent: ergo Logica non est absolute necessaria ad perfectam scientiam.

Resp. Geometriam ex facillimis principiis fluere, atque inde habet, quod acrius demonstret etiam minus habito respectu ad regulas; et tamen nec ipsa omni ex parte perfecte habetur sine regularum notitia: nec insignes Geometræ censendi sunt Logicam prorsus ignorasse. Fateor tamen, rerum suarum evidentia vehementius illectos ad regulas formæ minus attendisse; sed inde plures in eam scientiam defectus irrepserunt, ut notat Author egregii Operis de *Arte cogitandi* 4. Part. 4. et 9. ex quo Logicæ necessitas magis confirmatur.

Urgebis. Logica est scientia; sed acquiritur perfecte sine se ipsa: ergo aliæ scientiæ possunt etiam acquiri perfecte sine Logica.

Resp. 1. Nego paritatem; nam Logica est facultas bene discurrendi, quam ut aliquis addiscat, non est necesse, ut eam prius teneat, siquidem nemo debet præscire, quæ addiscit; at vero aliæ scientiæ non docent bene discurrere, unde, ut quis in illis bene discurrat, debet prius tenere facultatem bene di-

unlettered

scurrendi, scilicet Logicam; ideoque Aristoteles dicit, *Absurdum esse, quærere simul scientiam et modum sciendi.*

Resp. 2. Quibusdam etiam gradibus Logicam præsupponi ad se ipsam; nam Logica naturalis juvat ad artificialem imperfectam, et artificialis imperfecta conducit ad perfectam.

Repones. Sine Logica fieri potest demonstratio perfecta: ergo et acquiri scientia perfecta.

Resp. 1. Distinguo antecedens; in *materia facili*, concedo; in *materia difficili*, nego. Non autem aliquis censetur perfecte sciens, eo quod habeat demonstrationem perfectam de rebus facilioribus.

Resp. 2. Distinguo idem antecedens: sine Logica potest fieri demonstratio *perfecta in se*, concedo; perfecta *respectu demonstrantis*, nego. Ad hoc enim requiritur, ut demonstrator possit clare ostendere bonitatem consequentiæ, quod sine Logica fieri nequit.

Dices. Ergo omnes aliæ scientiæ dependent a Logica, ac proinde nobilior est cæteris.

Resp. Distinguo antecedens; dependent a Logica, quantum ad materiam, nego; quantum ad formam syllogisticam, concedo. Quia vero forma syllogistica est solum quædam forma instrumentalis, et materia est præcipuum in scientiis, ideo non dicuntur dependere a Logica, tanquam a principaliori inter scientias, sed ut a ministra necessaria.

ARTICULUS SEXTUS

AN LOGICA CONFICIAT DEMONSTRATIONES ALIARUM SCIENTIARUM

Divisi sunt Auctores, etiam Thomistæ. Quidam censent, quamlibet Scientiam suas conficere demonstrationes, sub directione tamen Logicæ. Alii, Logicam solam efficere omnes omnino demonstrationes, atque alias scientias solum suppeditare materiam, ex qua fiant. Forte utraque sententia conciliari potest. Itaque.

In syllogismo Demonstrativo tria sunt distinguenda. 1. Materia, ex qua constat, nempe termini, et propositiones. 2. Forma,

seu dispositio illius materiæ in modum syllogismi. 3. Assensus, quo mens adhæret præmissis, atque propter eas conclusioni. His positis.

PRIMA CONCLUSIO

Demonstrationes aliarum Scientiarum quantum ad cognitionem materiæ non pertinent ad Logicam.

Probatur. Scientiæ cognitio non fertur extra illius objectum; sed materia aliarum scientiarum est extra objectum Logicæ: ergo ejus cognitio non pertinet ad Logicam. Minor certa est: Objectum enim Logicæ est ens rationis; materia vero aliarum scientiarum sunt entia realia. Major vero demonstratur: Scientia est essentialiter cognitio objecti: ergo si scientiæ cognitio ferretur extra proprium objectum, ferretur essentialiter extra propriam essentiam, quod est impossibile.

SECUNDA CONCLUSIO

Assensus, quo mens adhæret præmissis, et propter eas conclusioni in materia aliarum scientiarum, non est effective a Logica, sed a scientia, cujus est talis materia.

Probatur. Assensus ille est actualis cognitio materiæ aliarum scientiarum; sed talis cognitio non pertinet ad Logicam: ergo nec ille assensus. Major est per se nota; nam assentiri propositioni nihil aliud est, quam eam ut veram agnoscere. Minor vero in præcedenti conclusione demonstrata fuit.

Confirmatur. Si Logica eliceret assensus demonstrativos in materia aliarum scientiarum, sola esset scientia, et aliæ superfluerent: dantur enim, ut intellectum perficiant, et determinent in assensum suarum conclusionum; at nemo dicet, solam Logicam esse scientiam, et alias esse superfluas: ergo non illa, sed aliæ proprios assensus eliciunt.

TERTIA CONCLUSIO

Forma Syllogistica, etiam in materia aliarum scientiarum, efficitur a Logica; unde omnis demonstratio, quantum ad for-

mam, est a Logica, vel naturali, cum fit absque respectu ad regulas; vel acquisita, cum fit artificiose et habito respectu ad regulas.

Sic censet S. Tho. Opusc. 70. q. 5. ar. 1. ubi ait, proprium esse Logicæ, ut ministret omnibus scientiis instrumenta sciendi. Porro forma syllogistica est instrumentum sciendi; unde Logica dicitur *Organum* et *ministra* scientiarum, quod ejus munus sit materias earum artificiose disponere, ut ab illis recte et facile cognosci possint.

Probatur ratione. Forma syllogistica fit ab illo habitu, cujus est ordinare materiam in modum syllogismi; atqui solius Logicæ est ordinare res cognitas in modum syllogismi: ergo forma syllogistica fit a sola Logica. Major constat ex terminis. Minor duo dicit. Primo, ad Logicam pertinere, ut ordinet res cognitas. Secundo, id non pertinere ad alias scientias. Primum constat ex definitione Logicæ: est enim *Facultas recte discurrendi*, id est, recte disponendi quamlibet materiam in formam discursus. Secundum vero, in quo solo esse potest difficultas, sic suadetur: Ejus solius habitus est ordinare, cujus est illuminare et inclinare intellectum ad ordinandum; nam habitus dicuntur efficere opera, in quantum determinant et inclinant potentias ad illa efficienda; ut ars ædificandi in tantum ædificat, in quantum determinat et inclinat artificem ad ædificandum; sed aliæ scientiæ non illuminant, nec inclinant intellectum circa ordinem syllogisticum, est enim extra objectum, et principia illarum: ergo non efficiunt illum ordinem.

Respondent Adversarii, ordinem syllogisticum duobus modis spectari posse, ut *cognoscendum*, et ut *efficiendum:* primo modo pertinere ad solam Logicam; at secundo modo posse pertinere ad alias scientias, quæ attendendo ad regulas Logicæ ordinant ex earum præscripto suos syllogismos.

Sed contra. Efficere formam syllogisticam est eam cognoscere: est enim ens rationis, cujus totum est cognosci; unde mens illam efficit, cum inter propositiones et terminos ordinem a regulis præscriptum apprehendit; atqui aliæ scientiæ non juvant intellectum ad cognitionem ordinis syllogistici, sed Logica sola: ergo nec illum efficiunt.

Confirmatur. Aliæ scientiæ non efficiunt id, quod supponunt; sed supponunt ordinem syllogisticum jam a Logica inductum in suis principiis: ergo illum non efficiunt. Major est per se nota. Minor declaratur. Aliæ scientiæ acquiruntur, quatenus intellectus adjutus a Logica, principia earum per se nota in modum demonstrationis disponit, ex qua elicit notitiam primæ conclusionis, quæ est primum illius scientiæ rudimentum; perficiuntur vero, quatenus intellectus conclusiones ex his primis demonstrationibus elicitas rursus ordinando juxta regulas Logicæ alias conclusiones elicit, et sic succedenter: ergo aliæ scientiæ et in ortu, et in progressu supponunt formam syllogisticam, ab intellectu Logicæ habitu adjuto factam; unde dicuntur habitus per demonstrationem acquisiti, id est, per propositiones ordinatas in modum syllogismi.

Obji. 1. D. Thomas expresse dicit 4. Metaph. lect. 4. *quod in parte demonstrativa sola doctrina pertinet ad Logicam; usus vero talis doctrinæ pertinet ad alias scientias:* ergo aliæ scientiæ conficiunt syllogisticam utendo regulis Logicæ.

Resp. D. Thomam, ut ex textu constat, non loqui de usu, qui consistit in confectione formæ syllogisticæ; sed de alio usu, qui consistit in subministratione medii. Licet enim Logica subministret media syllogismorum probabilium, attamen non suggerit aliis scientiis media demonstrationum; sed quælibet scientia habet sua media et sua principia, quibus probet proprias conclusiones.

Obji. 2. Conficere formam syllogisticam nihil aliud est, quam cognoscere objecta in modum syllogismi disposita; sed quælibet scientia cognoscit sua objecta in modum syllogismi disposita: ergo conficit formam syllogisticam.

Resp. Distinguo Majorem: Conficere formam syllogisticam est objecta in modum syllogismi disposita cognoscere; cognitione, *quæ sit ordinativa talium objectorum*, concedo; cognitione, *quæ sit tantum apprehensiva veritatis rerum in modum syllogismi dispositarum*, nego. Et ad Minorem: quælibet scientia cognoscit sua objecta in modum syllogismi disposita; cognitione *ordinativa talium objectorum*, nego; cognitione *solum apprehensiva veritatis objectorum in modum syllogismi dispositorum*,

concedo: et nego consequentiam. Explicatur: in quolibet syllogismo demonstrativo duæ sunt cognitiones, scilicet cognitio ordinis syllogistici, et cognitio veritatis rerum in modum syllogismi dispositarum. Prima cognitio est proprie confectiva formæ syllogisticæ, et pertinet ad Logicam, cujus est illustrare, formare, et facilitare intellectum, ut apprehendat et cognoscat in rebus ordinem syllogisticum. Secunda cognitio, scilicet veritatis rerum in modum syllogismi ordinatarum, non est confectiva formæ syllogisticæ, sed solum apprehensiva veritatis objectorum; et hæc pertinet solum ad alias scientias.

Obji. 3. Si Logica conficeret demonstrationes aliarum scientiarum, sola esset scientia; consequens est falsum; ergo et antecedens. Probatur sequela: Quia pertinet ad scientiam conficere demonstrationes: ergo si sola conficit, sola est scientia.

Resp. Distinguo majorem: Si sola Logica conficeret demonstrationes aliarum scientiarum, quantum *ad formam syllogisticam*, disponendo solum materiam, nego; si conficeret, quantum *ad ipsos actus*, concedo. Demonstratio enim proprie dicitur pertinere ad illam scientiam, quæ elicit ipsos actus, per quos adhæremus veritati rerum in modum syllogismi ordinatarum; non vero ad illam, quæ solum disponit et præparat materiam demonstrativam, ut sit congruum objectum habitus scientifici.

Et hæc sufficiant circa quæstionem præambulam de natura Logicæ: quæ enim aliqui præmature disputant circa Ens rationis in communi, ad Metaphisicam, ut ad proprium locum, remittimus.

PRIMA PARS

LOGICÆ MAJORIS

DE ENTE RATIONIS, PRIMAM MENTIS OPERATIONEM SPECTANTE.

Quæ ad præcepta, primam Operationem mentis dirigentia, pertinebant, satis accurate in Logica Minori explicuimus. Nunc expendendæ sunt quæstiones, quæ circa res, eam spectantes, moveri solent. Porro hæc prima Operatio versatur circa terminos, et res iis significatas. Terminorum autem alii singulares sunt, alii universales. De singularibus nihil disputandum occurrit: de his enim non sunt scientiæ. Ad universales itaque terminos quæstiones omnes agitari solitæ referuntur. Porro in Terminis universalibus duo spectari possunt; primo *universalitas*, ac varii ejusmodi; secundo rerum universalium *distributio* in decem suprema genera, quæ *Categoriæ*, seu *Prædicamenta* dicuntur. Itaque hanc partem in duas Disputationes dividimus. Prima erit de *Universalibus*. Secunda de *Prædicamentis*.

DISPUTATIO PRIMA

De Universalibus.

Tractatus Universalium inscribi solet *Isagoge Porphyrii*, quod primus illum præmiserit Porphyrius per modum introductionis, seu Isagoges ad prædicamenta Aristotelis. Fuit autem Porphyrius natione Phœnix; religione primo quidem Christianus, sed deinde Apostata; Professione Philosophus; secta Platonicus, Plotini discipulus, Origenis vero condiscipulus. Vixit sub Diocletiano circa annum 280. Multa scripsit, quædam impie contra

fidem, quam ejuraverat, et quæ a Sanctis Patribus confutata sunt; quædam superstitiose de Magia et Sacrificiis; aliqua erudite de Philosophia. Inter alia vero hunc Tractatum de Universalibus, seu de quinque vocibus, qui in Scholis explicari solet. Itaque 1. Dicemus de Universalibus in communi. 2. De iisdem in particulari. 3. De proprietatibus Universalium.

QUÆSTIO PRIMA

De Universalibus in communi.

Universale, ut vox ipsa indicat, est *unum versus alia*, idest, respiciens multa. Porro tribus modis unum potest respicere multa, ut *causa*, ut *repræsentatio*, ut *natura:* hinc triplex Universale, in *causando*, in *repræsentando*, in *essendo*. Universale in causando est *una causa multos* et *varios effectus respiciens*, ut Deus, Sol, etc. Universale in repræsentando est *unum multa repræsentans*, seu significans; ut idea domus in artifice plures ei domos repræsentat; vox *Animal* plures res significat eo nomine designatas. Universale in essendo est *unum aptum inesse multis*, seu *unum aptum prædicari de multis*, ut natura humana est in multis individuis, ac de illis dicitur. Prima definitio essentiam Universalis, altera proprietatem explicat.

Hic solum agimus de Universali in essendo et prædicando. Porro Universale, ut omne concretum, duo importat, *formam*, et *subjectum*, seu *Universalitatem*, et *rem*, cui convenit universalitas. Itaque 1. discutiendum, quibus rebus conveniat *universalitas*. 2. In quo statu *illis conveniat*, an a parte rei, vel per intellectum. 3. Qua *mentis Operatione* fiat universalitas. 4. *Quotuplex* sit Universale. 5. An Universale sit *genus* ad quinque Universalia.

ARTICULUS PRIMUS

AN NATURÆ SINT UNIVERSALES

Tres sunt Sententiæ. Prima *Nominalium*, qui non res ipsas, sed voces solas universales esse contendunt: unde scientias, a-

junt, esse de solis vocibus, seu nominibus. Hinc *Nominales* dicti sunt. Hujus Sectæ Auctor est Guillelmus Ocamus Minorita, aut potius restitutor: nam et ante illum fuere Nominales, quos Ocamo antiquior S. Anselmus acrius perstringens lib. 1. de Incarnat. Verbi c. 2. *Dialectici*, inquit, *nostri temporis, immo Dialecticæ Hæretici, non nisi flatum vocis* (alii legunt *statum*) *substantias universales esse dicunt.* Huc referri potest Stoicorum opinio, mentis conceptiones esse universales, non res ipsas conceptas, (id enim etiam *Nominales* concedunt). Volunt enim voces exteriores esse Universalia arbitraria, at conceptiones interiores esse Universalia naturalia.

Secunda sententia fuit Platonis. Censuit, dari res universales, sed separatas a singularibus, nempe Ideas æternas et immutabiles, seu formas archetypas et primævas, quarum participatione singularia existebant. Harum Idearum duas posuit impressiones, alteram in materia, alteram in mente nostra. Ex impressione Idearum in materia, dixit, causari multitudinem individuorum, ut ex impressione sigilli in variis ceræ partibus causantur multæ similes imagines. Ex impressione vero Idearum in mente, causari in nobis rerum scientiam. Hanc impressionem dixit factam menti, antequam corpori uniretur, sicque nos omnium scientiam innatam habere: at nobiles illos characteres obnubilari immersione animæ in materia; nec apparere, nisi cum per studium hæ veluti sordes carnis discutiuntur, ut obducta pulvere imago, eo excusso, apparet. Hinc dixit, nihil nos de novo addiscere, sed oblita in mentem revocare, ac proinde scientiam esse *reminiscentiam.*

Tertia Sententia est Peripateticorum, quam ut explicemus sit.

CONCLUSIO PRIMA

Non solum dantur conceptiones et voces, sed etiam res et naturæ universales illis correspondentes.

Ita censuit Aristoteles: nam 1. Periherm. c. 7. dividit res *in singulares et universales:* ac passim statuit, *sensum versari circa singularia; intellectum vero circa universalia,* et lib. de Prædicam. Substantias alias *Universales esse, alias Singulares.*

Probatur ratione. Universale est unum in multis; atqui natura voce universali significata est una in multis: ergo est universalis. Major est definitio Universalis. Minor probatur: Illud est in multis, quod vere affirmatur illis inesse; atqui non ipsa conceptio, aut vox, sed natura concepta et voce significata vere affirmatur inesse multis: ergo natura ipsa est in multis. Major patet ex terminis. Minor declaratur: Dum dico, Petrus est essentialiter homo, Paulus est essentialiter homo, vere affirmo unum aliquid de illis multis; vera enim est utraque propositio, et in utraque idem prædicatum de multis affirmatur; atqui illud unum non est mea conceptio; falsum enim est, quod Petrus sit essentialiter mea conceptio: non est itidem *nomen;* nam falsum est, quod Petrus sit essentialiter *nomen*: ergo est ipsa natura humana a me concepta, et hoc nomine *Homo* significata; unde si a me quæratur, quid sit homo? dico, esse Animal rationale, quæ definitio non voci, aut conceptioni congruit, sed ipsi rei.

Confirmatur. Objecta scientiarum sunt universalia; atqui non voces, aut conceptiones considerantur a scientiis, sed res ipsæ; ut, cum Physicus demonstrat, terram esse rotundam, non id demonstrat de voce, aut conceptione, quæ figura caret, sed de re concepta et significata: ergo res ipsæ sunt universales.

Respondent Nominales, Voces et conceptus materialiter sumpta non prædicari de multis, nec considerari a scientiis; sed formaliter, ut supponunt pro rebus, atque hoc modo esse universalia.

Sed ea responsio nostram confirmat sententiam; nam ex illa sequitur, voces et conceptus non esse universalia, nisi repræsentative, res vero, quæ illi subsunt, esse universales entitative; nam differt vox singularis ab universali, quod illa rem singularem, ista rem pluribus communem significet; unde vox est universalis, quia supponit pro re universali.

Replicant, voces esse universales, non quia significant unum commune multis, sed immediate multa singularia.

Sed contra. Cum dico, Petrus est homo, affirmo immediatum significatum istius vocis de Petro, sed non affirmo, Petrum esse multa singularia: ergo vox *Homo* immediate non significat multa singularia, sed naturam communem multis singularibus.

Obj. Omnis natura existens est singularis; existentia enim non est, nisi singularium : ergo nulla natura est universalis.

Resp. Distinguo antecedens; natura existens est singularis; *ratione differentiæ individualis*, qua contrahitur, concedo; *ratione sui*, nego. Et pariter ad consequens, natura non est universalis; ut contracta in individuo, concedo; ut considerata præcise secundum se et cum abstractione ab individuis, nego.

Instabis. Natura considerata cum præcisione ab individuis non est substantia in re, sed conceptio quædam mentis nostræ: ergo non res ipsæ, sed conceptiones rerum sunt universales.

Resp. Distinguo antecedens: est conceptio *objectiva*, concedo; est conceptio *formalis*, nego. Duobus enim modis dicitur conceptio, Formalis, et Objectiva. Conceptio formalis est actus mentis, quo concipio: conceptio objectiva est res concepta, quæ tali actu percipitur. Natura abstracta non est ipse actus mentis, sed res a mente percepta sub modo abstractionis: et hæc proprie est universalis; unde si Nominales nomine *conceptionis* intelligant rem ipsam ut conceptam, ac solum velint, naturas non esse universales, ut in se existunt, sed ut in mente concipiuntur, atque hoc sensu solas conceptiones esse universales, re nobiscum convenient, verbis solum different; nam infra dicemus, naturam non esse universalem a parte rei, sed solum in intellectu; unde quæstio videtur de nomine.

CONCLUSIO SECUNDA

Naturæ universales non existunt extra singularia; sed sunt ipsæ singularium naturæ, quæ a singularitate per mentem abstractæ induunt modum universalitatis, ut infra explicabimus.

Probatur. Essentia rei non est extra rem; sed naturæ universales sunt de essentia singularium: ergo non sunt extra singularia. Major constat ex terminis: essentia enim constituit rem, immo est ipsa res essentialiter. Minor demonstratur: Quod prædicatur essentialiter, est de essentia; sed naturæ universales prædicantur essentialiter de singularibus; hæc enim est vera, Petrus est essentialiter homo: ergo sunt de essentia singularium.

Ex his collige, Ideas Platonis, si essent, non posse dici U-

niversales in *essendo*, quia non essent in multis; sed solum in *causando* et *repræsentando*, quia essent causæ et exemplaria multorum.

Obj. Scientiæ sunt de rebus universalibus et immutabilibus; sed dantur scientiæ: ergo dari debent naturæ originales universales, et immutabiles, circa quas versentur: ergo Ideæ separatæ a rebus.

Resp. Distinguo Majorem: Scientiæ sunt de rebus universalibus et immutabilibus; quoad *connexionem prædicatorum essentialium*, seu quoad essentiam, concedo; quoad *existentiam*, nego. Id est, scientiæ in ipsis rebus mutabilibus, et singularibus non respiciunt existentiam, et accidentia particularia, sed prædicamenta quædam necessaria; quorum connexio cum essentia est immutabilis, universalis, et perpetua; ut, licet hoc corpus generari et corrumpi sit aliquid singulare et mutabile; attamen immutabiliter et universaliter verum est, omne corpus, quod corrumpitur, constare partibus dissolubilibus. Et hoc modo scientiæ dicuntur esse de universalibus, et perpetuis, non quod sint de naturis re ipsa separatis a singularibus, sed quia naturas singularium corruptibilium considerant sub modo quodam universali, et invariabili. Sed id iterum explicabimus infra, q. 3. art. 1.

Quæres, an re vera Plato posuerit has Ideas, ut substantias in se extra singularia existentes.

Respondeo, videri ita censuisse; nam ob id eum impugnat passim Aristoteles, quem aut Platoni palam imposuisse, aut ejus mentem non percepisse vix credibile est. S. Thomas inclinat in eam partem, 1. p. q. 15. art. 1. ad 1. Eum tamen gravissimi auctores, ut S. Augustinus, ita explicant, ut per ideas suas, non alias intellexerit, quam quæ sunt in Mente Divina. Sicut enim artifex habet in mente ideam operis faciendi, ita supremus Mundi Opifex ab æterno gerit in mente sua ideam creaturarum omnium, ut docent Theologi; unde Boetius de Deo inquit:

> . . . . . *Pulchrum pulcherrimus ipse*
> *Mundum mente gerens, similique ab imagine formans.*

Istæ autem Ideæ vocantur *Mundus archetypus*, de quo di-

xit D. Joannes, *Quod factum est in ipso vita erat*, id est, intelligibiliter, ac proinde vitaliter, in Deo præexistebat ab æterno. Et D. Paullus ad Hebr. 10. hunc Mundum idealem et archetypum vocat *secula invisibilia; Fide*, inquit, *intelligimus aptata esse secula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent;* id est, cum invisibili modo in mente Dei existerent, initio temporum in suo esse naturali condita sunt. Ex quo sequitur, naturas rerum triplicem habere statum; scilicet *Idealem* in mente Dei, *Naturalem* in rerum natura, et *Intelligibilem* in mente humana. Naturæ in primo statu, scilicet ideali, sunt superuniversales, et supersingulares; in se ipsis singulares; in mente humana sunt universales.

ARTICULUS SECUNDUS

AN NATURA SIT FORMALITER UNIVERSALIS A PARTE REI

Tribus modis natura spectari potest, ut notat S. Thom. de Ent. et Ess. c. 4. Primo ut in *singularibus contracta*, ut in Petro et Paulo. 2. Ut est *in conceptu mentis a singularibus abstracta;* ut Geometra Triangulum speculatur ab omnibus, qui existunt triangulis abstrahendo. 3. *Secundum se præcise*, id est, *secundum prædicata essentialia*, quæ ubique et semper ei conveniunt: ut, dum considero, Triangulum esse figuram planam tribus lineis comprehensam, cujus tres anguli duobus rectis æquales sunt; hæc enim prædicata omni Triangulo, tum in re, tum in mente conveniunt. Hoc posito.

Tres sunt sententiæ. Prima est Scoti: vult ille, naturam esse secundum se Universalem, atque adeo etiam a parte rei; nec proinde fieri, sed solum detegi et observari ab intellectu ejus universalitatem. (1) Secunda opinio tenet, esse universalem, ut

---

(1) *Fuere ex recentioribus, qui hanc Scotistarum opinionem durius, quam oportuit accepere, quod recta via ducat ad Pantheismum Spinosianum. Verum doctissimi viri, qui hanc Scoti opinionem tenuere, doctrinam tam absurdam Spinosæ impugnarunt, quin et inter Catholicos laude, ac nomine flo-*

est a parte rei in pluribus similibus; nam ea similitudine censet constitui universalem. Tertia sententia sequenti conclusione continetur.

CONCLUSIO

Natura nec secundum se, nec ut existit in rebus, est formaliter universalis, sed solum in intellectu.

Ita Thomistæ omnes, ac fere cæteri præter Scotistas. Sic docet ubique S. Thomas: Opusc. 55. *Universale*, inquit, *est solum in anima, et nullo modo in rebus.* Et de Ent. et Essent. c. 4. *Ratio speciei accidit naturæ humanæ, ut est in intellectu.* Et 1. p. q. 85. ar. 2. ad 2. *Natura, cui accidit intentio universalitatis, non est nisi in singularibus; sed intentio universalitatis est in intellectu.* Hinc illud tritum Aristotelis effatum, *Universale aut nihil esse, aut posterius esse;* Idest, aut nullibi esse, aut in solo intellectu esse; nam, ut recte notat S. Joannes Damascenus lib. 1. de Fide, c. 21. *Re ipsa Petrus consideratur a Paulo separatus. Communio vero et conjunctio ut unum, ratione, intelligentiaque spectatur. Mente enim intelligimus, Petrum et Paulum esse ejusdem naturæ, et unam habere naturam communem.*

Probatur ratione. Universale est unum in multis; atqui natura a parte rei non est una et eadem in multis, sed singula in singulis: ergo a parte rei non est universalis. Probatur Minor:

---

rueriunt. Longissime ergo abest a mente Scoti, ac discipulorum ejus tam putida deductio. Putabat ipse fortasse, sic se posse melius Doctrinam Catholicam explicare.

Fatemur tamen naturam Universalem a parte rei, independenter ab Intectus nostri abstractione, et comparatione non satis sibi ipsi cohærere. Nam inter naturas Universales, præcipuum locum tenet substantia, *quæ si talis est independenter ab Intellectu, non video, cur non sit una in omnibus.* Universale *enim* est unum in multis, *atque adeo, unam eandemque substantiam esse in omnibus rebus. Sic parvus error in principiis, maximus esse potest in consequentiis. Hæc notavimus, ne quis Auctoris nostri disputationem inter vanas, ut inquiunt, Scholasticorum quæstiones immerito accenseat.*

Natura rei est idem cum re ipsa, est enim ejus essentia; sed quælibet res in se existit divisa, distinctaque ab aliis, ac sibi, ut ita dicam, propria: ergo natura ejus non est una, et eadem cum natura alterius, sed ab ea divisa, et distincta.

Confirmatur. Natura Petri (et sic de aliis) est corpus et anima Petri invicem conjuncta: quid enim aliud est? atqui Petrus habet proprium corpus, propriamque animam, ab anima et corpore aliorum distincta, ut evidens est: ergo natura ejus in re distinguitur a natura alterius hominis. Hæc ratio est S. Thomæ Opusc. 4. c. 7.

Respondet Scotus; Naturam Petri non distingui quidem a Petro *realiter*, distingui tamen *formaliter in re;* atque ita, licet Petrus sit res distincta a Paulo, esse tamen in Petro formalitatem alienam, nempe naturam humanam, quæ non est distincta formaliter a natura Pauli.

Sed contra (præter quam implicat in terminis, naturam Petri esse idem realiter cum Petro, et tamen ab eo distingui formaliter actu in re, ut ostendemus in Metaphysica, ubi fictitiam illam Scoti distinctionem confutabimus:) Esto humanitas Petri non sit actu formaliter idem cum Petro, attamen divisione Petri a Paulo etiam ipsa humanitas Petri constituitur distincta ab humanitate Pauli: ergo nulla responsio. Probatur antecedens: Re integre ab alia divisa, dividitur quoque quidquid est idem cum re: alias esset et non esset re ipsa divisa ab alia; sed, fatente Scoto, humanitas Petri est idem re ipsa cum Petro: ergo divisione Petri a Paulo humanitas ipsa Petri dividitur et distinguitur ab humanitate Pauli. Et plane miranda Scoti subtilitas, ut concipiat, Petrum ut Petrum esse in re divisum a Paulo, et tamen hominem, qui est idem cum Petro, non distingui formaliter actu ab homine, qui est Paulus: ecquis enim luce meridiana clarius non percipit, non solum Petrum esse distinctum a Paulo, sed etiam hominem Petrum ab homine Paulo, atque ita esse duos homines distinctos, duas humanitates, duo composita ex anima et corpore?

Replicat Scotus, Naturam Petri esse quidem divisam a natura Pauli, et hominem Petrum ab homine Paulo; sed per ac-

cidens ratione differentiæ numericæ, at non per se et formaliter; ideoque nihilominus esse formaliter unum hominem a parte rei.

Sed contra. Esto hæc divisio non oriatur ex ipsa natura, sed ex eo, quod sit in diversis individuis, quod ei est accidentale; attamen re ipsa natura divisa est in Petro et Paulo: ergo non est re ipsa una in illis. Sicut qui per accidens moritur, re ipsa mortuus et non vivus est. Unde ut quis absurde colligeret, Petrus non est per se mortuus, sed casu, gladio, aut febre: ergo est per se vivus; ita absurde colligit Scotus, Natura Pauli non est per se divisa a natura Petri, sed solum ratione differentiæ numericæ, quæ ei accidentalis est: ergo est per se una, et eadem in Petro et Paulo.

Probatur 2. conclusio. Natura, ut dixi, tribus modis spectari potest: *Secundum se*, ut *in individuis*, ut *in intellectu;* atqui universalitas ei non convenit secundum se, nec ut in individuis; ergo solum in intellectu. Probatur Minor, et in primis quod universalitas ei non conveniat, ut *est in individuis:* nam ex eo potius fit singularis; adjungitur enim illi differentia individualis. Quod vero nec conveniat ei *secundum se*, sic demonstratur: Quod convenit naturæ secundum se, convenit omni habenti naturam; non enim Petrus est universalis, licet sit homo: ergo universalitas non convenit naturæ secundum se. Minor est evidens. Major probatur: Quod convenit naturæ *secundum se*, convenit ei essentialiter et universaliter, proindeque dicitur de omni; sed quod dicitur de omni, dicitur de quolibet sub eo contento: ergo quod convenit *secundum se* naturæ, convenit omni sub ea contento, id est, talem naturam habenti; ut, quia ignis est per se calidus, quilibet ignis est calidus.

Confirmatur. Existentia non est nisi singularium, juxta commune Axioma; sed natura a parte rei existit: ergo a parte rei singularis est: ergo non est a parte rei universalis. Hæc enim duo invicem repugnant.

Itaque Natura ipsa est universalis contra Nominales; at non in re, sed in mente; nam dividitur in re per divisiones singularium; Mens vero illam præscindens ab iis divisionibus, unum de ea conceptum objectivum format, qui non est ipsa actio a-

nimæ, sed ipsa natura mente percepta, seu in esse intelligibili: In hoc statu universalis est, quia *est unum respiciens multa.* Unum quidem, quia jam præcisa est a differentiis numericis eam dividentibus in re. Respicit tamen multa, quia est ipsa multorum natura menti objecta, quæ de singulis vere affirmatur: Sic Artifex cui plurium similium domorum ædificatio incumbit, unam formam domus mente concipit, omnibus illis in re communicandam. Si domos illas consideres jam constructas, multæ sunt propriis formis distinctis constantes. At in mente artificis una idealis domus est, hoc solo multiplex, quod una in mente, in re tamen in pluribus existat.

Solvuntur Objectiones

Obji. 1. Aristoteles divisit res, id est, naturas in universales et singulares: ergo dantur in rebus naturæ universales.

Resp. Distinguo consequens: dantur in rebus naturæ universales; secundum statum quo existunt *in re*, nego; secundum statum, quem habent *in mente*, concedo. Fatemur, ipsas res esse universales; solum negamus, id eis competere a parte rei.

Obji. 2. Natura est formaliter una in multis a parte rei; ergo et universalis. Probatur antecedens: Quod non dividitur formaliter, est unum formaliter; sed natura Petri a parte rei non est formaliter divisa a natura Pauli: ergo est una formaliter a parte rei. Probatur Minor. Divisio formalis est divisio specifica, sicut materialis divisio est divisio numerica; sed Petrus et Paulus actu in re non sunt divisi specifice: ergo non sunt divisi formaliter.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo majorem: quod non dividitur formaliter, est formaliter unum; unitate *similitudinis* et *conformitatis*, concedo; unitate *entitatis*, nego. Et pariter ad consequens; natura est una in Petro et Paulo; unitate *conformitatis*, concedo; unitate *entitatis*, nego. Id est, natura Petri est similis et conformis naturæ Pauli, nec enim dissimiles sunt, ut Petrus et Leo; at sunt tamen duæ distinctæ et ab invicem divisæ entitates; proindeque non sunt una entitas in multis, sed multæ in multis.

Aliter distingui potest, sed in idem redit; sunt unum unitate *negativa*, concedo; *positiva*, nego. Unitas positiva est una entitas indivisa in se; unitas negativa est negatio alicujus divisionis ex aliquo capite provenientis. Itaque natura Pauli non est eadem, sed distincta entitas a natura Petri; proindeque non sunt *positive* unum. Attamen negant eam diversitatem, quæ est inter Hominem et Leonem; sicque dicuntur unum *negative*.

Instabis. Unitas est negatio divisionis; unum enim est, quod divisum non est; sed illæ naturæ negant divisionem formalem et specificam: ergo sunt unum formaliter.

Resp. Distinguo Majorem: Unitas est negatio divisionis *omnimodæ*, concedo; divisionis *alicujus tantum*, seu ex aliquo capite provenientis, nego. Unitas enim est unum indivisum in se; proindeque ex quocumque capite divisio accidat, tollitur unitas; ut ex quacumque causa mors accidat, tollitur vita.

Urgebis. Divisio numerica, quæ sejungit naturam Petri a natura Pauli, non destruit unitatem specificam; ergo remanet nihilominus natura specifice una in Petro et Paulo. Probatur antecedens. Unitas non tollitur, nisi per divisionem sibi oppositam; sed divisio individualis non opponitur unitati specificæ; sunt enim diversi ordinis: ergo per eam non tollitur.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem, distinguo minorem: divisio numerica non opponitur unitati specificæ; *directe*, concedo; *indirecte*, nego; nam divisa re, dividuntur omnia, quæ sunt in ea. Porro gradus superiores includuntur in inferioribus; ut in Petro includitur homo, includitur animal, includitur substantia, etc. Unde divisionem numericam Petri a Paulo ex consequenti, et indirecte dividuntur omnes gradus superiores, nempe specifici, et generici: sicque Petrus et Paulus sunt duo homines distincti, duo viventia distincta, duæ substantiæ, etc. Itaque non sunt positive una natura specifica, sed duæ naturæ humanæ similes unde nascente Petro nascitur novus homo, novum animal, nova substantia, ab iis, quæ jam erant distincta et divisa; atque ita in re tot sunt naturæ humanæ, quot sunt Homines.

Repones. Unitas similitudinis sufficit ad universalitatem; sed natura a parte rei, etsi divisa sit in individuis, est tamen una

unitate similitudinis: ergo est universalis a parte rei. Probatur major: Ad universale sufficit unitas, qua major esse non potest in natura; sed inter individua non est possibilis major unitas, quam similitudinis: ergo illa sufficit.

Resp. Distinguo Majorem: sufficit unitas similitudinis ad universalitatem, *fundamentaliter*, concedo; *formaliter*, nego. Ut enim ad universale in *causando* non sufficit congeries plurium causarum particularium inter se similium, sed requiritur una causa multos respiciens effectus; ita ad universale in *essendo* non sufficit congeries plurium naturarum similium, sed requiritur una natura respiciens multa inferiora. Ad probationem distinguo Minorem: non est possibilis major unitas in natura, quam unitas similitudinis *a parte rei* concedo; *per intellectum*, nego; nam in intellectu natura fit perfecte *una* modo superius explicato.

Dices. Saltem Natura Divina est una perfecte in pluribus suppositis, nempe in tribus personis: ergo est universalis a parte rei.

Resp. Distinguo antecedens: est una in pluribus, pluralitate *relativa*, concedo; pluralitate *individuali*, qualem exigit natura specifica, ut sit universalis, nego. Non enim tres personæ sunt tria individua naturæ divinæ, quia secundum naturam sunt unum omnimode; sed solum sunt tria supposita habentia eamdem numero naturam, proindeque summe singularem. At de his Theologi.

Obji. 3. Dantur a parte rei genera et species; sed genera et species sunt aliquid universale: ergo datur universale a parte rei.

Resp. Distinguo majorem: Dantur a parte rei genera et species *materialiter*, concedo; *formaliter*, nego. Id est, naturæ illæ, quæ denominantur genera et species, v. g. animal et homo, sunt quidem a parte rei; attamen formalitas generis et speciei non convenit illis secundum quod sunt a parte rei.

Instabis. Petrus et Equus a parte rei sunt distincti specie: ergo datur a parte rei species.

Resp. Distinguo: sunt distincti a parte rei specie *materiali*, concedo; *formali*, nego. Id est, natura illa, quæ fit per intel-

lectum species, est diversa in Petro et Equo; at in illis non est formaliter distincta species, quia ante mentis actum non est proprie species.

Urgebis. Petrus a parte rei non est unus cum Equo etiam unitate speciei formalis: ergo distinguitur ab Equo unitate specici formalis.

Resp. Nego suppositum, quod scilicet detur species formalis a parte rei; unde Petrus et Equus neque sunt unum, neque differunt a parte rei specie formali.

Obji. 4. Omnia individua definiuntur unica definitione: ergo natura omnium individuorum in illis una est.

Resp. Distinguo consequentiam: Ergo natura non est in omnibus individuis; *secundum rem*, nego; *secundum rationem*, concedo. Natura enim non definitur, nisi prius sit in intellectu definiente; unde ut definiatur unica definitione, sufficit, quod sit una in ratione.

Instabis. Natura definitur, ut est a parte rei: ergo si definiatur unica definitione, erit una a parte rei.

Resp. Distinguo antecedens: Natura definitur, ut est a parte rei, quoad *rem definitam*, concedo; quoad *statum*, quem habet *a parte rei*, nego. Id est, natura quæ definitur, eadem est, quæ est a parte rei; attamen non habet eundem modum in definitione, quem habet a parte rei; nam definitio explicat naturam præcisam ab omnibus individuis, nec tamen a parte rei natura existit ab individuis præcisa, sed in illis inclusa.

Urgebis. Objecta scientiarum dantur a parte rei; sed objecta scientiarum sunt universalia: ergo universalia dantur a parte rei.

Resp. 1. Objecta scientiarum non esse universalia *formaliter*, sed tantum *materialiter*.

Resp. 2. Distinguo: Objecta scientiarum dantur a parte rei; secundum *realitatem suæ entitatis*, concedo; secundum *statum universalitatis*, nego. Solutio patet ex dictis.

Objicies ultimo. Natura, v. g. humana, non est per se et essentialiter singularis: ergo est per se et essentialiter universalis.

Resp. Naturam secundum se neque singularem, neque universalem esse, sed *indifferentem* ad utrumque statum; unde ut

existit in individuis, induit statum singularitatis; ut vero est intellectu, induit statum universalitatis.

Instabis. Intellectus non potest facere suum objectum; sed universale est objectum intellectus: ergo non potest fieri ab illo: ergo universale debet dari extra intellectum.

Resp. Distinguo majorem: Intellectus non potest facere suum objectum; *quantum ad substantiam*, transeat; *quantum ad modum aliquem*, nego. Nihil enim prohibet, naturas, quando objiciuntur intellectui, aliquam modificationem ab illo recipere, v. g. modificationem præcisionis, abstractionis, comparationis, et universalitatis.

ARTICULUS TERTIUS

QUA MENTIS OPERATIONE NATURA UNIVERSALIS EFFICIATUR

Antequam solvatur quæstio, notanda in primis distinctio Universalis *Metaphysici* et Universalis *Logici*.

Universale Metaphysicum est *Unum abstractum a multis*, seu, Natura sine individuis menti repræsentata; nam cum, ut superius demonstravi, natura per differentias numericas in individuis dividatur et multiplicetur, remotis per intellectum differentiis, tum natura pura, atque ab illis præcisa, ut unum aliquid percipitur: remota enim causa removetur effectus. Sic circulus æneus et circulus ferreus duo sunt circuli; at dum mens in illis attendit præcise naturam circuli, quod sit figura, una linea æqualiter centro circumfusa comprehensa, jam unam simplicem notionem circuli format, qua omnes circuli possibiles comprehenduntur. Natura circuli, ut aliarum rerum, sic concepta dicitur Universale *Metaphysicum*. Universale quidem, quia est unum aliquid simplex, pluribus tamen communicabile; *Metaphysicum* vero, quia maxime pertinet ad Metaphysicam naturas sic abstractas considerare. Hoc modo scientiarum objecta dicuntur Universalia; considerantur enim præcisa a singularibus.

Universale vero Logicum est *Unum respiciens multa*, seu comparatum ad illa, ut superius ad sua inferiora: unde Universalitas *Logica* differt ab universalitate *Metaphysica*, quod hæc præcise consistat in *abstractione a pluribus*, nullo habito respe-

ctu ad ea; at Universalitas Logica ei addit *respectum ad plura*, ut ad inferiora. Cujus ratio est, quod Logica maxime versetur in artificiosa rerum dispositione, per modum generis, speciei, individui; nec universalitatem consideret, nisi ut mens videre possit, qui gradus in re sint superiores, qui inferiores, qui generici, qui specifici, qui individuales, qui possint subire rationem prædicati, qui rationem subjecti, etc. quod intelligi nequit sine comparatione naturæ superioris ad inferiora; itaque in eo respectu consistit universalitas Logica. Porro quia naturæ abstractæ fundant hujusmodi respectus, inde Universale Metaphysicum dicitur esse fundamentum Universalis Logici.

PRIMA CONCLUSIO

Natura fit universalis Metaphysice per mentis abstractionem, qua separatur a conditionibus, eam ad aliquid singulare determinantibus.

Probatur conclusio. Universale Metaphysicum est *unum abstractum a pluribus;* hæc enim est ejus definitio; sed hoc ipso, quod per mentem natura abstrahitur a suis singularibus, fit unum quid a pluribus abstractum, ut supra explicuimus: ergo per illam abstractionem fit universalis *Metaphysice.*

Verum duplex est abstractio. Alia intellectus *agentis*, alia intellectus *possibilis*, quæ etiam dicitur *præcisio.* Intellectus *agens* (ut id obiter dicamus, in libris de Anima fusius explicandum) est facultas illa mentis, quæ ex speciebus in imaginatione residentibus, atque res singulares repræsentantibus, elicit alias species sublimiores, ipsam rerum naturam ab omni singularitate præcisam repræsentantes. Intellectus *possibilis* est ea facultas, quæ naturas sic repræsentatas percipit; unde Abstractio intellectus *agentis* est actio, qua elicitur ex singularibus species universalis, naturam ab illis præcisam repræsentans. Abstractio vero intellectus *possibilis* est actio, qua natura sic repræsentata percipitur. Hic subtilis movetur quæstio, an natura fiat universalis per priorem abstractionem; an ad id requiritur etiam posterior:

Dicendum, fieri per priorem abstractionem. Nam hoc ipso,

quod natura separatur ab individuis, fit universalis *Metaphysice;* atqui per abstractionem intellectus agentis separatur ab individuis; repræsentatur enim ut ab illis præcisa : ergo fit universalis *Metaphysice.* Verum hæc quæstio non ita pertinet ad Logicam.

Quæres, (quod identidem dictitari solet,) quid sit abstrahi a conditionibus individualibus et materialibus, quidve sint hæ conditiones.

Respondeo, Conditiones individuales esse quædam accidentia, sive realia, sive sola ratione distincta, quæ non sunt de essentia naturæ, sine quibus tamen nunquam existit. Præcipua est differentia numerica, qua natura unius individui a natura alterius distinguitur. Dicitur a Scoto *Hecceitas,* quia per eam natura constituitur *hæc singularis.* Reipsa est idem cum natura, attamen non est de ejus essentia; nam concipio perfecte circulum, licet non cogitem de hoc, vel illo circulo. Differentiam numericam sequitur existentia, deinde determinatio ad certum tempus, ad certum locum. Postremo, conjunctio variorum accidentium, quibus vel individuum designari solet, ut hæc lineamenta, hæc patria, hoc nomen proprium, etc. vel quibus afficitur, ut vitium, virtus, sanitas, ægritudo, respectu individui humani. Hæ conditiones dicuntur materiales, quia fere accidunt formæ, ex eo quod sit in materia; itaque natura dicitur abstrahi a conditionibus individuantibus et materialibus, cum mente percipitur præcise secundum prædicata sibi essentialia, nullo habito respectu ad hæc, quæ illi accidunt, ut existit a parte rei; ut cum apud me reputo, an *Virtus sit voluptati præferenda?* Virtutem secundum suam præcise definitionem considero, non hanc, vel illam virtutem, quæ in Petro, aut Joanne existit, tali tempore, tali loco, talibus conjuncta circumstantiis, ægritudini, sanitati, scientiæ, etc. seu, ut duobus verbis dici solet, considero virtutem ut abstrahit ab *hic* et *nunc*; id est, ab hac singulari, ab hoc tempore, loco, existentia et aliis, quæ a parte rei illi accidunt.

SECUNDA CONCLUSIO

Ut natura fiat Universalis Logice, non sufficit abstractio, sed requiritur ejus ad inferiora per mentem facta comparatio.

Conclusio non recipitur ab omnibus: sunt enim, qui putant, naturam *abstractione* fieri universalem etiam *Logice*. Est tamen S. Thomæ q. 7. de Potent. a. 11. *Relationem*, inquit, *Universalitatis intellectus adinvenit, considerando ordinem ejus, quod est in intellectu, ad res, quæ sunt extra intellectum*, id est, naturæ abstractæ ad inferiora, a quibus abstrahit. Et Opusc. 56. *Natura fit universalis, quatenus cognoscitur ut participabilis ab inferioribus.*

Probatur ratione. Universale Logicum est Unum respiciens multa, ut superius inferiora; atqui natura præcise ex vi abstractionis non respicit inferiora, sed solum cum ad ea comparatur; ergo non est universalis Logice. Major constat ex dictis, et confirmatur præterea: Omne universale Logicum, ut diximus, vel est Genus, vel Species, vel Differentia, vel Proprium, vel Accidens; atqui hæc omnia important respectum superioris ad inferiora, ut constat ex definitione terminorum: ergo universale Logicum est unum respiciens multa, ut superius inferiora. Minor vero declaratur. In eo consistit *abstractio*, ut natura præcise secundum se consideretur absque ullo ordine ad inferiora; *comparatio* vero in eo, ut intelligatur ordo quidam inter naturam sic consideratam, et inferiora ejus: ergo non per abstractionem, sed per comparationem habet respectum ad inferiora.

Verum duplex est comparatio. Una *simplex* dicitur, quæ fit per simplicem apprehensionem, qua percipitur ordo ille naturæ ad inferiora; altera dicitur *composita*, quæ fit per Judicium, quo actu affirmamus naturam de inferioribus. Sunt qui ad universale Logicum hanc requirant; sed sufficit prima. Universale enim Logicum non est natura actu prædicata de pluribus, sed prædicabilis, unde universalia dicuntur prædicabilia: ergo non requiritur, ut actu prædicetur, sed solum ut concipiatur ut superior et prædicabilis.

Objici possunt plura S. Thomæ loca, in quibus dicit, naturam fieri universalem per solam abstractionem. 1. p. q. 76. a. 1.

Quod abstractione, inquit, *a materia individuali, fit universale.* Idem dicit Opusc. 59.

Sed dicendum, S. Thomam loqui de Universali *Metaphysico;* aut saltem de Logico solum fundamentaliter; nam universale Logicum in habitudine naturæ ad inferiora consistere probat Opusc. 56.

Obji. 2. Si natura existeret realiter separata ab individuis, qualem finxit Plato, esset formaliter universalis: ergo hoc ipso, quod per intellectum separetur ab individuis, fit universalis per intellectum.

Resp. Transeat antecedens; (non enim admittimus, ideas illas Platonicas fore universales, saltem in *essendo*, etiam si darentur) et nego consequentiam. Ratio est, quia si natura existeret realiter separata ab individuis, diceret realem respectum superioritatis ad illa. At vero ex eo, quod abstrahatur ab individuis per rationem, non continuo illa respicit per rationem, sed magis ab illis recedit.

Instabis. Natura abstracta dicit relationem rationis ad sua inferiora: ergo est formaliter universalis Logice. Probatur antecedens: Natura multorum dicit relationem ad multa; sed natura abstracta, ut natura humana, est natura multorum: ergo dicit relationem ad multa.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo majorem. Natura multorum dicit relationem ad multa, *si ad illa comparetur*, concedo; *si ab illis penitus abstrahatur*, et nullatenus respiciat ipsa, nego. Natura autem ex vi abstractionis non respicit inferiora, sed potius ab illis recedit; unde mirum non est, si pro tali statu nullam dicat relationem ad illa.

Urgebis. Natura abstracta licet non sit relata ad inferiora, est tamen referibilis ad illa: ergo est universalis etiam Logice. Probatur consequentia: Verba in definitionibus posita non dicunt actum, sed solum aptitudinem, ut fert axioma: ergo ut natura sit universalis Logice, non exigit, ut sit actu relata, sed solum referibilis ad individua.

Resp. Nego consequens. Ad probationem respondeo, quod, quando actus est differentia essentialis rei, definitio debet ipsum exprimere, et non tantum aptitudinem. Discrimen autem univer-

salis *Logici* a *Metaphysico* est, quod universale Metaphysicum dicit *naturam abstractam a pluribus*, ac proinde referibilem ad multa; sed universale Logicum dicit *naturam respicientem multa*, seu relationem naturæ ad individua, ut superioris ad inferiora; unde non sufficit, quod natura sit referibilis; sed exigitur, quod sit relata ad multa.

Dices. Universale, etiam Logicum, definitur *Unum aptum esse in multis:* ergo non requiritur, ut actu respiciat multa.

Resp. Nego consequens. Quamvis enim ad universale Logicum non requiratur, ut natura sit de facto in pluribus, sed solum aptitudinaliter, attamen requiritur, quod in ea concipiamus actualem ordinem ad multa, non tanquam ad ea, quibus insit, sed saltem in quibus esse possit, quantum ex se est. Porro hic respectus non concipitur sine aliqua ejus ad inferiora comparatione.

Obji. 3. Natura abstracta non est singularis: ergo est formaliter universalis; non enim videtur dari medium.

Resp. Distinguo consequentiam: est universalis *Metaphysice* et fundamentaliter, concedo; *Logice*, nego. Solutio patet ex dictis; nam inter singulare et universale Logicum, mediat universale *Metaphysicum*, quod est fundamentum Logici.

Instabis. Posito fundamento resultat relatio: ergo si natura abstracta habeat fundamentum universalitatis Logicæ, habebit continuo hanc universalitatem.

Resp. Distinguo antecedens. Relatio resultat posito fundamento *solo*, nego; posito *fundamento simul et termino*, concedo; unde esse nequit quamdiu fundamentum abstrahit a termino. Cum igitur natura abstracta non respiciat terminum universalitatis Logicæ, sed magis ab eo remota et præcisa sit, quantumvis habeat aliquod fundamentum universalitatis Logicæ, illam tamen vere non habet.

Obji. 4. Quod est prædicabile de multis, est universale; sed natura abstracta est prædicabilis de multis: ergo est universalis. Probatur minor. Natura, quæ realiter est in multis, potest prædicari de multis; sed natura abstracta, ut humana, realiter est in multis individuis: ergo potest prædicari de illis.

Resp. Distinguo minorem: Natura abstracta est prædicabilis

de multis *fundamentaliter* et remote, concedo; *formaliter* et proxime, nego; nam antequam natura illa abstracta ab individuis prædicetur de illis, oportet eam concipere superiorem et participatam ab illis, ac proinde comparare ad individua; unde inter abstractionem et actualem prædicationem mediat comparatio, cui proinde convenit constituere naturam universalem.

ARTICULUS QUARTUS

DE DIVISIONE UNIVERSALIUM

Hac de re jam diximus in Minori Logica; nam quæ de Terminorum universalium divisione, ac definitione ibi statuimus, eadem referri possunt ad Naturas ipsas universales. Verum quia hæc divisio in disputationem vocari solet, hic nobis defendenda est.

CONCLUSIO

Universale recte et adæquate dividitur in quinque species universalium, Genus, Speciem, Differentiam, Proprium *et* Accidens.

Probatur. Universale est *Unum aptum inesse multis*; sed quinque modis unum potest esse in multis; ergo quinque sunt species universalium. Probatur minor: Quod est in multis, vel in illis est ut quid essentiale, vel ut quid essentiæ adjunctum. Si sit ut quid essentiale, tribus modis in eis esse potest. 1. Ut tota eorum essentia, et sic est *Species;* ut, homo, respectu et Petri et Joannis. 2. Ut pars essentiæ, qua res convenit cum aliis, et sic est *Genus;* ut, Animal, respectu hominis et equi. 3. Ut pars essentiæ, qua ab aliis speciebus discernitur, et sic est *Differentia;* ut rationale, respectu hominis. Si vero sit adjunctum essentiæ; vel ei adjungitur necessario, et sic est *Proprium;* ut calor respectu ignis; vel ei contingenter inest, ut morbus, aut sanitas homini, et sic est *Accidens*; ergo quinque modis *Unum* multis inesse potest, ut *Species*, ut *Genus*, etc.

Obji. 1. Quidquid inest multis, vel est essentiale, vel accidentale: ergo dantur solum duo universalia.

Resp. Nego consequens: Quod enim prædicatur *essentialiter*, est triplex, scilicet *Genus*, *Species*, *et Differentia*: Quod vero prædicatur *accidentaliter*, est duplex, scilicet *proprium et accidens*, ut mox explicabimus.

Obji. 2. Genus dividitur in genus supremum, ut substantia; et genus infimum, ut animal; et genus medium, seu subaltermum, ut vivens: ergo sunt plus quam quinque universalia.

Resp. Hæc omnia genera uno modo inesse multis, nempe ut quid essentiale incompletum et commune; unde referuntur ad unum universale, nempe genus in communi.

Obji. 3. Sunt decem prædicamenta: ergo et decem universalia.

Resp. Nego consequens: omnia enim prædicamenta pertinent ad unicum universale, scilicet ad genus; prædicamenta enim sunt suprema rerum genera.

Obji. 4. Individuum prædicatur de multis, ut de Petro, Paulo, Joanne, etc. ergo est universale.

Resp. Distinguo antecedens: Individuum prædicatur de multis; quoad *secundam intentionem* individualitatis, concedo; quoad *naturam intentioni subjectam*, nego; itaque individuum duo importat, naturam individualem, et secundam intentionem a mente huic naturæ attributam. Evidens est, naturam individualem uni tantum convenire, ut naturam individualem Petri soli Petro; unde non est universalis, sed singularis; at secunda intentio, quæ huic naturæ tribuitur a mente, multis talibus naturis attribui potest.

Instabis: Ergo hæc secunda intentio est sextum quoddam universale.

Resp. Nego consequens: ejus enim universalitas reducitur *ad speciem*, aut *ad accidens*. Ad *speciem* quidem, si comparetur ad hanc et illam individualitatem; nam individualitas in communi est quædam species secundæ intentionis, sub qua continentur hæc et illa individualitas. Ad *accidens* vero, si comparetur ad naturas individuales; nam quod intellectus tribuat Petro et Paulo secundam intentionem individui, hoc ipsis accidentale est; unde sicut Album est accidens reale continens sub se hæc

et illud album; ita individuum est accidens rationis sub se continens hoc et illud individuum.

Definitiones cujusque universalis jam prælibatæ sunt in Minori Logica, atque infra expendentur, cum de singulis agemus.

ARTICULUS QUINTUS

AN UNIVERSALE SIT GENUS AD QUINQUE UNIVERSALIA

Etsi quinarium universalium numerum vulgo omnes admittant, sunt tamen qui velint solum genus et speciem esse proprie universalia, cætera vero improprie et analogice; sicque nolunt contineri sub Universali, ut sub proprio genere, nam species univoce genus participare debent. Sit tamen.

CONCLUSIO

Universale in communi est proprie genus ad quinque universalia.

Probatur. Genus est, quod prædicatur de multis specie differentibus in quid incomplete; sed universale in communi prædicatur de quinque universalibus, tanquam de specie differentibus in quid incomplete: ergo est genus ad illa. Probatur minor: Prædicatur enim per modum termini quidditativi, exprimentis in quo ista quinque essentialiter conveniant; siquidem in hoc conveniunt, quod sint universalia, seu unum aptum inesse multis.

Obji. 1. Genus debet prædicari univoce; sed universale non prædicatur univoce respectu quinque universalium: ergo non est genus ad illa. Probatur minor: Universale est unum in multis; sed esse unum in multis non convenit univoce quinque universalibus: ergo universale non convenit univoce, etc. Probatur minor: Esse in multis essentialiter, et esse in multis accidentaliter, non est esse in multis univoce; sed genus, species, et differentia sunt in multis essentialiter; accidens vero est solum in multis accidentaliter: ergo esse in multis non convenit univoce quinque universalibus.

Resp. Nego minorem. Ad probationem nego majorem. Ad

ejus probationem distinguo: esse in multis essentialiter, et esse in multis accidentaliter, non est esse in multis univoce; *quantum ad entitatem*, quæ est in multis, concedo; quantum ad *intentionem universalitatis*, nego: Id est, illud, quod respicit multa, ut eorum essentia, et illud quod respicit multa, ut quid adventitium, non conveniunt univoce quantum ad entitatem; attamen possunt convenire quantum ad universalitatem. Universalitas enim exigit præcise, ut aliquid respiciat multa, tanquam superius sua inferiora: Porro tam accidens, quam genus, vel differentia, respiciunt multa, ut superius sua inferiora; unde universalitas dicitur univoce de accidente et de aliis universalibus; sicut esse prædicatum convenit univoce Deo et creaturis, substantiæ et accidenti: dum enim dico, Pater Æternus est Deus, homo est justus, homo est animal; *Deus*, *justus*, *animal*, conveniunt univoce in ratione prædicati, quamvis quantum ad entitatem sint maxime diversa, et nullo modo univoca.

Obji. 2. Si universale esset genus ad quinque universalia, sequeretur, genus esse speciem, quia poneretur sub universali in communi, tanquam species sub suo genere; sequeretur etiam, speciem esse genus; nam universale esset quædam species generis, et alia ejusmodi absurda: ergo, etc.

Resp. Distinguo: Sequeretur, genus esse speciem; sub *eodem respectu*, nego; sub *diverso respectu*, concedo; nam genus respectu universalis in communi est quædam species Universalis; respectu vero propriarum specierum est genus. Neque mirum est, quod ista entia rationis reciproce sese denominent, et includant; ita ut quod uno modo est genus, alio modo sit species, vel contra; nam etiam prædicatum potest esse subjectum, et subjectum prædicatum; definitio potest esse definitum; demonstratio potest se ipsam demonstrare; et sic de aliis entibus rationis.

Instabis. Saltem sequeretur, speciem ut subjicibilem generi esse universalem, quod infra rejiciemus. Probatur sequela: Quod subjicitur universali est universale: ergo si species subjiciatur universali ut generi, ut subjicibilis generi est universalis.

Resp. Nego sequelam formaliter sumptam. Ad probationem distinguo antecedens: Quod subjicitur universali est universale;

formaliter *ex eo, quod subjiciatur*, nego; *aliunde* ex eo quod scilicet habeat inferiora sub se, concedo. Sicut enim homo non est animal formaliter; ex eo quod subjicitur animali ut generi; sed potius contra, ideo subjicitur animali ut generi, quia aliunde est animal; ita species non est universalis ex eo formaliter quod habet universale pro genere, sed potius quia aliunde est universalis, nempe per respectum ad sua inferiora; idcirco subjicitur universali, ut generi. Imo si consideretur species præcise ut subjicibilis universali, ut generi, exinde potius denominatur quid particulare; ex eo enim habet, quod sit pars eorum, quæ sub communi genere universalium continentur.

QUÆSTIO SECUNDA

De Universalibus in particulari.

Consideravimus quæstione præcedente Universalia in communi, nunc secuti methodum compositionis de quolibet in particulari agemus. Primo quidem de *Genere;* Deinde de *Differentia:* Postea de *Specie:* Postremo de *Proprio* et *Accidente.*

ARTICULUS PRIMUS

DE GENERE

Circa genus duo disputari possunt. Primo, *utrum recte* definiatur. Deinde *quomodo* prædicetur de specie. Utrumque explicabimus duplici Paragrapho.

§. I.

Utrum definitio generis, a Porphyrio tradita, sit bona.

Genus sumitur præcipue tripliciter. Primo pro *stirpe familiæ*, ut aliquis dicitur de genere Sacerdotali, de genere Regali, de genere Gigantum. Secundo *pro patria*, ut Plato dicitur

genere *Atheniensis*, et Aristoteles genere *Stagirites*, et D. Paulus genere *Tharsensis*. Tertio sumitur genus *magis proprie et Philosophice* pro natura communi pluribus specie differentibus: siquidem species duplici *formalitate* constat; altera, qua *convenit* cum aliis rebus, altera, qua *differt* ab illis: ut, species humana constat animalitate, et rationalitate: per animalitatem convenit cum aliis animantibus, piscibus, avibus, quadrupedibus; per rationalitatem vero differt ab illis. Formalitas illa, seu notio communis in qua plures species conveniunt, dicitur *genus*. De illo quæritur, utrum recte definiatur a Porphyrio.

CONCLUSIO

Genus optime definitur *Unum aptum inesse multis specie differentibus*, et prædicari de illis in quid incomplete.

Probatur. Hæc definitio recte explicat, quid sit genus: ergo est bona. Probatur antecedens: In primis enim assignat, in quo conveniat cum aliis universalibus per illas particulas, *Unum aptum inesse multis, et prædicari de illis:* hoc enim cæteris Universalibus commune est. Cæteræ assignant id, in quo differt ab aliis: et quidem dum dicitur, *prædicari in quid*, differt a proprio, accidente, et differentia, quæ prædicantur *in quale:* dum dicitur, *prædicari de multis specie diversis*, differt a specie, quæ prædicatur de multis numero differentibus: particula etiam, *incomplete*, distinguit genus a specie, quæ prædicatur per modum essentiæ completæ.

Ex hac definitione colliges, cur genus dicatur natura *perfectibilis*, *contrahibilis et potentialis*. Dicitur *perfectibilis*, quia potest perfici per differentias supervenientes. Dicitur *contrahibilis*, quia est aliquid vagum et indifferens ad plures species; per differentiam vero ad unam determinatur. Dicitur *potentialis*, quia est in potentia ad recipiendas differentias; sic animal perficitur et ad speciem humanam determinatur per rationale.

Obji. 1. Definitio illa convenit aliis a definito: ergo non est bona. Probatur antecedens: Convenit enim enti; siquidem ens est unum aptum inesse multis specie differentibus, et prædicari de illis in quid.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo: Ens est unum aptum, etc. unum *imperfecte* et *unitate analoga*, concedo; *perfecte* et *unitate univoca*, nego: Siquidem, ut dicemus in Metaphysica, ens est analogum suis inferioribus, ideoque non est genus; nam genus, sicut et alia universalia, debet univoce prædicari.

Obji. 2. Prædicari in quid, seu substantive, est nobilius, quam prædicari in quale, seu adjective: ergo non convenit generi, sed potius differentiæ. Probatur consequentia: Perfectiori debet competere nobilior modus prædicandi; sed differentia est perfectior genere: ergo debet ei convenire nobilior modus prædicandi, non vero generi.

Resp. Nego consequens. Ad probationem, concessa majore, distinguo minorem: Differentia est nobilior genere; *secundum rem*, concedo; *secundum modum concipiendi*, nego. Genus enim concipitur ut prima et fundamentalis notio rei, cui differentiæ concipiuntur superaddi: ut, in homine primo concipio gradum animalis, ut fundamentalem notionem, qua homo cum cæteris animalibus convenit; cui concipio advenire rationalitatem, per quam diversificatur ab aliis. Ex quo patet, genus esse nobilius ex modo concipiendi, quam differentiam; et esse ut fundamentum primum naturæ specificæ; unde mirum non est, si exprimatur et prædicetur nobiliore modo, scilicet substantive: fundamento enim convenit, ut aliis substet.

Dices. Genus prædicatur de multis etiam numero differentibus, ut animal de Petro et Paulo: ergo male dicitur, prædicari de multis specie diversis.

Resp. Distinguo antecedens: Genus prædicatur de multis numero *differentibus*, *immediate*, nego; *mediate*, concedo. Genus enim immediate prædicatur de speciebus, atque illis mediantibus de individuis.

Quæres primo, in præfata definitione quid sit definitum, utrum secunda intentio generis, seu genereitas; vel natura habens talem genereitatem; vel compositum ex utroque.

Quidam hic magnam disputationem movent, sed minus necessariam. Facile enim expediri potest, advertendo, Genus hic definiri per modum termini concreti. Terminus autem concre-

tus, ut in Minori Logica observavimus, tria dicit; Formam, Subjectum, et conflatum ex utroque. Porro cum illud conflatum duas res adeo diversas importet, nequit unica definitione definiri. Necesse est igitur, ut dum definitur aliquod concretum, definitio cadat principalius vel supra formam, vel supra subjectum habens formam. Diximus autem in Logica Minore, nomen concretum, licet significet subjectum et formam, principalius tamen et formaliter significare formam; subjectum vero tantum materialiter et per modum substrati. Cum ergo definitio explicatius tradat, quod nomen confuse significat, sicut nomen concretum principalius significat formam, subjectum vero minus principaliter et solum per modum substrati, ita definitio concreti principalius cadit supra formam, subjectum vero importatur materialiter tantum et per modum substrati.

Atque ut applicetur hæc doctrina, quæ est D. Thomæ 5. Metaph. lect. 9. dum definitur Philosophus, *Contemplator rerum per causas altiores;* dum definitur Justus, qui *reddit unicuique, quod suum est;* dum definitur Rex, *Supremus belli, pacisque arbiter:* in his definitionibus id, quod principalius explicatur, et directius importatur, non est subjectum, v. g. homo habens præfata munera; sed ipsa forma, scilicet Philosophia, Justitia, et Regia Dignitas. Unde similiter, dum definitur genus unum aptum inesse multis specie diversis, et prædicari de illis in quid incomplete, definitum principale est ipse status universalitatis, scilicet secunda intentio genereitatis; natura vero habens talem statum non importatur, nisi per modum substrati, non vero per modum explicati in tali definitione.

Dices. Natura est id, quod prædicatur de multis, non vero genereitas; dum enim dico, homo est animal; non prædico genereitatem, sed naturam habentem genereitatem: ergo natura est, quæ definitur in præfata definitione.

Resp. Distinguo antecedens: Natura est id, quod prædicatur, *præcise ratione sui*, nego; ratione *status genereitatis*, concedo; et nego consequentiam. Sicut enim Rex est, qui gubernat, sed tamen ratione dignitatis regiæ; ita natura quidem prædicatur de multis, non tamen ratione sui præcise, sed ratione genereitatis. Unde sicut in definitione Regis, dignitas regia est

principale definitum, homo vero habens hanc dignitatem non ingreditur definitionem, nisi per modum substrati; ita genereitas est principale definitum in præallata generis definitione; natura vero non definitur per illam, nisi ratione genereitatis, cui substernitur.

Quæres secundo. Quomodo genus definitur in abstracto?

Respondeo, definiri Universalitatem naturæ potentialis pluribus specie differentibus communis. Similiter differentia in abstracto definitur, Universalitas naturæ specierum distinctivæ. Et species, Universalitas naturæ completæ. Et proprium, Universalitas naturæ accidentalis, necessario tamen essentiam consequentis. Et demum accidens, Universalitas naturæ accidentalis contingenter advenientis. Siquidem, ut notat Divus Thomas Op. 48. tractatu de enunciatione cap. 1., *cum formæ accidentales definiuntur in concreto, proprium illarum subjectum ponitur loco generis, gradus vero communis ponitur loco differentiæ:* et contra, *cum definiuntur in abstracto, gradus communis ponitur loco generis, et subjectum proprium loco differentiæ.* Utrumque patebit familiari exemplo: Si velim definire crispum in concreto, dicam, esse *capillum contractum*; in qua definitione, *capillus*, qui est subjectum istius crispitudinis, tenet locum generis; *contractus* vero tenet locum differentiæ. At si velim definire crispitudinem in abstracto, dicam, esse *contractionem capillorum.* Similiter, si definiatur gryphus in concreto, dicetur nasus recurvus, in abstracto vero curvitas nasi. Similiter claudus in concreto dicetur tibia curva, in abstracto vero curvitas tibiæ, etc.

§. II.

Utrum genus prædicetur de specie ut totum, vel ut pars.

Genus duobus modis ad speciem comparari potest. 1. Ut totum potentiale, eam sub se continens. 2. Ut pars actualis, eam componens, atque adeo in ea contenta; nam Animal est aliquod totum superius, sub quo continentur variæ species, homo, equus, leo, etc. ut partes, in quas dividitur. At rursus Animalitas est quædam pars hominis: homo enim animalitate et ratio-

nalitate constituitur ut partibus, non quidem Physicis, seu realiter ab invicem distinctis, sed Metaphysicis et Logicis, seu sola mentis præcisione distinctis. Homo enim non est ex Animali et Rationali, ut ex duabus rebus tertia res, sed ut ex duobus inadæquatis conceptibus tertius conceptus. Quæritur, sub qua ex his duabus ratione, genus prædicetur de specie.

CONCLUSIO

Genus non prædicatur de specie, quatenus est pars in ea contenta, sed quatenus est totum eam continens.

Probatur ratione S. Thomæ Opusc. de Ent. et Essent. cap. 3. Nulla pars directe prædicatur de toto; sed genus, ut genus, directe prædicatur de specie: ergo non prædicatur ut pars. Minor constat: prædicari enim indirecte est prædicari in casu obliquo, ut cum dico, homo constat anima et corpore; prædicari vero directe est prædicari in casu recto, ut cum dico, homo est animal: manifestum est autem, genus hoc secundo modo dici de specie, et non primo. Major vero sic demonstratur: Quod directe prædicatur de aliquo, dicitur esse idem cum illo; nam in prædicatione directa unum dicitur esse aliud, ut homo est animal; atqui dici non potest, partem esse idem cum toto; non enim est vere totum, sed pars totius: ergo non potest directe prædicari de illo; unde hæ falsæ sunt, homo est anima, manus est digitus.

Respondebis, partem Physicam non prædicari posse de toto, bene tamen Metaphysicam: hæc enim est realiter idem cum toto.

Sed contra. Si pars Metaphysica possit prædicari directe de toto, hæc erit vera, homo est animalitas; in ea enim pars Metaphysica prædicatur de toto; at hæc falsa est; non enim homo est animalitas, sed habens animalitatem: ergo nec pars Metaphysica potest dici de toto.

Atque inde confirmatur conclusio. Nam hæc vera est, Homo est animal; hæc vero falsa, Homo est animalitas, et tamen utrobique de homine ratio generica prædicatur; at in secunda præcise ut pars, in prima ut totum; Animal enim est habens

animalitatem: ergo genus vere non prædicatur de specie, ut pars præcise, sed ut induit rationem totius.

Obji. Quod prædicatur incomplete, prædicatur ut pars, et non ut totum, ut evidens est ex terminis; sed genus prædicatur incomplete, ut constat ex ejus definitione: ergo prædicatur ut pars, et non ut totum.

Resp. Distinguo minorem: genus prædicatur incomplete *ex parte hujus, quod explicat*, concedo; *ex parte hujus, quod significat*, nego. Id est, genus in sua significatione totam speciem includit, at eam totam non explicat; ut, animal significat totum hominem, (est enim id, quod habet animalitatem) at non explicat totaliter quid sit homo, sed solum genericam ejus perfectionem. Hoc sensu dicitur prædicari incomplete.

Instabis. Nullum totum componit; sed genus, ut genus, componit speciem: ergo genus, ut genus, nullo modo est totum.

Resp. Distinguo majorem; Nullum totum componit, *sub ea ratione, qua est totum*, concedo; *sub ea ratione, qua est pars*, nego. Porro genus est quidem totum ex parte hujus, quod significat, et sic non componit; homo enim non componitur ex habente animalitatem, sed est ipse, qui illam habet; at genus non exprimit totam speciem, sed solum aliquam ejus perfectionem; et sic ratione hujus inadæquatæ perfectionis, quam exprimit, dicitur componere.

Infertur 1. cum S. Thoma de Ente et Essent. cap. 3. hæc tria, *Genus*, *Speciem*, *Differentiam*, significare quidem totam essentiam, sed solius speciei esse, ut eam complete exprimat. Nam genus solum exprimit id, quod commune habet cum aliis speciebus; Differentia id, in quo differt; at Species utrumque; unde genus vulgo dicitur *Totum perfectibile;* Differentia *Totum perfectivum;* Species *Totum perfectum.*

Infertur 2. etiam Accidens et Proprium prædicari ut Tota; ut cum dicitur, ignis est calidus, homo est doctus, *calidus* et *doctus*, etsi exprimant solum adjuncta quædam hominis et ignis; attamen etiam rem ipsam, cui adjunguntur, significant; calidus enim est, qui habet calorem; et doctus, qui habet doctrinam.

ARTICULUS SECUNDUS

DE DIFFERENTIA

Genus dividitur per Differentias, cum quibus constituit species rerum; unde secuti methodum compositionis, postquam de Genere dictum fuit, nunc dicendum de Differentia ejus comparte, postea de Specie ex utroque composita. Differentiam divisit Porphyrius in *communem, propriam, et propriissimam.* Differentia communis est, quæ attenditur secundum accidentalia: sic homo sanus differt ab ægro, Gallus ab Italo, sedens ab ambulante, etc. Differentia propria est, quæ attenditur secundum proprietates; ut oculi cærulei differunt a nigrantibus, capillus crispus a fluente. Differentia demum propriissima est, quæ attenditur secundum essentialia rei; ut, rationalitas distinguit hominem a bruto, non per modum accidentis, aut proprietatis, sed per modum essentialis constitutivi. Hoc tertio modo sumpta differentia est, quæ constituit hoc secundum universale, de qua dicendum 1. Quid sit. 2. Quotuplex sit. 3. Quæ sint inferiora, per quæ constituitur in ratione universalis.

PRIMA CONCLUSIO

Differentia recte definitur Unum aptum inesse multis, ac de illis prædicari in quale quid.

Declaratur conclusio. Hæc definitio explicat, quid commune cum aliis universalibus habeat Differentia, quidve sibi proprium. Commune illi cum aliis est, ut sit *unum aptum inesse multis*, atque prædicari de illis; differt autem, quod *prædicetur in quale quid*, id est, adjective quidem, essentialiter tamen: Genus enim et species prædicantur *in quid*, id est, substantive; Proprium autem et accidens tantum *in quale*, id est, adjective et nullo modo essentialiter; at sola Differentia *in quale quid.*

Præter hanc definitionem quatuor alias tradidit Porphyrius. Prima est: Differentia dicitur id, *quo species excedit suum genus.* Secunda; Differentia est, *quæ dividit ea, quæ sunt sub eodem genere.* Tertia; Differentia est, *qua differunt a se singu-*

la. Quarta; Differentia est, *qua una specie distinguitur ab alia.* Istæ omnes definitiones sunt veluti explicationes prioris a nobis explicatæ, nec aliquid difficile continent.

SECUNDA CONCLUSIO

Differentia alia dicitur *suprema*, alia *infima*, et alia *media*, seu *subalterna:* quæ divisio applicari etiam potest generibus et speciebus.

Explicatur. Differentia suprema est, quæ nullam supra se agnoscit; ut, corporeum et spirituale sunt supremæ differentiæ, dividentes substantiam. Differentia infima est, quæ nullam infra se agnoscit, ut, rationalitas et hinnibilitas respectu animalis. Differentia subalterna, seu media est, quæ mediat inter supremam et infimam; ut, sensibile et insensibile sunt differentiæ subalternæ substantiarum. Similiter genus supremum est, quod nullum supra se agnoscit, ut substantia. Genus infimum, quod nullum infra se agnoscit, ut animal. Genus subalternum, quod mediat inter infimum, et supremum; ut, vivens inter substantiam et animal. Tandem species suprema est, quæ nullam supra se agnoscit, sed immediate ponitur sub supremo genere; ut, spiritus et corpus sunt species supremæ substantiarum. Species infima est, quæ nullam inferiorem agnoscit; ut, homo est species infima animalis. Species subalterna est, quæ inter utramque mediat; ut, animal dicitur species viventis.

Ubi observandum, eandem naturam posse esse simul et speciem subalternam, et genus: Speciem quidem subalternam, in quantum continetur sub genere altiore; Genus vero, in quantum sub se continet inferiores species: sic animal respectu viventis est species; respectu vero hominis, leonis, et equi est genus.

TERTIA CONCLUSIO

Differentia non constituitur universalis per respectum ad speciem, sed per respectum ad inferiora speciei.

Probatur. Differentia constituitur in ratione universalis per illa, de quibus prædicatur in quale quid, tanquam de inferio-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ribus; sed differentia prædicatur in quale quid de individuis speciei, tanquam de inferioribus: ergo constituitur universalis per respectum ad individua speciei. Probatur minor: Sic enim *rationale* v. g. non prædicatur in quale quid de hac et illa rationalitate, sed de illo et isto homine.

Dices. Differentia prædicatur in quale quid non solum de individuis, sed etiam de specie; ut quærenti, quale animal sit homo? respondetur, rationale: ergo constituitur universalis etiam per respectum ad speciem.

Resp. Distinguo antecedens: Differentia prædicatur in quale quid de specie; ut de suo æquali, concedo; ut de suo inferiori, nego. Et nego consequentiam. Rationale enim non prædicatur de homine, tanquam de suo inferiore, sed tanquam de suo æquali; omnis enim homo est rationalis, et omnis rationalis est homo; unde nequit constitui Universale per ordinem ad illum, sed solum per ordinem ad individua sub homine contenta, respectu quorum est quid superius.

Quæres, *quomodo Genus differentias includat, ac superior differentia inferiores, inferiorque superiores, et genus?*

Respondeo, in primis genus non includere actu differentias; ut, animal actu non includit rationale, aut irrationale; alias de quo diceretur genus, dicerentur et differentiæ; itaque includit eas solum potestate, ut sub se contentas, non in se; Animal enim dicit id, quod habet animalitatem, quod potest esse vel rationale, vel irrationale. Eadem ratione differentia superior non continet actu inferiores; ut sensitivum, quæ est differentia superior, non continet actu rationalitatem; nam hæc differentia constituit animal, proindeque in eo est actu: sed Rationalitas, ut ostendi, non continetur actu in animali: ergo nec in sensitivo. At subtilior quæstio est, an *differentia superior actu contineatur in inferiori, ut sensitivum in rationali*? Verum dicendum, non contineri actu formaliter. Nam differentia inferior formaliter actu id dicit solum, quo species differt ab aliis; sed una species non differt ab aliis secundum superiores differentias; immo in illis omnes species conveniunt, ut in sensibilitate omnia animalia: ergo differentia inferior non includit actu formaliter superiores. Deinde differentiæ inferiores seipsis differunt; at si

differentiæ hominis et equi v. g. includerent actu formaliter sensibilitatem, non differrent a se ipsis; nam secundum se in aliquo convenirent, proindeque differentiarum aliæ essent differentiæ, et harum aliæ in infinitum: ergo idem, quod prius. Ex quo sequitur, differentiam inferiorem non includere genus; nam eadem est ratio de eo, ac de differentia generica.

Attamen cum differentia superior et inferior in natura specifica non sint res distinctæ, ut superius diximus, identice et materialiter se includere dici possunt. Et hoc sensu loquitur Aristoteles, dum aliquando innuit, differentiam inferiorem includere superiorem.

Dices. Inferius includit superius: ergo differentia inferior superiorem.

Respondeo, id intelligendum de inferiori directe posito sub superiori, ut Homo sub animali, Petrus sub homine directe ponitur; at non de eo, quod solum indirecte sub alio ponitur. Porro differentiæ inferiores solum indirecte ponuntur sub superioribus.

ARTICULUS TERTIUS

UNDE SUMANTUR GENUS ET DIFFERENTIA

Cum rei origo quæritur, ea duplex assignari potest, *proxima* et *remota*. Ut quærenti, cur Petrus quarta quaque die male se habeat? si dicas, quia febri quartana laborat, causam dices, sed proximam; at si dicas, quia humor ejus melancholicus corruptus, quatriduanis induciis reparatus, tunc effervescens corporis temperiem labefactat, donec subsideat, causam radicalem aperies. Hic itaque quærimus tum proximum, tum remotum principium Generis, et Differentiæ, idque in substantiis, sive corporeis, sive spiritualibus, tum etiam in accidentalibus; nam et hæc constant genere et differentia.

PRIMA CONCLUSIO

Genus et differentia proxime sumuntur a tota rei essentia, sed diverse considerata; nempe genus ab ea spectata secundum

id, quod in ea est potentiale et commune; differentia vero secundum id, quod in ea est actualius, ac magis determinatum. Ita censet S. Thomas 2. 2. q. 67. a. 3. aliisque in locis.

Probatur prima pars. Genus enim et differentia significant totam essentiam, etsi totam non exprimant, ut supra diximus. Animal enim non solum corpus hominis importat, sed et animam: et similiter rationale non dicit solam animam, sed hominem ex anima et corpore compositum. Itaque a tota essentia proxime sumuntur.

Probatur vero secunda pars. Genus est conceptus communis et potentialis: determinatur enim per differentias, atque ab illis perficitur, et actualius fit. Differentia vero est conceptus determinativus et actualior; aliquam enim perfectionem adjungit generi: ergo Genus fundatur in essentia spectata sub communiori et potentialiori ratione; Differentia vero in ea spectata sub ratione actualiori et magis determinata.

Explicatur magis utraque pars. Res omnes veluti quibusdam gradibus ad ultimam suam perfectionem descendunt; unde in illis sunt quædam communiores rationes imperfectiores, aliæ perfectiores, quibus communiores determinantur; ut ratio entis communis admodum est et imperfecta; ratio substantiæ aliquid perfectionis explicat, atque enti adjuncta illud ad certum gradum determinat; ratio viventis adhuc perfectior est, ac determinatior; ratio sensitivi addit majorem perfectionem, atque itidem aliquid determinatius; rationalitas vero aliquid perfectissimum, ac itidem maxime determinatum importat. Cum itaque in hominis essentia hæ rationes omnes contineantur, si secundum priores et communiores rationes spectetur, tum fundat gradus communes, ac proinde genericos; si secundum posteriores, fundat gradus differentiales, quorum ultimus est propria hominis differentia.

SECUNDA CONCLUSIO

In substantiis spiritualibus non est quærenda alia radix generis et differentiæ, præter totam entitatem. Ita S. Thomas Opusc. 47. cap. 3. et de Ent. et Essent. cap. 5.

Probatur. Hæ substantiæ sunt formæ simplices, quarum

proinde natura resolvi nequit in partes, quarum una sit radix differentiæ, alia radix generis: ergo earum essentia est tum proximum, tum remotum, seu potius unicum principium sui generis, suæque differentiæ, prout tamen diverse spectatur modo jam explicato. Ut genus in Angelis sumitur ab eorum essentia spectata secundum communem gradum spiritualitatis; differentia vero ab eadem, ut tali vel tali modo perfectiori, aut imperfectiori spiritualis est.

TERTIA CONCLUSIO

In substantiis materialibus genus radicaliter sumitur a materia, differentia vero a forma: ita S. Thomas quæst. unica de spiritualibus creaturis, art. 1. ad 24. aliisque in locis.

Probatur. Genus sumitur ab essentia secundum id, quod est in ea potentiale et commune; differentia vero ab ea secundum id, quod in illa est proprium, actuale, et determinativum; atqui materia est prima communis potentia; forma vero est primus actus perficiens, ac determinans materiam ad certam essendi rationem: ergo illa est radix generis, hæc vero radix differentiæ.

Confirmatur. Primum in unoquoque genere est causa cæterorum; atqui materia est prima potentia, forma vero primus actus: ergo, etc. Minor supponitur ex Physica. Major vero est Axioma commune, quod licet quidam inficientur, attamen verissimum est; nam res ordinatæ sunt: ordo autem consistit in dependentia prioris a posteriori: dependentia demum in causalitate fundatur; itaque ut servetur ordo, primum in genere debet esse causa eorum, quæ illo posteriora sunt. Atque hoc videre est inductione: sic Primum ens, Deus scilicet, omnium aliorum causa est; prima bonitas, omnis fons bonitatis; prima veritas, omnium veritatum causa. In corporeis prima corpora, scilicet simplicia, sunt causæ aliorum, quæ eorum mixtione fiunt; primum calidum, scilicet ignis, est causa omnis caloris in mixtis. In viventibus, quæ prima pars vivit, scilicet cor, est causa omnis vitalis motus. In intellectu primæ cognitiones, nempe principiorum, sunt causæ aliarum cognitionum. In voluntate, prima volitio, nempe amor ultimi finis, est causa omnium volitionum.

In virtutibus prima virtus, nempe prudentia, est causa cæterarum virtutum. In passionibus prima, scilicet amor, est omnium aliarum causa. In politicis prima auctoritas, nempe regia, est causa aliarum. In ipsis artificialibus subordinatis, ut in horologio, prima rota alias omnes movet: ergo in omnibus ordine quodam dispositis, quod est primum, est aliorum causa; causa, inquam, accommodate, id est, vel finalis, vel efficiens, vel formalis, vel materialis, semper tamen in suo ordine prima et radicalis.

QUARTA CONCLUSIO

In accidentibus genus desumitur ex modo afficiendi substantiam: et differentia ex habitudine ad propria principia cujuslibet accidentis: ita D. Thomas in fine Opusc. de Ente et Essentia.

Explicatur. Accidens est, quod inhæret substantiæ, ut dicetur in prædicamentis; unde juxta novem modos afficiendi substantiam, ibidem recensendos, dividitur accidens in novem genera, seu prædicamenta. Dicimus ergo, ex accessu ad istos modos prædicamentales desumi Genus in accidentibus, utpote ex eo, quod habent communius; Differentiam vero ex principiis propriis cujuslibet accidentis, scilicet ex subjecto proprio, quod afficit; ex objecto, quod respicit; ex termino, ad quem ordinatur, etc. Cum enim essentia accidentalis dependeat ab hujusmodi principiis, oportet, ut ipsis commensuretur; ideoque diversitas accidentium debet attendi secundum diversitatem talium principiorum. Sic scientiæ habent differentiam ab objectis, circa quæ versantur; relationes a terminis, quos respiciunt; virtutes a nobis, ad quæ ordinantur; morbi a partibus, quas afficiunt, aut a causis, a quibus procedunt, etc. Quia tamen effectus accidentium sunt nobis notiores, quam propria eorum principia, ideo in definitione sæpe utimur differentiis ab eorum effectibus depromptis: sic albedo definitur, *Color disgregativus visus*, sic calor definitur, *Qualitas similarium congregativa:* Frigus, *Qualitas dissimilarium congregativa.*

ARTICULUS QUARTUS

DE SPECIE

Ex genere et differentia fit Species, de qua proinde hic nobis agendum est. Speciei nomen tribus modis sumi solet, 1. Pro pulchritudine, quæ definitur ex Aristotele, *Proportio partium cum suavitate coloris.* In hoc sensu, dixit Propheta: *Specie tua, et pulchritudine tua, intende prospere, procede et regna*, id est, *formositate tua.* 2. Species sumitur pro repræsentatione, seu similitudine: sic in libris de anima dicitur, intellectum intelligere per species, id est, per similitudines rerum ipsi impressas. 3. Sumitur Species a Logicis pro natura completa, quæ sub genere collocatur et de individuis prædicatur, ut tota eorum essentia. De specie sic sumpta duo hic explicanda occurrunt. 1. Quid sit. 2. Quomodo sit universalis; nam quotuplex sit, jam constat ex dictis articulo secundo, ubi eam divisimus in supremam, infimam, et mediam, seu subalternam.

PRIMA CONCLUSIO

Species recte definitur *Unum aptum inesse multis numero differentibus, et prædicari de illis in quid complete*, id est, *per modum prædicati substantivi et essentialis, totam rei essentiam exprimentis.*

Declaratur. In illa definitione in primis explicatur, in quo species conveniat cum aliis universalibus, dum dicitur *unum aptum inesse multis.* Cæteræ particulæ ostendunt, in quo species ab illis differat; siquidem solius speciei est prædicari de multis numero differentibus *in quod complete.*

Hæc tamen definitio videtur competere soli speciei infimæ; unde hæc alia communior traditur a Porphyrio, Species est, *quæ directe et immediate collocatur sub genere;* hæc enim competit omnibus omnino speciebus. Ex quo vides, speciem esse quid medium inter genus et individua: sicut judex inter regem et populum; subjicitur enim regi, sed præest populo; sic species subjicitur generi, sed præeminet individuis. Itaque in specie distin-

guendus est duplex respectus, *subjicibilitatis* ad genus, et *superioritatis* ad individua, qui sunt quasi invicem oppositi; quorum proinde unus non est proprietas alterius: sicut subjici regi, et præesse populo, sunt respectus oppositi, quorum unus non est proprietas alterius.

SECUNDA CONCLUSIO

Species non constituitur formaliter universalis per respectum subjicibilitatis ad genus, sed per respectum superioritatis ad individua; unde species reduplicative ut subjicibilis, non est universalis. Hæc conclusio vix negari potest, et si qui aliter sentiant, quæstio videtur esse solum de nomine. Quis enim intelligere possit, ex eo formaliter speciem esse universalem, quod sit inferior genere?

Probatur. Universale est unum respiciens multa, ut superius sua inferiora; atqui species reduplicative ut subjicibilis generi non respicit multa tanquam inferiora, sed unum tanquam superius: ergo ex illa parte non est universalis; sicut nec judex potest dici superior, quatenus respicit regem, cui subjicitur, sed solum quatenus respicit populum, cui præest.

Obji. Quod subjicitur generi est universale: ergo species ut subjicibilis generi est universalis. Probatur antecedens: Quod enim subjicitur generi, non est singulare et individuum: ergo est universale.

Resp. Distinguo antecedens: Est universale, *reduplicative ut subjicitur generi*, nego; *aliunde*, concedo. Ut enim judex, qui immediate sub rege collocatur, licet sit superior respectu populi, attamen non habet superioritatem ex eo, quod subjicitur regi, sed ex eo, quod præest populo: sic species licet sit universalis, non tamen id habet eo, quod sit sub genere, sed ex eo, quod sit superior ad individua. Ad probationem, dicendum, quod species, quatenus est sub genere, est universalis fundamentaliter et metaphysice, non vero formaliter et logice.

Instabis. Universale est, quod prædicatur de multis; sed species ut subjicibilis prædicatur de multis: ergo ut subjicibilis est universalis. Probatur minor: nam species quatenus subjici-

bilis prædicatur de illa et ista specie subjicibili; possum enim dicere, species humana est subjicibilis, species leonina est subjicibilis.

Respondeo, sophisma esse fallaciæ, ut vocant, *Accidentis*, in quantum transit a natura, quæ subjicitur ad ipsum statum subjicibilitatis; nam species subjicibilis potest dupliciter sumi. Primo pro natura, quæ subjicitur generi; et hanc dicimus, non esse universalem, quatenus subjicitur generi. Secundo pro subjicibilitate, et talis subjicibilitas potest sine dubio induere rationem universalis, in quantum prædicatur de illa et ista subjicibilitate; unde potest distingui minor: Species ut subjicibilis prædicatur de multis; si species sumatur pro subjicibilitate, concedo; si pro ipsa natura specifica, cui hæc subjicibilitas tribuitur, nego; sed de hac subjicibilitate non procedit conclusio, sed solum de natura subjecta generi.

Quærunt hic aliqui, *an dentur species infimæ*. Constat, aliquas dari. Certe circulus est species infima figuræ; nam plures circuli specie distincti fingi non possunt; magnitudine aut materia varii esse possunt, at essentia circuli in omnibus eadem existit. Porro quæ species rerum naturalium sint infimæ, hæc quæstio Logicos non spectat; ut, an species Canum, Aquilarum, Equorum sint infimæ, vel subalternæ, quæ alias sub se contineant, ut Canis Catulum et Molossum. De specie humana, esse infimam, constat: nam quod dici posset, sub ea Faunos, Satyros, Centauros, ut a nobis specie distinctos contineri, hujusmodi aut fabulosa figmenta sunt, aut hominis monstra, non aliæ species. Quod vero refert S. Hieronymus, Satyrum S. Antonio occurrisse, suique generis homines exstare affirmasse, dici potest, Dæmonem fuisse sub hac spectri forma.

At inquies, *an non potest Deus alios homines specie a nobis diversos condere?*

Respondeo, id ad nos non pertinere. Unum constat, non condidisse, sicque re ipsa humanam speciem esse infimam; sed hæc discutere ad Logicam non attinet.

Quæres *quid sit Individuum?*

Respondeo, esse correlativum speciei; sicut subditus est

correlativum superioris (1). Unde definitur, *Quod ultimo speciei subjicitur:* vel, *Quod de uno tantum prædicatur*, ut Petrus, Socrates, Plato, etc. Attamen in individuo tria distinguenda sunt, scilicet nomen, individualitas, et natura individualitate affecta, ac nomine singulari designata. Dum ergo dicitur, individuum prædicari tantum de uno, intelligendum est de natura individualitate affecta, ut de natura Petri; hanc enim, constat, de uno tantum prædicari. Cæterum individualitas ipsa et nomen possunt pluribus tribui; nam hoc nomen *Petrus* repetitis impositionibus pluribus hominibus tribuitur; et individualitas in communi dicitur de hac et ista individualitate.

Aliam definitionem individui tradit Porphyrius, nempe, *Individuum est, cujus collectio proprietatum ita est in uno, ut non sit in alio.* Hæ autem proprietates individuales sunt septem, istis versiculis comprehensæ.

Forma, figura, locus, tempus cum nomine, sanguis,
Patria, sunt septem, quæ non habet unus et alter. (2)

---

(1) *Individuum ut ex ipso nomine patet, est id, quod in plura talia, quale ipsum est, dividi nequit, ut Petrus, qui dividi non potest in plures Petros; propterea definitur a D. Thoma (1. p. q. 29. a. 4.)* Est a se indistinctum, ab aliis vero distinctum. *Generice* Individuum est id, quod de uno tantum enunciatur; *et tum accidentibus, tum substantiis convenit. Sed cum de solis substantiis specialis sermo est, accurate definitur:* Individuum est id, quod proprietatibus quibusdam constat, quæ omnes eædem convenire alii nullo modo possunt. *Individuum substantiale sic definitum appellatur a Philosophis* suppositum, *eo quod sub accidentibus ponatur, sitque veluti fundamentum, ac basis, in qua illa existunt: neque enim accidentia sine substantia, praeter miraculum, existere possunt. Individuum vero rationale, qualis est homo, speciali vocabulo appellatur* Persona.

(2) *Hae proprietates sunt notæ, et signa quædam, quibus nos individuum ab individuo sejungimus, discernimus, et distinguimus. His ut plurimum utuntur historici, et jurisperiti ne personam unam confundant cum altera. Sed de principio intrinseco individuationis, quo Individuum in ratione individui constituitur, alia quæstio est, de qua in Metaphysica q. 3. a. 1. etc.*

Per formam intelligitur *complexio*. Per figuram, *lineamenta vultus*. Per locum, *ea terræ pars, in qua quis natus est*. Per tempus, *momentum, quo quis formatus est*, vel *in lucem editus*. Per nomen, *proprium cujuslibet vocabulum*. Per sanguinem, *familia et parentes*. Per patriam, *provincia, in qua natus*. Ista omnia simul juncta non competunt eidem individuo.

ARTICULUS QUINTUS

UTRUM GENUS POSSIT SALVARI IN UNICA SPECIE, ET SPECIES IN UNICO INDIVIDUO

Utramque difficultatem junximus, quia ex eodem principio utraque resolvitur. Loquimur autem non de universalitate generis et speciei, sed de natura generica et specifica, utrum scilicet natura, quæ unicam habet speciem, possit dici generica; et quæ unicum habet individuum, specifica.

CONCLUSIO

Genus non potest salvari in unica specie, bene tamen species in unico individuo: seu, natura habens unicum individuum potest dici specifica, habens vero unicam speciem nequit dici generica.

Conclusio est D. Thomæ 1. post. lect. 12. Ubi ait, *posse reperiri aliquam speciem, quæ non habet nisi unicum individuum; non tamen aliquod genus, quod non habeat plures differentias et species.* Unde Aristoteles 4. top. c. 3. *Si*, inquit, *generis non sit altera species*, (id est, si genus non habeat duas saltem species) *manifestum est, quod omnino non erit genus.*

Probatur ex discrimine, quod est inter naturam genericam et specificam. Natura generica essentialiter dicit aliquid potentiale et commune; at vero natura specifica dicit solum aliquid actuale ex genere et differentia constans; sed natura communis non est in unica specie; natura vero actualis potest esse in unico individuo: ergo genus non salvatur in unica specie, bene tamen species in unico individuo. Major constat: Genus enim di-

citur ex eo, quod sit quid commune, in quo plura conveniunt: unde *generale* idem est, ac commune; species vero dicitur ex eo, quod hanc generis communitatem addita differentia determinet, et ad aliquam specialem naturam contrahat; unde *speciale* idem est, ac particulare. Minor etiam patet: Nam communitas intelligi nequit respectu unius tantum, sed necessario requirit plura; at vero natura actualis perfecte reperitur in quolibet individuo, v. g. tota natura humana, quantum ad omnem suam actualitatem, reperitur in quolibet individuo.

Confirmatur 1. Genus est totum potentiale, species vero totum actuale; sed totum potentiale non salvatur respectu unius speciei, totum vero actuale salvatur respectu unius individui: ergo, etc. Probatur minor: Totum potentiale in unica specie non habet nisi unicam partem suæ potentialitatis: ergo non salvatur in ratione totius potentialis in unica specie; at vero totum actuale reperitur in unico individuo, v. g. omnes partes actuales naturæ humanæ reperiuntur in quolibet homine, scilicet animalitas et rationalitas: ergo salvatur in ratione totius actualis in quolibet individuo.

Confirmatur 2. ex testimonio naturæ: Cum enim Mundus sit *Liber Dei*, ut (dicebat Beatus Antonius) Deus autem verax sit; oportet, hominum sententias ad Divinum illum codicem examinare. Videmus autem, plures species non habere nisi unicum individuum, imo naturam non multiplicare individua, nisi ut conservet speciem; unde in rebus incorruptibilibus non est nisi unum individuum, ut unus Sol, una Luna, et in qualibet specie Angelorum unicus Angelus; at vero nullum est genus, quod non habeat plures species: ergo signum est, speciem, quantum ad perfectionem specificam, totam esse in uno individuo; genus vero, quantum ad perfectionem genericam, non esse in unica specie.

Objicies. Tota natura generis reperitur in unica specie, ut tota natura animalis in unico homine: ergo genus salvari potest in unica specie.

Resp. Distinguo antecedens: Tota natura generis reperitur in unica specie; secundum *entitatem*, concedo; secundum rationem *naturæ communis et totius potentialis*, nego. Et simili-

ter ad consequentiam: ergo genus salvatur in unica specie, quantum ad *entitatem*, concedo; quantum ad *communitatem*, quam essentialiter requirit natura, ut sit genus, nego.

Instabis. In specie salvantur partes definitionis; sed genus est pars definitionis: ergo salvatur in unica specie.

Resp. Distinguo majorem, ut supra; In specie salvantur partes definitionis; quantum ad *entitatem*, concedo; quantum ad communitatem *genericam*, nego. Quamvis enim tota entitas animalis sit in quolibet homine, attamen non habet communitatem genericam, nisi extendi possit ad alias species.

Urgebis. Post diem Judicii remanebit solus homo ex omnibus animalibus; sed tunc animal non amittet rationem generis: ergo genus salvabitur in unica specie.

Resp. Post Judicium, licet re ipsa non sit futura, nisi unica species humana, attamen plures aliæ animalium semper erunt possibiles; unde animal retinebit semper, quod sit natura ex se communis multis speciebus, proindeque generica.

Dices. Etiam species est totum superius pluribus communicabile; ergo nequit salvari in unico individuo.

Resp. Argumentum verum esse de specie *ut universali*: cæterum reduplicative *ut species* non dicit hanc universalitatem, sed solum ut natura completa, contrahens genus additione differentiæ; unde patet disparitas: cum enim genus, quatenus genus, significet aliquid commune, sine multis intelligi non potest; at vero cum species solum dicat naturam perfectam ex genere et differentia, illa multa minime exigit, ut dicatur Species: an vero illa postulet, ut sit universalis, nunc discutiendum est.

ARTICULUS SEXTUS

AN SPECIES, HABENS UNICUM TANTUM INDIVIDUUM, POSSIT FIERI UNIVERSALIS

Quæstio procedit de natura, quæ ita unicum habet individuum, ut plura in re habere non possit, qualem supponimus esse Angelicam, de qua proinde præcipue procedit difficultas: nam in doctrina D. Thomæ Angeli omnes specie differunt, ita

ut impossibile sit, dari duos Angelos ejusdem speciei. Cæterum natura, quæ licet unicum habeat individuum, plura tamen habere potest, sine controversia fieri potest universalis, ut natura Phœnicis, si tamen verum sit unicum esse Phœnicem, qui sibi superstes ex propriis cineribus iterum nascitur. Hæc quæstio exercitii gratia liberalius tractari solet in Schola D. Thomæ, quam ut intelligas.

Nota ex Cajetano 1. p. q. 13. a. 9. duobus modis naturam posse esse multis commmunicabilem, ac proinde universalem. 1. Secundum rem et rationem, cum nempe re ipsa potest inesse multis. 2. Secundum rationem tantum, cum scilicet re ipsa quidem multis inesse nequit, ex modo tamen concipiendi apprehenditur a nobis, ut quantum est de se, multis communicabilis. Nec mirum, naturam concipi ut multis communicabilem, quæ tamen re ipsa communicabilis non est; plura enim rebus conveniunt ex modo concipiendi, quæ illis, ut sunt in se, non conveniunt. Sic attributa divina ratione distinguimus, quæ tamen in re non distinguuntur. Sic naturam hominis a singularitate abstrahit intellectus, quæ tamen in re abstracta non est. Cujus ratio est, quod mens nostra sæpe rem inadæquate, aut modo ipsi non proprio apprehendit. Plura autem convenire possunt rei, inadæquate et modo sibi non proprio intellectæ, quæ illi, ut adæquate et modo sibi proprio existit, non conveniunt.

Hoc posito quærimus, an natura, quæ unicum habet individuum, qualem supponimus Angelicam, possit apprehendi ut communicabilis multis quantum est ex se, atque ita fieri universalis. Negant plerique, affirmant vero Thomistæ cum S. Thoma.

CONCLUSIO

Natura angelica, licet unum tantum habere possit individuum, attamen per rationem, et ex modo, quo a nobis concipitur, potest fieri universalis.

Probatur ratione D. Thomæ. Universale est unum communicabile multis; sed natura angelica ex modo concipiendi est una communicabilis multis: ergo ex modo concipiendi est universalis. Probatur minor: Natura, quæ concipitur a nobis sine sin-

gularitate, est ex modo concipiendi communicabilis multis; sed natura angelica concipitur a nobis sine singularitate: ergo ex modo concipiendi est communicabilis multis. Minor patet: Ut enim docet D. Thomas 1. p. q. 13. a. 9. natura angelica (sicut et aliæ formæ simplices) eodem modo concipitur a nobis, quo consuevimus concipere naturas corporeas, id est, considerando naturam specificam sine individuis et ab omni singularitate præcisam. Major vero probatur: Remota causa, removetur effectus; atqui natura angelica non prohibetur communicari pluribus ex parte sui, sed ex parte individui et singularitatis: ergo hoc ipso, quod est præcisa a suo individuo et a singularitate, remanet, quantum est de se, communicabilis multis. Major est axioma receptum. Minor vero est D. Thomæ quæst. de spiritualib. creaturis art. 8. ad 4. *Sicut*, inquit, *hæc albedo non prohibetur habere sub se multa individua ex hoc, quod est albedo; sed ex hoc, quod est in hoc (id est, alligata huic subjecto) ita natura hujus Angeli non prohibetur esse in multis ex hoc, quod est natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem speciei; sed ex hoc, quod non est nata recipi in aliquo subjecto, quod pertinet ad rationem individui.* Et præterea probatur ratione: Omnis forma, quantum est de se, est communicabilis pluribus, ut dicit D. Thomas 1. p. q. 3. ar. 1. ad 3. et 1. Metaph. lect. 3. unde quod non communicetur, non est defectu sui, sed defectu recipientis; atqui natura angelica est forma: ergo si consideretur secundum se præciso individuo, est de se communicabilis pluribus; ac proinde ex parte sui non prohibetur esse in pluribus, sed solum ex parte individui.

Explicatur magis hæc ratio, et simul aperitur fundamentum conclusionis et solutionis objectionum. Humanus intellectus pro hoc statu alligationis ad corpus est omnino assuetus naturis corporeis ut objecto sibi connaturali, ut dicit D. Thomas 1. p. q. 85. ar. 1. et aliis in locis; unde sicut Rusticus divertentem ad se Regem, licet noverit esse Regem, non tamen excipit modo regio, sed modo rustico: (est enim incapax aulicæ illius elegantiæ, qua solent Reges a politioribus excipi) ita pariter, licet noverimus Angelos esse incorporeos, attamen eos apprehendimus eodem modo, quo consuevimus corporalia intelligere, id

est; abstrahendo naturam a singularitate, seu considerando naturam specificam sine individuo. Hæc autem natura Angelica sic apprehensa sine individuo libera est ab omni singularitate, cui veluti alligatur; ideoque sic sumpta incipit indifferens esse ut sit in uno, vel pluribus, saltem quantum est de se, et ex modo concipiendi; unde sic sumptam possumus comparare ad suum individuum, sicut comparamus alias naturas corporeas ad sua individua, id est, tanquam aliquid superius, et quantum est de se prædicabile de multis, si darentur. Si autem re ipsa non habeat exercitium talis communicabilitatis, hoc non est defectu sui, sed defectu illorum multorum, quæ non sunt possibilia. Cæterum ita a nobis intelligitur, ut si illa multa non repugnarent, posset ipsis de facto communicari et de illis prædicari, quod sufficit, ut dicatur ex modo concipiendi et secundum rationem universalis.

Res exemplo declarari amplius potest. Unus pater tres habet filios; duo ei moriuntur; Relatio patris, licet ad unicum superstitem filium terminetur, ex se tamen apta est plures filios respicere, etiam illos, qui mortui sunt; quia tamen naturaliter impossibile est mortuos revivisċere, ideo illos actu non respicit, non defectu sui, sed defectu ipsorum, quia amplius non sunt. Ita pariter natura Angelica, semel præcisa ab individuo, de se non est amplius alligata uni, sed ex modo concipiendi communicabilis pluribus, licet talis communicatio in re non exerceatur nisi in uno, quia plura non sunt possibilia.

Respondebis. Ut natura Angelica sit universalis, non sufficit, ut ex parte sui sit communicabilis, si de facto non possunt concipi multa individua, saltem possibilia, quibus communicetur.

Sed contra. Ut natura Angelica sit absolute universalis, sufficit, quantum est de se et ex modo concipiendi esse communicabilem; licet defectu individuorum, quæ non sunt possibilia, non habeat in re exercitium illius communicabilitatis: ergo nulla responsio. Probatur antecedens tum ratione, tum exemplo. Ratione quidem, quia universale non est unum respiciens multa, ut in re posita; sed unum, quantum est de se, communicabile multis: ergo ut natura fit universalis, sufficit, quantum est de se multis esse communicabilem, licet per accidens non

habeat exercitium illius communicabilitatis, defectu illorum multorum, quæ non sunt possibilia. Exemplo vero: sic enim virtus Dei dicitur absolute et actu infinita, quamvis non possit producere effectum actu infinitum; quia non repugnat defectu virtutis in Deo, sed defectu creaturæ, cui repugnat infinitudo: ergo a pari natura Angelica dicetur absolute universalis, saltem secundum rationem, si ex parte sui, et ex modo concipiendi sit communicabilis pluribus, licet defectu illorum plurium non possit habere exercitium suæ communicabilitatis, quia quod de facto non communicetur, non est defectu illius, sed defectu individuorum, quæ non sunt possibilia: sicut oleum Elisæi fluere desiit non defectu divinæ virtutis illud continuo augentis, sed defectu vasorum, in quibus reciperetur.

Confirmatur argumento ad hominem. Illa natura, quantum est de se, et ex modo, quo a nobis concipitur, est communicabilis pluribus, de qua rationabiliter dubitatur, utrum habeat de facto plura individua; sed de natura Angelica, ut a nobis concipitur, rationabiliter dubitatur, utrum habeat plura individua: ergo quantum est de se, et ex modo nostro concipiendi est communicabilis pluribus individuis. Major est certa: si enim naturæ Angelicæ, etiam ut a nobis concipitur, repugnaret ex parte sui habere multa individua, absurdum esset dubitare, utrum de facto habeat plura individua. Minor vero patet ex ipsis Adversariis; nam in Theologia quæstionem movent, an natura Angelica possit habere multa individua, et quidam ex ipsis affirmant, posse habere; quidam vero cum D. Thoma id negant: ergo naturæ Angelicæ, ut a nobis concipitur, non repugnat habere plura individua.

Solvuntur objectiones

Obji. 1. Natura divina concipitur a nobis etiam ad modum rerum corporearum, ut insinuat D. Thomas 1. p. q. 13. ar. 9. et tamen propterea non est universalis etiam secundum rationem: ergo a pari, licet natura Angelica concipiatur a nobis ad modum rerum corporearum, non erit propterea universalis.

Resp. Nego consequentiam et paritatem: Disparitas est,

quod natura divina præscindi nequeat a singularitate, saltem implicita, siquidem in omni ejus conceptu involvitur essentialiter singularitas: Deus enim essentialiter est supremum omnium entium, cui proinde repugnat habere socium, alias non esset supremum entium; et ideo quomodocumque a nobis concipiatur, repugnat ipsi communicari pluribus. At vero Angelus potest præscindi ab omni prorsus singularitate, quia singularitas Angeli non est de ejus primario conceptu, sed de secundario tantum; seu, ut loquitur D. Thomas supra relatus, non consequitur Angelum ex parte naturæ specificæ, sed ex modo individuandi. Adde præterea, quod Deus, cum sit actus purissimus, non potest habere rationem generis, aut speciei, ut sæpe repetit D. Thomas; nec proinde fieri universalis.

Instabis. Multi dubitaverunt, essentne plures Dii, vel unicus: ergo signum est, quod unitas et multitudo non includitur in natura divina, ut a nobis concipitur.

Resp. Idem prorsus esse dubitare, an sint plures Dii, vel unicus; et dubitare, sitne aliquis Deus, vel nullus. Qui enim plures Deos asserit, nullum Deum ponit; nam pluralitas Deorum, nullitas Deorum est; ut optime notat Athanasius orat. cont. Idol. Deus enim essentialiter significat supremum Mundi Monarcham; unde sicut, qui plures in regno supremos Principes ponit, Monarchiam destruit; ita, qui plures in Mundo Deos asserit, Deitatem tollit: et ideo Gentiles, qui plures Deos ponebant, ipsa veritate victi unicum supra omnes alios collocabant, qui omnium Pater et Dominus esset, ac proinde solus vere Deus; adeo unitas est de conceptu Dei etiam imperfectissime cogniti! Hinc præclare Tertullianus notat, antiquos in suo Jove Deorum patre testimonium Deo nostro reddidisse.

Dices. Quare ergo D. Thomas 1. p. q. 13. art. 9. dicit; Deum secundum rationem esse aliquid communicabile multis.

Resp. D. Thomam solum velle, quod Deus est aliquid communicabile multis secundum rationem, non quantum ad naturam ipsam recte et philosophice intellectam, sed solum quantum ad nomen et grammaticaliter; vel saltem quantum ad errorem Gentilium. Licet enim nomen *Deus* sit commune, ideoque habeat plurale; attamen natura per illud nomen significata es-

sentialiter est singularis, ita ut si velimus eam concipere communem, aut a singularitate saltem implicita præcisam, eam totaliter destruamus, ut jam dictum est. At vero natura Angelica, licet concipiatur a nobis sine ulla prorsus singularitate, sed tantum præcise quatenus est natura spiritualis, non destruitur propterea, quia singularis non est, quatenus est natura, sed ex solo individuandi modo.

Obji. 2. Universale est unum communicabile multis; sed natura Angelica non est communicabilis multis: ergo nec universalis.

Resp. Distinguo minorem: Natura Angelica non est communicabilis multis; secundum *rem*, concedo; secundum *rationem*, nego. Licet enim pro illo statu, quem habet a parte rei, et ut alligata est uni individuo, in quo totaliter existit, non sit communicabilis multis; attamen secundum rationem, seu prout a nobis concipitur, est indifferens ex parte sui ad unum, aut plura individua.

Instabis. Natura Angelica, etiam secundum rationem, non est communicabilis individuis impossibilibus; sed illa plura sunt impossibilia: ergo non potest illis communicari.

Resp. 1. Illa plura individua esse quidem impossibilia *physice* et *in re*; esse tamen possibilia *logice* et *in ratione*; quamvis enim repugnet naturæ Angelicæ pro statu, quem habet in re, plura de facto habere individua, quia existit modo rebus spiritualibus proprio, id est, sine principio multiplicationis; attamen, ut est in nostro intellectu, est communicabilis pluribus, quia non eam concipimus modo proprio naturis spiritualibus; sed ad modum rerum corporalium, quæ sunt pluribus communicabiles. Sicut enim non ens a nobis apprehensum per modum entis recipit entitatem quandam rationis; ita natura in re incommunicabilis, concepta ad modum naturarum pluribus communicabilium, recipit quandam communitatem rationis.

Resp. 2. Distinguo majorem: Natura Angelica non potest communicari individuis impossibilibus, *absolute* et secundum *rem* concedo; *conditionate* et secundum *modum concipiendi*, nego. Licet enim non possimus dicere, Natura Gabrielis habet in re plura individua, quod est communicari pluribus absolute; atta-

men possumus dicere, Natura, quæ est in Gabriele, ex modo, quo a nobis concipitur abstracta ab individuo, est indifferens ad plura, et ita respicit Gabrielem, ut plura alia respiceret, si darentur.

Urgebis. Ex hac solutione sequitur, naturam Angelicam esse solum conditionate universalem. Probatur antecedens; nam eo modo est universalis, quo communicabilis pluribus; atqui non est communicabilis pluribus, nisi conditionate: ergo nec universalis, nisi conditionate.

Resp. Nego subsumptum. Ad probationem, distinguo majorem: Natura Angelica eo modo est universalis, quo est communicabilis *ex se*, concedo; quo est communicabilis *ex parte individuorum*, nego. Et ad minorem: Natura Angelica non est communicabilis pluribus, nisi conditionate, distinguo: *ex parte sui*, ita ut defectus actualis communicationis oriatur ex ipsa, nego; *ex parte individuorum*, ita ut talis defectus oriatur ex individuis, quæ non sunt possibilia, concedo; et nego consequentiam.

Explicatur solutio aperto exemplo. Quis negat, Deum absolute esse infinite participabilem, quamvis nulla creatura ipsum infinite possit participare? Quia scilicet defectus, qui impedit infinitæ communicationis exercitium, non se tenet ex parte Dei, sed ex parte creaturæ: ita pariter dicimus; naturam Angelicam, ab individuo abstractam, esse de se absolute communicabilem pluribus; quia quod de facto communicari non possit, non oritur ex parte ipsius, sed ex parte individuorum, seu ex modo individuandi, qui ei a parte rei competit.

Dices. Ex quocumque capite tollatur terminus universalitatis, tollitur universalitas; sed illa multa sunt terminus universalitatis: ergo ex quocumque capite repugnent, tollitur universalitas.

Et confirmatur: Nam eodem argumento supra urgebamus contra Scotum, quod, licet per accidens natura esset divisa a parte rei, non erat amplius una in multis: ergo etiam ex quocumque capite non possit communicari multis, non est universalis.

Resp. Nego subsumptum. Ad probationem distinguo mino-

rem : Terminus universalitatis, saltem quæ est tantum secundum rationem, et modum concipiendi, sunt multa *absoluta* et *in re* nego ; *conditionata* et *in ratione*, concedo ; nam universale secundum rationem tantum, differt ab universale secundum rem et rationem, quod istud respiciat plura actu, vel possibiliter existentia ; universale autem secundum rationem tantum, plura conditionata et ex modo concipiendi non repugnantia ; vel, quod idem est, logice possibilia ; seu ut dicit Joannes a S. Thoma, universale secundum rationem tantum, debet ita respicere unum, ut, quantum est de se, sit capax respiciendi multa, si darentur.

Ad confirmationem respondeo, nos recte processisse contra Scotum : Cum enim unitas sit de intrinseco conceptu universalis, ex quocumque capite tollatur, tollitur universalitas ; at vero multitudo in re absoluta non est de constitutivo universalis secundum rationem, sed solum multitudo conditionata et non repugnanter connotata ex parte naturæ, seu possibilis Logicæ.

Obji. 2. Natura Angelica non potest concipi sub ratione sibi repugnante ; sed communicari multis repugnat naturæ Angelicæ ; ergo non potest concipi ut communicabilis multis.

Resp. Jam datis solutionibus : Communicari multis repugnat naturæ Angelicæ ; secundum *rem*, concedo ; secundum *rationem* nego. Vel *absolute*, concedo ; *conditionate*, nego. Vel repugnat communicari multis, *defectu sui*, nego ; *defectu illorum multorum*, concedo. Solutiones patent ex dictis.

Instabis. Ei, quod est essentialiter immultiplicabile, repugnat, etiam secundum rationem, communicari multis ; sed natura Angelica est essentialiter immultiplicabilis : ergo repugnat ei communicari multis etiam secundum rationem. Major patet : Nam quod est de essentia, semper rem sequitur, etsi ab ea removeretur, non esset præcisio, sed destructio. Minor vero probatur : Quod essentialiter caret principio multiplicationis, est essentialiter immultiplicabile ; sed natura Angelica essentialiter caret principio multiplicationis : ergo est essentialiter immultiplicabilis. Probatur minor : Principium multiplicationis individualis est materia, ex nobis in Metaph. Sed Angelus essentialiter caret materia : ergo essentialiter caret principio multiplicationis.

Resp. Nego minorem. Ad probationem, nego iterum minorem. Ad ejus probationem, distinguo majorem: Materia est principium multiplicationis, *realis* et *absolutæ*, concedo; Multiplicationis *conditionatæ* et secundum *rationem*, nego: Itaque principium multiplicationis realis et absolutæ est materia, qua, sine dubio, caret Angelus; et ideo non est multiplicabilis absolute et realiter; sed principium multiplicationis conditionatæ et secundum rationem est cognitio alicujus naturæ ad modum rerum materialium, et cum præcisione a singularitate. Cum ergo Angelus possit concipi ad modum rerum materialium, et cum præcisione ab omni singularitate, mirum non est, si concipiatur ex modo intelligendi communicabilis pluribus, ac proinde ut universalis, saltem secundum rationem.

Obj. 4. Et simul urgebis contra datam solutionem: Angelus non potest abstrahi a singularitate: ergo nullo modo potest fieri universalis. Probatur antecedens: Quod est essentialiter singulare, non potest abstrahi a singularitate; sed Angelus est essentialiter singularis: ergo non potest abstrahi a singularitate. Probatur minor: Irreceptibilitas in materia est causa singularitatis; atqui Angelus essentialiter est irreceptibilis in materia: ergo essentialiter est singularis.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem, nego minorem. Ad ejus probationem, distinguo majorem: Irreceptibilitas in materia est causa singularitatis *in re*, concedo; singularitatis *in ratione*, nego. In ratione enim magis attenditur modus cognoscendi, quam realis status objecti cogniti; unde singularitas secundum rationem sumitur non ex eo, quod natura in se ipsa sit immultiplicabilis; sed magis ex eo, quod concipiatur modo proprio rerum immultiplicabilium.

Addi potest solutio ex Joanne a S. Thoma præcedenti consentiens: Causa singularitatis est irreceptibilitas, ut est *individuativa suppositi*, concedo; ut est *constitutiva speciei*, nego. Explicatur: Irreceptibilitas dupliciter sumi potest. Primo ut pertinet ad constitutionem specificam naturæ immaterialis. Secundo ut affert in tali natura specialem modum individuandi. Hoc secundo modo causat singularitatem individui sub specie; sed primo modo ab illa abstrahit; unde licet concipiamus naturam An-

geli ut irreceptibilem, non est necesse statim concipere ut singularem. Sicut licet materia sit suo modo causa individuationis in rebus corporeis, non est necesse, ut cum primum intelligimus rem materialem, eam intelligamus ut individuatam: quia materia non solum individuat, sed etiam pertinet ad naturam specificam, ideoque sub isto secundo modo potest considerari cum abstractione a primo.

Instabis. Quod opponitur proprietati Angeli, non potest attribui Angelo; sed universalitas opponitur proprietati Angeli: ergo non potest attribui Angelo. Major constat: Nam quamvis possumus concipere rem præcisam a sua proprietate, non possumus tamen aliquid proprietati repugnans de re affirmare; ut possum quidem concipere ignem sine calore, non tamen possum frigus de igne affirmare. Minor vero probatur: Singularitas est proprietas naturæ Angelicæ; sed universalitas est opposita singularitati: ergo universalitas opponitur proprietati naturæ Angelicæ.

Resp. Distinguo minorem. Universalitas opponitur proprietati naturæ Angelicæ; universalitas tam secundum *rem*, quam secundum *rationem*, concedo; universalitas secundum *rationem tantum*, nego. Proprietas enim naturæ Angelicæ est, quod sit singularis secundum rem, cui proinde solum opponitur universalitas secundum rem, id est, esse de facto in multis a parte rei: hoc autem non impedit, quin secundum rationem possit esse universalis. Et declaratur aperto exemplo: Sic enim simplicitas et summa indistinctio in re est proprietas et attributum Dei; et tamen distinctio et divisio secundum rationem tribuitur a nobis Deo, dum ejus attributa per intellectum distinguimus: sicut ergo simplicitas secundum rem compatitur distinctionem rationis in Deo; ita in Angelo singularitas secundum rem compatitur universalitatem et communicabilitatem secundum rationem.

Obji. ultimo. Multitudo illa, quæ ex modo concipiendi convenit naturæ Angelicæ, est mere fictitia, nullum habens in natura illa fundamentum: ergo non sufficit ad universalitatem. Probatur antecedens; Natura Angelica est potius fundamentum et radix multiplicationis et singularitatis: ergo sine fundamento fingitur in ea multitudo.

Confirmatur. Natura habens unicam speciem non potest, etiam ex modo concipiendi, esse communis multis et fieri generica: ergo etiam species habens unicum individuum non potest concipi, ut communicabilis pluribus, nec fieri universalis.

Resp. Nego antecedens. Multitudo enim illa non est fictitia, sed conditionata, imo quasi possibilis per rationem, et ex modo concipiendi. Ad probationem, distinguo, natura Angelica est potius fundamentum singularitatis, si concipiatur *modo sibi proprio*, ut cognoscitur ab Angelis ipsis, concedo; tunc enim concipitur cum *sua singularitate* et *individuatione:* si concipiatur ad *modum rerum corporearum*, ut a nobis cognoscitur, nego; tunc enim, sicut concipitur ad modum naturæ corporeæ, ita easdem fundat intentiones logicales, quas fundare consueverunt ipsæ naturæ corporeæ; atque id totum a simili illustrari potest in Deo, qui etsi in se simplex sit, suoque modo conceptus nullam distinctionem, etiam rationis, fundet; quia tamen a nobis nostro modo cognoscitur, id est, per analogiam ad creaturas, easdem distinctiones conceptuum fundat, quas et in ente creato solemus observare.

Ad confirmationem, nego paritatem. Disparitas est, quia nullum est fundamentum concipiendi naturam in unica specie existentem, ut communicabilem pluribus speciebus, bene tamen naturam in unico individuo, ut quantum est de se communem pluribus; quia hoc ipso quod natura specifica abstrahitur a sua singularitate, quantum est de se, est indifferens ad plura; at vero hoc ipso, quod natura aliqua concipitur in unica specie, vel sine ulla specie, non concipitur propterea capax plurium differentiarum, et ut communis pluribus speciebus.

Profundiorem adhuc rationem disparitatis affert Joannes a S. Thoma: Quia genus communicatur differentiis et speciebus per modum potentiæ: species vero communicatur individuis per modum actus. Actus autem est de se communicabilis, suique diffusivus; Potentia vero non est communicabilis nisi ratione actus; unde natura potentialis, quæ concipitur sine differentiis, non concipitur ut communicabilis, quia ab ipsis emendicat communicabilitatem; at vero natura specifica hoc ipso, quod non

concipitur restricta per singularitatem, concipitur ut communicabilis.

Dices. Non possumus concipere naturam Angelicam, aliter, quam sit in se: ergo nec ad modum rerum corporearum. Probatur antecedens; nam concipere rem aliter, quam sit in se, est errare.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo: Concipere rem aliter, quam sit in se, est errare; si *aliter* se teneat ex parte *rei cognitæ*, concedo; si solum ex parte *modi cognoscendi*, nego. Solutio est D. Thomæ 1. p. q. 85. art. 1. ad 1. Explicatur ex ipso Sancto Doctore: Intellectus esset quidem falsus, si intelligeret rem aliter esse in se, quam sit in se; ut si intelligeret Angelum in se ipso esse corporeum et realiter multiplicabilem; at vero non est falsus, licet alius sit modus rei in intelligendo, quam sit in essendo, ita ut v. g. res intelligatur cum præcisione, vel cum abstractione, vel cum distinctione, vel cum relatione prædicati, subjecti, universalis, etc. Quæ tamen omnia non competunt ei, ut est in se, sed adveniunt secundum quod est in ratione nostra; sic absque falsitate distinguimus Deum a suis attributis; hominem dividimus in genus et differentiam; naturam præscindimus a singularibus: sic attribuimus Petro relationem subjecti, quam non habet in se, etc. Luculentius exemplum habetur in privationibus et negationibus, de quibus ita loquimur, ac si essent vera entia: dicimus enim, tenebras occupare aerem, mortem esse terribilissimum omnium terribilium; et tamen constat, mortem et tenebras nihil esse in se ipsis, quamvis illa concipiamus, et de iis disputemus, quasi essent vera entia. Quidni ergo a pari licebit concipere naturam Angelicam ad modum naturæ corporeæ, ipsique attribuere universalitatem, sicut consuevimus attribuere naturis corporeis, licet in se incorporea sit et minime secundum rem communicabilis? Sed de his plus, quam satis.

ARTICULUS SEPTIMUS

DE PROPRIO ET ACCIDENTE

Pauca quæri solent de istis duobus Universalibus; unde sub uno titulo ea breviter explicanda suscipimus.

Proprium igitur quatuor modis sumi solet. Primo pro eo, quod convenit soli, sed non omni; ut, soli homini competit esse Christianum, esse Medicum, esse Philosophum; sed non omni homini ista conveniunt. Secundo pro eo, quod convenit omni, sed non soli; ut, esse bipedem convenit omni homini, sed non soli. Tertio pro eo, quod convenit omni et soli, sed non semper; ut dormire et vigilare convenit omni et soli animanti, sed non semper. Quarto demum Proprium dicitur, quod convenit omni, soli et semper; ut, igni esse calidum in summo, homini esse admirativum, etc. Hoc posito:

PRIMA CONCLUSIO

Quartum Universale, quod *Proprium* dicitur, est, *quod convenit omni, soli, et semper; unde alia tria non pertinent ad hoc universale, sed ad quintum, nempe ad Accidens.*

Probatur ratione D. Thomæ Opuscul. 48. Proprium enim est, quod causatur ex principiis essentialibus, et ad illa consequitur: Sicut ergo res non potest spoliari sua essentia, ita nec sua proprietate; et sicut quælibet res habet specialem essentiam ab omnibus aliis distinctam, ita et proprietates sibi soli convenientes; ergo proprietas debet convenire omni, soli et semper.

Dices. Esse dormitivum et vigilativum prædicatur de homine in quale necessario, nec tamen prædicatur de illo solo: ergo ut aliquid sit proprietas, non est necessarium, ut conveniat soli rei.

Resp. esse dormitivum et vigilativum non prædicari de homine, ut homo est, sed ut est animal; unde non sunt Proprietates hominis, sed animalis, cui conveniunt omni, soli et semper. Species enim supremæ et subalternæ habent suas proprietates, uti species infimæ: ut proprietates corporis sunt tres dimensiones, in longum, latum et profundum: Proprietates viven-

tis sunt movere se ipsum ab intrinseco, nutrire se, augere se, et generare sibi simile: Proprietates animalis sunt esse dormitivum, vigilativum, loco motivum, visivum, auditivum, etc. Sicut ergo species superiores includuntur in infimis, ut vivens in animali, animal in homine; ita quoque proprietates specierum superiorum conveniunt speciebus infimis, ut homini conveniunt proprietates corporis, proprietates viventis, proprietates animalis, et proprietates hominis.

Observandum est autem, duplicem distingui proprietatem, aliam Physicam et realem; aliam Logicam et attributalem. Proprietas Physica et realis est accidens reale consequens essentiam; ut, calor summus consequitur ignem, sensus consequitur animal, risibilitas consequitur hominem. Proprietas Logica, seu attributalis, est quædam notio per rationem solum distincta ab essentia, et ipsam ex solo modo intelligendi consequens: sic infinitudo dicitur proprietas essentiæ divinæ; mortalitas dicitur proprietas viventis corporei; non habere contraria dicitur proprietas substantiæ, etc. non quod ista sint aliquid distinctum a rebus, quarum dicuntur proprietates; sed quia sunt quædam notiones secundariæ, quas intellectus noster distinguit ab essentia, et ipsi attribuit, veluti appendices ejus.

Quæres, *per quid Proprium constituitur in ratione universalis?*

Respondeo, constitui per respectum ad inferiora speciei, v. g. risibile est universale respectu individuorum speciei humanæ, Petri, Pauli, Joannis, etc. Ratio est, quia de illis prædicatur in quale necessario, tanquam de suis inferioribus.

Quantum spectat ad Accidens, aliud dicitur Physicum, aliud Logicum. Accidens Physicum est ens in alio subsistens; ut pulchritudo, pallor, rubor, etc. sunt accidentia Physica vultus, in quo subsistunt, tanquam in suo subjecto; De illis accidentibus Physicis agemus in prædicamentis. Accidens vero Logicum paullo latius sumitur pro omni eo, quod non est cum essentia necessario conjunctum: sic etiam privationes dicuntur accidentia Logica, ut cæcitas dicitur accidens oculi, tenebræ accidens aeris, etc. ipsæ etiam denominationes extrinsecæ dicuntur accidentia Logica; ut videri et non videri respectu parietis, sciri et

nesciri respectu objecti: Et generaliter omne, quod non est cum essentia necessario conjunctum, dicitur accidens Logicum. His positis:

SECUNDA CONCLUSIO

Accidens Logicum recte definitur illud, quod potest *adesse et abesse salva rei essentia*. Intellige de absentia vel reali, ut pallor et rubor possunt abesse realiter a vultu; vel de absentia Logicali et secundum rationem, ut nigredo et albedo possunt abesse ab Æthiope et Cygno: possumus enim per intellectum removere nigredinem ab Æthiope, et albedinem a Cygno sine essentiæ præjudicio.

Probatur conclusio. Accidens est unum prædicabile de multis in quale contingenter; sed illud solum, quod potest adesse et abesse salva rei essentia, prædicatur de illa in quale contingenter: ergo accidens est, quod potest adesse et abesse salva rei essentia. Probatur minor: Contingens enim est, quod potest esse et non esse: ergo illud solum prædicatur de essentia contingenter, quod potest ab illa abesse et illi adesse sine ejus destructione.

Obji. Albedo non potest negari de Cygno, nec nigredo de Æthiope: ergo accidens non potest adesse et abesse a subjecto. Probatur antecedens: nam hæ falsæ sunt, Cygnus non est albus; Æthiops non est niger.

Resp. Distinguo antecedens: Non potest negari *absolute*, concedo; non potest negari *sine destructione essentiæ*, nego. Quamvis enim ista propositio, Æthiops non est niger, sit falsa; ista tamen vera est, Æthiops remota omni nigredine remanet semper homo; nam nigredo in Æthiope est solum aliquid consequens ad complexionem ejus, et ad tractum, in quo habitat; unde si varietur complexio, et habitatio, variatur iste nativus color, non solum in hominibus, sed etiam in animalibus; ut Æthiopum familiæ translatæ ad temperatiores regiones paullatim albescunt; et animalia mutato tractu, vel vivendi consuetudine, demutant colores: sic lepores inter nives Alpinas albescunt, et palumbes, cuniculi, feles, et alia animalia, dum curantur, nativos colores exuunt.

Instabis. Existentia et mors sunt accidentia; sed existentia non potest abesse salva rei essentia, nec mors adesse sine essentiæ destructione: ergo falsum est, accidens posse adesse et abesse sine subjecti corruptione.

Resp. Transeat major, (non enim videtur mors esse accidens, sed corruptio ipsius rei) et distinguo minorem: non possunt adesse et abesse salva rei essentia *in esse Physico*, concedo; *in esse Metaphysico*, nego. Seu, quod idem est, salva rei essentia quantum ad actualitatem existendi, concedo; quantum ad veritatem prædicatorum essentialium, nego. Sive enim homines moriantur, sive vivant, semper verum est, hominem esse animal rationale; ac proinde mori, vel existere, est merum accidens respectu essentiæ humanæ.

Colliges, quartum Universale recte definiri, *Unum aptum inesse multis, ac de illis prædicari in quale necessario*, id est, per modum *termini adjectivi essentiam necessario consequentis*. Quintum vero, *Unum aptum inesse multis, ac de multis prædicari in quale contingenter;* id est, per modum *termini adjectivi non necessario essentiam consequentis*. Utraque definitio ex dictis clara est.

QUÆSTIO TERTIA

De Proprietatibus Universalium.

Duplex assignari solet proprietas universalium, *Perpetuitas* scilicet et *Prædicabilitas*. Ex hoc enim, quod universale sit in multis, sequitur, esse prædicabile de multis; nam prædicari sequitur ad esse: et ex hoc, quod natura universalis sit præcisa a singularibus, sequitur, eam abstrahere ab existentia, quæ non est nisi singularium; ac proinde abstrahere ab omni tempore, quod est mensura existentiæ; et sic esse quodammodo perpetuam, id est, ad nullum tempus alligatam. De utraque ista proprietate breviter agemus duobus articulis.

ARTICULUS PRIMUS

AN ET QUOMODO UNIVERSALIA SINT PERPETUA

Sanctus Thomas in 1. Distinct. 33. Art. 1. notat, *Esse* tripliciter sumi. Primo pro existentia; sic dicimus, quod vivere viventibus est *esse*, id est, existere: et quod singularia modo sunt, modo non sunt; id est, modo existunt, modo non existunt. Secundo, *esse* sumitur pro rei quidditate et essentia; hoc sensu Aristoteles dicit, quod definitio explicat *esse* rei, id est, essentiam. Tertio, *esse* sumitur pro illa identificatione unius cum alio, quæ exprimitur per verbum *est*; ut dum dicimus, bis tria sunt sex; homo est animal rationale, etc. Hoc posito.

Quæritur, utrum naturæ universales sint ab æterno tribus istis modis. Primo quantum ad existentiam, utrum scilicet semper existant. Secundo, quantum ad essentiam, an scilicet earum essentia sit æterna. Tertio, quantum ad identificationem prædicatorum essentialium, an scilicet propositiones de illis formatæ sint æternæ veritatis.

PRIMA CONCLUSIO

Naturæ universales non existunt ab æterno. Probatur: Universalia non existunt, nisi in singularibus, ut homo in Petro et Paulo; sed singularia non sunt æterna: ergo nec ipsæ naturæ universales existunt ab æterno. Major patet ex dictis quæst. 1. art. 1. Minor vero certa est et de *Fide*, et defendetur in Physica contra antiquos Infideles, qui ponebant Mundum ab æterno.

SECUNDA CONCLUSIO

Essentiæ universalium, seu naturæ universales, quoad esse essentiæ, non sunt perpetuæ positive extra Deum, sed solum negative; ita fere omnes contra Scotum, qui rerum essentiis aliquod *esse positivum* ab æterno tribuit, sed diminutum, nempe *esse cognitum* a Deo.

Conclusio supponit, quid sit perpetuum negative, et perpe-

tuum positive. Illud dicitur *positive* perpetuum et æternum, quod se extendit ad omnia tempora, et ad omnes durationes; sic Deus dicitur perpetuus positive, quia ambit omnes durationum differentias. Illud dicitur *negative* perpetuum et æternum, quod abstrahit ab omni tempore; sic veritates scientiarum dicuntur perpetuæ et æternæ, quia abstrahunt ab omni differentia temporis; ut ista veritas, *Justitia est virtus*, dicitur æterna; quia non enunciat virtutem de Justitia pro aliqua temporis differentia, sed abstrahendo ab omni tempore, et ab omni justitia particulari, quæ est, vel fuit, vel erit; ita explicat D. Thomas 1. p. q. 6. art. 7. ad 2. Hoc prænotato.

Probatur prima pars. Naturæ universales (ut natura humana) nullum habent *esse* positivum extra Deum, quo se extendant ad omnia tempora: ergo non sunt positive æternæ. Probatur antecedens: vel illud *esse* positivum esset productum, vel improductum. Non potest esse improductum; quia quidquid est extra Deum, a Deo productum est. Si autem sit productum a Deo, incipit; nam productio rerum, ut docet Fides, incepit in tempore.

Dices. Quidditas, sive essentia creaturæ, cognita est ab æterno a Deo: ergo habuit *esse* cognitum ab æterno.

Resp. *Esse cognitum* est tantum denominatio extrinseca, nihil ponens in re extra Deum; unde ex hoc, quod Deus cognoverit omnia ab æterno, non sequitur, illa fuisse extra Deum, sed solum idealiter in Deo, in quo, ut ait D. Thomas quæst. 1. de pot. art. 3. *non sunt aliud, nisi creatrix essentia*, quæ est omnium naturarum idea et primarium exemplar.

Probatur secunda pars. Perpetuum *negative* dicitur, quod ex se non est determinatum ad aliquam temporis differentiam, sed ab omni tempore abstrahit; atqui naturæ universales abstrahunt ab omni tempore; abstrahunt enim ab omnibus, quæ non sunt de essentia, tempus autem non est de essentia, sed accidens; ut, non est de essentia circuli, ut sit hodie, vel cras: ergo sunt perpetuæ negative. Eodem modo dicuntur esse *ingenerabiles* et *ubique*, nempe negative, quia abstrahunt ab omni loco et ab omni existentia, circa quam versatur generatio et corruptio.

TERTIA CONCLUSIO

Propositiones in materia essentiali et universali, cum scilicet genus, aut differentia, aut proprium de specie prædicatur, sunt æternæ veritatis.

Probatur. Illa veritas est æterna, quæ abstrahit a tempore; sed veritas hujusmodi propositionum abstrahit a tempore: ergo est æterna. Major est evidens; nam quod abstrahit a tempore, id sane nec incipit, nec desinit. Minor declaratur: Veritas propositionis consistit in connexione, seu identitate prædicati cum subjecto; nam si prædicatum sit idem cum subjecto, vere affirmatur de eo; atqui in materia essentiali identitas prædicati cum subjecto abstrahit a tempore: ergo et veritas hujusmodi propositionum abstrahit a tempore. Major est evidens. Minor declaratur: Essentiæ rerum, ut jam ostendimus, abstrahunt a tempore; sed in materia essentiali prædicatum propositionis est de essentia subjecti, ut evidens est ex terminis: ergo ejus connexio, seu identitas cum subjecto, abstrahit a tempore; ut in istis, *Bis tria* sunt *sex*; *Homo* est *animal rationale*, connexio prædicati cum subjecto est essentialis, atque proinde abstrahit ab omni accidente; sicque a tempore, quia rei accidit, ut sit in tempore.

Explicatur amplius: Duobus modis prædicatum potest uniri cum subjecto. Primo *per se*, ut homo per se est animal rationale; non enim id ei per aliud convenit, sed ex se ipso talis est. Secundo *per accidens*, ut aliquid ei aliunde conveniens; ut homo per se non est Medicus, aut Philosophus, sed ex eo, quod has facultates acquisivit. Connexio prædicatorum secundi generis manifeste pendet a tempore, nam fit per actionem, quæ non nisi in tempore perficitur; at connexio prædicatorum primi generis non pendet ab aliqua actione, sed ab ipsa rei essentia. Cum itaque res nec esse, nec concipi possit sine essentia sua, nec esse, nec concipi potest sine identitate hujusmodi prædicatorum essentialium cum ipsa: immo clare concipimus necessariam, ac proinde æternam exigentiam in hujusmodi essentiis, ut uniantur cum his prædicatis essentialibus; unde, ut dicit S. Augustinus, licet Mundus non esset, semper verum fuit et erit, *Bis tria* esse *sex*; *Sex* se habere ad *tria*, sicut *duodecim* ad *sex*.

Hoc sensu dicuntur scientiæ esse de rebus æternis et perpetuis; nam versantur in hujusmodi veritatibus contemplandis, quæ a tempore abstrahunt, nempe in dignoscendis prædicatis essentias rerum constituentibus, aut consequentibus; ut Geometra naturam trianguli, et ea, quæ illi essentialiter et necessario conveniunt, demonstrat; unde quod sit figura tribus lineis comprehensa: quod in ea tres anguli sint æquales duobus rectis; quod si in eo anguli sint æquales, latera quoque erunt æqualia etc.

Hinc colliges veritatem illius Axiomatis, *Quod est per se tale, est semper tale;* nam quod rei per se convenit, ei convenit ex sua essentia, proindeque abstrahendo ab omni tempore.

Dices. Etiam propositiones contingentes sunt æternæ veritatis, ut illæ *Antichristus erit*; *Mundus incendio peribit*; ut veræ enim ab æterno a Deo cognitæ sunt.

Resp. non esse veras ex se ipsis, sed ex voluntate Dei, qui sic voluit; at quod *bis tria* sint *sex*, verum semper fuisset, etsi Deus nihil extra se producere voluisset. Deinde non sunt veræ pro æterno, sed pro tempore futuro; at naturales sunt veræ et ab æterno, et pro æterno; et ideo simpliciter dicuntur æternæ veritatis.

Obji. Contra conclusionem. Veritas, cum sit aliquid positivum, supponit *esse* aliquod positivum; sed essentiæ rerum non habent ab æterno *esse* positivum: ergo nec propositiones de illis formatæ habent ab æterno veritatem.

Resp. Distinguo majorem: Veritas supponit aliquid positivum, *objective*, concedo; positivum in *rerum natura existens*, nego. Id est, veritas, saltem, affirmationis, non est nisi de objecto positivo; nam de mera negatione nihil affirmari potest; at non requiritur, ut illud objectum positivum sit actu positum in rerum natura; ut cum dico, *Lineæ a centro ad circumferentiam circuli ductæ sunt æquales*, loquor quidem de re aliqua positiva, et non de mera negatione; at, ut mera propositio vera sit, non est necesse, rem hujusmodi actu esse positam in rerum natura.

Instabis. Veritas propositionis exigit identitatem et nexum inter prædicatum et subjectum; sed ille nexus et identitas non

est ab æterno in propositionibus necessariis: ergo nec veritas. Probatur minor: Nexus et identitas extremorum exigit, ut sint extrema; sed extrema non sunt æterna: ergo nec eorum nexus.

Resp. Nego minorem in sensu supra explicato. Ad probationem distinguo majorem: nexus et identitas extremorum supponit extrema, eo modo, quo ille nexus est, concedo; alio modo, nego. Id est, ut extrema in re positive uniantur, necesse est, extrema esse posita a parte rei; at ut uniantur solum objective et ex propria essentia, satis est, ut extrema sint objecta realia possibilia, quorum unum in suo conceptu aliud includit. Porro non dicimus, in re ab æterno extra Deum fuisse naturas suis prædicatis essentialibus unitas; sed solum unitas objective, quatenus eas intellectus concipere nunquam potuit absque tali unione.

Dices. Ergo essentiæ rerum habent ab æterno aliquod esse objectivum, sicque incidimus in sententiam Scoti.

Resp. Distinguo: habent *esse* objectivum positum *in re* extra Deum, ut vult Scotus, nego; *possibile in re* et ideo aptum objici intellectui, sive divino, sive creato, concedo. Itaque illud *esse* objectivum, illaque identitas objectiva nihil est aliud, quam ipsa natura rei possibilis in sua essentia includens quædam prædicata, sine quibus nec esse, nec intelligi potest, quæ proinde semper de ea vere affirmari possunt, at nunquam negari; ut, ab æterno fuit homo possibilis, et ille homo ab æterno fuit idem, ac animal rationale possibile; sicque ab æterno verum fuit, quod homo est animal rationale, proindeque fuit identitas inter hominem, et animal rationale.

ARTICULUS SECUNDUS

DE PRÆDICABILITATE UNIVERSALIUM

Triplex vulgo distingui solet prædicatio, *Materialis*, *Identica*, et *Formalis*. Prædicatio materialis dicitur, *cum prædicatum re ipsa est eadem res, ac subjectum, sed ratione omnino diversum;* ut cum dico: Animalitas est rationalitas, id verum esse materialiter dicitur, nam in homine eadem res est anima-

litas et rationalitas; at formaliter id falsum est, nam rationalitatis notio alia est omnino a notione animalitatis. Prædicatio identica est, *cum prædicatum est idem re et ratione cum subjecto*, ut Petrus est Petrus, Ensis est gladius. Prædicatio formalis dicitur, *cum prædicatum nec omnino idem, nec omnino diversum est a subjecto, sed prædicatum quidem sub se continet subjectum*, subjectum vero in se continet prædicatum; ut, homo est animal, *animal* enim sub se continet *hominem*, homo vero in se continet animal. Hic agitur de prædicabilitate formali Universalium.

Porro duobus modis prædicatum exprimi potest. 1. Per modum termini concreti; ut, Album est coloratum. 2. Per modum termini abstracti; ut, Albedo est color. His positis.

PRIMA CONCLUSIO

In substantiis genus et species debent prædicari de suis inferioribus in concreto; unde hæc prædicatio est proprie generis de specie, homo est animal; at non ista, humanitas est animalitas. Et hæc est speciei de individuo, Petrus est homo; at secus ista, Petreitas est humanitas.

Probatur. Genus et species debent exprimi, ut naturæ in suo ordine completæ; atqui in substantiis, dum sumuntur in abstracto, exprimuntur, ut aliquid incompletum in ordine substantiæ: ergo debent exprimi in concreto, Major est evidens; alias enim dimidiate solum prædicarentur. Minor vero declaratur: Dum naturæ substantiales exprimuntur in abstracto, excludunt suppositum, in quo sunt, et a quo habentur; ut, *Humanitas* non dicit suppositum, quod habet humanitatem, sed solam naturam, qua tale suppositum est homo; atqui suppositum est de ratione substantiæ; est enim id, quo natura complete subsistit, proindeque quo completur in ratione substantiæ; ergo in abstracto exprimuntur, ut aliquid incompletum in genere substantiæ; unde, ut infra dicemus, abstracta substantialia non ponuntur in prædicamento substantiæ, quia non significantur, ut aliquid subsistens, proindeque ut substantiæ perfectæ; sed ut id, quo res subsistens determinatur ad talem substantiæ

modum; ut humanitas non dicit id, quod est homo, sed quo homo in specie humana constituitur, et ideo per modum partis metaphysicæ significatur.

SECUNDA CONCLUSIO

E contra in accidentibus genus et species debent prædicari in abstracto; unde ista proprie est generis de specie, *Albedo est color*; at secus ista, *Album est coloratum.*

Probatur. Genus et species debent id solum exprimere, quod est de essentia rei, non vero quod est ipsi extraneum, alias non essent prædicata pure essentialia; atqui natura accidentis in abstracto significata pure exprimit ejus essentiam, in concreto vero importat aliquid extraneum essentiæ: ergo debent prædicari in abstracto. Major est evidens. Minor declaratur: Accidens in concreto dicit naturam accidentis cum subjecto, cui inhæret; in abstracto vero naturam illam sine subjecto; ut, *Album* dicit non solum albedinem, sed etiam subjectum, quod habet albedinem; *Albedo* exprimit solam essentiam albedinis; atqui subjectum non est de essentia accidentis, est enim aliquid substantiale, proindeque ad aliud genus pertinens: ergo accidentia in abstracto significata pure exprimunt id, quod eis essentiale est, in concreto vero important aliquid extraneum naturæ accidentis.

Dices. Sic se habet humanitas ad animalitatem, sicut homo ad animal; et album ad coloratum, sicut albedo ad colorem: ergo ubique est prædicatio generis de specie.

Resp. Nego antecedens: Quia, ut dictum est humanitas significat naturam substantialiter incompletam; Album vero significat aliquod unum per accidens; significat enim duas essentias accidentaliter unitas, scilicet essentiam subjecti et essentiam accidentis; genus autem et species debent significare essentiam simplicem et in suo ordine completam.

Instabis. Ista prædicatio est vera, *humanitas* est *animalitas*: ergo est generis de specie.

Resp. Nego consequens: Neque enim omnis prædicatio vera est proprie generis de specie; nam præterea requiritur, ut genus et species efferantur ut naturæ in suo ordine completæ: hu-

manitas autem et animalitas significant tantum aliquid incompletum in linea substantiæ.

TERTIA CONCLUSIO

Differentia, proprium, et accidens prædicari debent in concreto de suis inferioribus. Patet conclusio: Quia prædicantur in *quale*, et per modum alicujus adjectivi: ergo et in concreto. Probatur consequentia: quia omne adjectivum est concretum.

Quæres, *utrum natura in actuali prædicatione retineat universalitatem?* Ut dum dico, Petrus est homo, utrum *homo* applicatus Petro sit adhuc universalis?

Respondeo *affirmative:* Tum quia exercitium proprietatis non destruit essentiam, sed prædicatio est exercitium proprietatis universalium: ergo non destruit universalitatem. Tum quia universale prædicatur de particulari tanquam superius de inferiori: ergo remanet semper superius, ac proinde universale.

Dices. Si homo, dictus de Petro, retinet adhuc universalitatem, sequitur, quod Petrus est universalis. Probatur sequela per hanc regulam: *Quando aliquod prædicatur de alio, quidquid dicitur de prædicato, dicitur de subjecto*: ergo si universalitas dicitur de homine, dum prædicatur de Petro, dicetur etiam de ipso Petro.

Resp. Nego sequelam. Ad regulam dico, eam intelligendam esse de prædicatis realibus et absolutis; non vero de secundo intentionalibus, ut magis infra dicetur.

DISPUTATIO SECUNDA

DE PRÆDICAMENTIS

Explicuimus quot modis unum dicatur de aliquo, tanquam superius de inferiore; nunc ea, quæ dicuntur de alio, distribuenda sunt in quasdam classes et universalissima genera, quæ vocantur *Prædicamenta*, seu *Categoriæ:* nam Categoria Græce, idem est ac Latine *accuso*, et extense *prædico*. Prædicamenta definiuntur, *suprema genera eorum, quæ prædicantur de prima substantia;* seu, *series rerum prædicabilium sub uno primo genere ordinatarum*. Totam autem disputationem dividimus in tres partes: Prima erit de quibusdam præambulis, seu, ut vocant, de *Anteprædicamentis:* Secunda et præcipua de *Prædicamentis:* Tertia demum, veluti pedissequa de *Postprædicamentis*. Ita enim divisus est Tractatus ab Aristotele, qui primus ejus auctor exstitit, et ab eo suæ Logicæ exordium fecit.

Fuit autem Aristoteles (ut aliquid de tanto Viro dicamus) natione Macedo, Patria Stagyrites, corporis forma minime insignis, ingenio supra hominem sublimi. Platonis primo per viginti annos discipulus exstitit: deinde Alexandri Magni per decem annos præceptor: postmodum tredecim annos docuit Athenis in Lycæo, ubi sectam Peripateticam, seu a loco, qui *Deambulatorium* dicebatur, seu quod ambulando doceret, ita nuncupatam instituit. Accusatus autem, quod de Diis et Religionibus male sentiret, sponte profugus severitatem Areopagi, in Socrate eadem de causa expertam, declinavit. Objit in Chalcide annos natus 63. Multa scripsit in omni Philosophiæ parte, quorum magna pars periit, quamvis plurima adhuc remanserint. Olim a Patribus Ecclesiæ, præcipue Justino Martyre, et Gregorio Magno, summis odiis exagitatus est, veluti præcipuus Fidei hostis, et de Divinis male sentiens: Aristotelis enim character est, omnia, etiam Divina, velle humana ratione metiri, periculosa certe in

divinis rebus mensura : unde de statu hominis post mortem omnino siluit ; quia nihil certi ex ratione habere poterat, et dum perlegisset libros Moysis, fertur dixisse, *Barbarus ille bene loquitur*, *sed nihil probat.* Mirabatur enim divinam sacræ Scripturæ energiam ; sed tamen fidem ei negabat, quod non ratione probet ea, quæ dicit, sed sub sola Dei auctoritate intellectum captivet ; ideoque Plato, qui magis sapit doctrinam Hebræorum, et ex ejus principiis multa deducit, libenterque traditionibus et revelationibus acquiescit, semper a Patribus Ecclesiæ prælatus est Aristoteli. Cæterum modo Aristoteles a D. Thoma purgatus, illustratus, et ut aliquis dixit, pene baptizatus, tanto interpreti debet, quod nunc ex omnibus antiquis in Schola solus auditur, tanto consensu, ut exceptis iis, in quibus contra fidem aperte sensit, ejus auctoritatem fere omnes recipiant ; unde scite Mirandulanus : *Sine Thoma mutus esset Aristoteles.*

QUÆSTIO PRIMA

De Anteprædicamentis

Aristoteles, antequam de Prædicamentis agat, quatuor præstat. 1. Definit Univoca, Æquivoca, et Denominativa. 2. Duas affert Divisiones, unam terminorum, aliam rerum. 3. Duas Regulas, seu Axiomata statuit. 4. Dividit Ens in decem Prædicamenta. Hæc vulgo *Anteprædicamenta* dicuntur, quæ breviter exponemus.

ARTICULUS PRIMUS

DE PRIMO ANTEPRÆDICAMENTO, SCILICET DE UNIVOCIS, ÆQUIVOCIS, ANALOGIS, ET DENOMINATIVIS

Prælibavimus aliquid in Logica minore de terminis, seu de nominibus univocis, æquivocis et analogis ; nunc agendum est de rebus per talia nomina significatis, Termini enim, seu potius nomina illa, solent dici *univoca univocantia*, *æquivoca æquivocantia*, *analoga analogantia ;* contra vero res per ista nomina

significata dicuntur *univoca univocata*, *æquivoca æquivocata*, *analoga analogata;* de quibus omnibus sigillatim hic agemus.

Univoca ergo, quæ Græcis *Synonyma* dicuntur, sunt, *quorum nomen commune est, et ratio per nomen significata simpliciter eadem:* Sic leo, bos, equus, et homo univoca sunt respectu animalis; quia eodem modo participant id, quod per istud nomen significatur. Hæc definitio clara est; solum observandum est, quod ista vox *Ratio* non solum hic, sed etiam persæpe alibi sumitur pro *quidditate*, seu essentia, quæ per nomen significatur.

Æquivoca, quæ Græcis *Hononyma* dicuntur, sunt, *Quorum nomen commune est, et ratio per nomen significata simpliciter diversa;* unde æquivoca in sola voce conveniunt, in re prorsus differunt; sic piscis, sydus et animal domesticum æquivoca sunt respectu nominis *Canis;* sic etiam *Robur* æquivocum est, respectu quercus, et respectu fortitudinis.

Notandum autem, quod Aristoteles sub æquivocis comprehendit etiam Analoga, quæ appellat *æquivoca a consilio*, (pura enim æquivoca vocat *æquivoca a casu*) quamvis claritatis gratia soleant distingui, et proprio nomine appellari: unde

Analoga sunt, quæ media inter univoca et æquivoca, nec omnino idem sunt, nec omnino diversa, sed inter se quodammodo proportionata: unde dicuntur ea, quorum nomen commune est, ratio vero per nomen significata simpliciter quidem diversa in illis, secundum quid tamen eadem, id est, per aliquam proportionem, vel habitudinem; est enim *Analogia* Græcis, quod proportio Latinis, adnotante Quintiliano lib. 1. Sic pulsus, urina, medicina, cibus, et animal dicuntur *sana* analogice; quia nec omnino differunt, nec omnino conveniunt in sanitate: differunt, quia diversimode illam respiciunt; conveniunt, quia hæc omnia dicuntur sana ab eadem sanitate; nam animal dicitur sanum, quod habeat sanitatem; pulsus et urina dicuntur sana, quia illam significant; medicina, quia illam causat; cibus, quia illam conservat et juvat.

Analoga sunt duplicis generis, scilicet analoga *attributionis*, et analoga *proportionalitatis.* Analoga *attributionis* dicuntur, quæ idem nomen sortita sunt ex habitudine ad unum prin-

cipale, cui attribuuntur; unde definiuntur, *Ea, quæ sunt idem secundum terminum, diversa vero secundum modum*, quo illum respiciunt. Id patet in exemplo *Sani*, quod dicitur a sanitate, quæ quidem principalius reperitur in animali; cætera vero dicuntur sana, quod respiciant sanitatem animalis. Similiter *Divinum* desumitur a Divinitate, quæ principalius attribuitur Deo; cætera vero, quæ Deum respiciunt, dicuntur Divina a Divinitate, quæ est in Deo. Sic Mundus dicitur Divinus, quia a Deo factus; Charitas dicitur Divina, seu Theologica, quia respicit Deum; Scriptura sacra dicitur Divina, quia a Deo inspirata est; Sacerdos dicitur Divinus, quia Deo ministrat; Lex dicitur Divina, quia a Deo lata est. Ubi vides in ista analogia cætera analogata denominari ab uno principali, quod respiciunt. Vocatur *famosius et principalius analogatum*; cætera dicuntur *minus principalia analogata*; ut natura Divina est principalius analogatum respectu istius nominis *Divinum*, et animal respectu istius nominis *Sanum*. Nomen analogum simpliciter sumptum stat seu supponit pro famosiori analogato, ut communiter dicitur; ut *Sanum* simpliciter sumptum significat animal, ut dum dico, sanum est, quod adæquatur in humoribus.

Analoga *proportionalitatis* sunt, quæ diversa, cum sint, conveniunt tamen, non per habitudinem ad unum principale; sed proportione quadam inter se; unde definiuntur, *Ea, quorum nomen commune est, ratio vero per nomen significata simpliciter quidem diversa, proportionaliter tamen eadem, idest, similis secundum* quandam proportionem. Sic *Principium* proportione quadam dicitur de corde, de fonte, de puncto; nam ut a corde vita incipit, sic rivus a fonte, et linea a puncto. Sic *Ridere* dicuntur fortuna, cum favet; prata, cum floribus ornantur; homo, cum lætus est. Sic *Rex* dicitur analogice de Rege hominum, de rege apum, de Aquila respectu avium, de Leone respectu ferarum, non quod ista respiciant regem hominum, sed quia eo modo se habent in multitudine sui generis, sicut Rex in multitudine hominum. Ejusmodi analogia frequenter utitur Scriptura sacra, dum res Divinas nobis proponit per metaphoram et proportionem ad creaturas. Sic Deus dicitur aliquando

irasci, pacari, quiescere, surgere, sedere, descendere, etc. in quantum producit aliquos effectus proportionatos illis, quos producunt homines irati, pacati, quiescentes, surgentes, etc. ut dum punit, dicitur iratus; dum parcit, dicitur pacatus: dum cessat ab opere externo, dicitur quiescere, etc.

Quæres, *quid analogiam induxerit?*

Resp. tres præcipue causas analogiæ esse, scilicet *rationem*, *necessitatem*, *venustatem*. Ratio quidem induxit analogiam, quia, quæ respiciunt aliquid, merito denominantur ab eo; ut domus, suppellex, comitatus, arma, satellitium, etc. merito *regia* dicuntur, eo quod ad regem pertineant.

Necessitas etiam: cum enim in quibusdam linguis sit penuria nominum, unica vox ad plura aliquatenus similia significanda debuit transferri: et hæc præcipue causa est, cur in lingua Hebræa tot sint æquivoca et analoga; quia cum Hebræis pauca nomina sint, necesse est eandem vocem plura significare: Sic vox *ain* significat oculum, fontem, scintillam, aspectum, superficiem. Inde tanta varietas versionum, multiplicesque sacræ Scripturæ sensus litterales, qui licet inter se diversi appareant, attamen textui concordant.

Tertia causa analogiæ est venustas sermonis: cum enim intellectus noster proportionibus delectetur, gaudet expressionibus metaphoricis et analogicis, quibus una res per aliam similem ob oculos ponitur, sæpe majori energia significationis. Sic negotium eleganter dicitur *maturum*, quando præsto est, ut expediatur: dentes dicuntur *molares*, qui cibos atterunt, ut mola triticum: virtus dicitur *solida* et *robusta*, quæ peccandi occasionibus labefactari non potest: homo dicitur *clarus*, qui inter alios ob dignitatem suam notior est, etc.

Denominativa tandem dicuntur, quæ *ab aliqua forma nomen habent solo vocis casu diversum*, ut a Grammatica dicitur *Grammaticus*, a Philosophia *Philosophus*, et hoc modo substantia denominatur ab aliis prædicamentis; ut a quantitate, *quanta*, a qualitate, *qualis*; a relatione, *relata*, etc.

ARTICULUS SECUNDUS

DE RELIQUIS ANTEPRÆDICAMENTIS : UBI ETIAM DE CONDITIONIBUS REQUISITIS , UT ALIQUID SIT IN PRÆDICAMENTO

Secundum Anteprædicamentum duas continet divisiones. Prima : *Eorum, quæ dicuntur, quædam complexa sunt, ut*, homo albus; *quædam incomplexa, ut*, homo. Secunda divisio est : *Eorum, quæ sunt, quædam dicuntur de subjecto* (id est, prædicantur de aliquo inferiori sibi subjecto) *quæ tamen non sunt* (id est non inhærent) *in subjecto* : ut homo dicitur de Petro, nec tamen inhæret Petro. *Quædam vero sunt in subjecto, nec tamen dicuntur de subjecto :* ut virtus Petri est in Petro, nec tamen de aliquo sibi inferiori subjecto prædicatur, quia est aliquid singulare. *Quædam vero sunt in subjecto et dicuntur de subjecto,* ut scientia in communi est in hominibus ut in subjecto, et dicitur de hac et illa scientia. *Quædam vero nec sunt in subjecto, nec de subjecto dicuntur :* ut Petrus, et quælibet singularis substantia.

Tertium Anteprædicamentum duas continet regulas. Prima est, *Quidquid dicitur de prædicato, dicitur de subjecto;* nam prædicatum debet includi in subjecto, ut vere de eo dicatur; itaque omnia, quæ conveniunt prædicato, debent includi in subjecto : ut, quia *animal* dicitur de homine, quidquid convenit animali, convenit homini. Hoc vero intelligendum de his, quæ conveniunt prædicato primo-intentionaliter, seu secundum rem; non vero secundo-intentionaliter, seu per rationem; nam non est idem modus concipiendi prædicatum et subjectum; illud ratio nostra concipit ut superius, hoc ut inferius; unde licet animal sit genus, homo tamen genus non est. Hac regula sæpe utitur S. Thomas, quam sic exprimit, *Semper prius includitur in posteriori.* Secunda regula hæc est, *Duorum generum non subalternatim positorum diversæ sunt differentiæ; ut scientia et animal non constituuntur per easdem differentias; at vero in generibus subalternatim positis nihil prohibet easdem esse differentias.* Ratio regulæ est, quia differentia superior includitur in speciebus inferioribus, ut vitalitas in planta, animali, et homine; ideoque planta, animal, et homo differunt v. g. a lapide per vitalitatem.

Quartum Anteprædicamentum est divisio entis incomplexi in decem prædicamenta, quæ sunt, *Substantia*, *Quantitas*, *Relatio*, *Qualitas*, *Actio*, *Passio*, *Quando*, *Ubi*, *Situs et Habitus*. Hanc rerum divisionem Architas Tarentinus primus excogitasse fertur, quam amplexus Aristoteles celebriorem effecit, unde jam pene omnium usu recipitur.

Probari autem potest hac ratione. Prædicamenta sunt suprema rerum genera; sed decem sunt suprema rerum genera: ergo sunt decem Prædicamenta. Probatur minor. Quidquid est, vel est in se ipso subsistens, vel est in alio. Si est per se subsistens, ut homo, lapis, Angelus, dicitur *Substantia*. Si autem est in alio, dicitur *Accidens*. Substantia habetur pro unico universalissimo genere et prædicamento; cum enim ea sit ejus notio, ut in se et per se subsistat, sitque prima essendi basis, cui varietas accidentium incumbit, id videtur eodem modo, ac proinde univoce convenire omnibus substantiis; at vero accidens exprimit aliquid magis vagum, confusum, et analogum: unde rursus dividitur in novem suprema genera. Quidquid enim accidit substantiæ, vel eam extendit, et sic est *Quantitas*; vel eam refert ad aliud, et sic est *Relatio;* vel eam qualificat et in se modificat, et sic est *Qualitas;* vel connotat aliquid extrinsecum, et si quidem connotet ipsum, ut principium a quo est, erit *Actio;* si ut subjectum, in quo est, erit *Passio;* si ut mensuram durationis, erit *Quando;* si ut mensuram extensionis localis, erit *Ubi;* si per modum certæ cujusdam coaptationis partium locati ad locum, erit *Situs;* si per modum ornamenti superadditi, erit *Habitus*.

Dices. Sunt solum quinque universalia: ergo debent esse tantum quinque prædicamenta.

Resp. Nego consequentiam. Nam Universalia sunt modi, quibus unum respicit multa, ut superius inferiora: Prædicamenta vero sunt suprema genera rerum prædicabilium. Licet autem sint solum quinque modi respiciendi multa tanquam inferiora, attamen sunt decem suprema genera rerum prædicabilium, sicut supra dictum est.

Instabis. Sunt solum duo genera rerum: quidquid enim est,

vel per se subsistit, vel in alio; seu vel est accidens, vel substantia.

Resp. Accidens subdividi in novem suprema genera, quæ simul juncta cum substantia constituunt decem prædicamenta.

Quatuor autem sunt conditiones requisitæ, ut aliquid ponatur in prædicamento.

Prima, *ut sit ens reale.* Nam hic solum dividimus entia realia: unde entia rationis non pertinent ad prædicamenta; sed si vellemus dividere ens rationis, ipsumque coordinare in suas species, oporteret condere alia prædicamenta ipsi propria.

Secunda, *ut sit ens per se unum;* id est, ut dicat unicam essentiam, non vero aggregationem plurium essentiarum; unde nomina complexa non ponuntur in prædicamento, v. g. homo albus, quia non significant unicam essentiam. Ratio hujus conditionis est, quia, quod non dicit unicam essentiam, non habet unicum genus, nec proinde poni potest sub uno prædicamento. Propter hanc conditionem concreta accidentalia, si sumantur quantum ad omnia, quæ dicunt, non sunt in prædicamento, ut Medicus, Albus, Musicus, etc. quia important duas essentias, subjecti scilicet et accidentis; ut, *Medicus* dicit hominem et medicinam, licet solum formaliter exprimat medicinam: attamen si ejusmodi concreta sumantur quasi substantive et pro suo formali significato tantum, id est, pro sola forma accidentali, sic poni possunt in prædicamento. In hoc sensu Aristoteles aliquando exprimit prædicamenta accidentalia in concreto, ut *Quantum*, *Quale*, etc. sumendo scilicet *Quantum* et *Quale* substantive, pro ipsa quantitate et qualitate, sicuti fieri sæpe solet, præcipue in lingua Græca.

Tertia conditio est, *ut sit ens completum.* Partes enim non sunt propter se, sed propter totum; unde reducuntur ad prædicamentum sui totius, ut Caput, Cor, Pectus, etc. reducuntur ad prædicamentum animalis. Propter hanc conditionem abstracta substantialia, ut animalitas et humanitas, non sunt directe in prædicamento; quia significant naturas substantiales per modum partis, et sine supposito, quod tamen est completum naturæ substantialis.

Quarta conditio est, *ut sit ens finitum.* Ens enim infinitum

comprehendit, imo superexcedit omnia prædicamenta, utpote cum contineat totam plenitudinem essendi, cujus prædicamenta sunt solum quidam particulares modi; unde sicut totum non capitur sub parte, ita neque ens infinitum sub aliquo prædicamento. Quidam tamen negant hanc conditionem; sed de ea infra dicetur uberius.

Addi præterea potest, id, quod ponitur in prædicamento debere esse genus, vel speciem; nam prædicamentum est coordinatio specierum sub uno primo genere; unde illa directe ponuntur in prædicamento, quæ directe ponuntur sub genere; ideoque differentiæ non ponuntur in prædicamento directe, sed solum a latere, quatenus dividunt genera, et constituunt species. Propter hanc etiam rationem æquivoca et analoga excluduntur a prædicamento, quia non habent rationem generis et speciei.

QUÆSTIO SECUNDA

De Prædicamento Substantiæ

Prædicamenta partim ad Logicam pertinent, partim ad Metaphysicam. Ad Logicam spectant, ut sunt suprema genera, seu series prædicabilium. Ut vero sunt membra dividentia ens in communi, spectant ad Metaphysicam; unde Logicus solum debet examinare in prædicamentis rationem generis et speciei, seu ordinem et dispositionem ipsorum; Metaphysicus vero debet explicare ipsam quidditatem prædicamenti; Nos tamen secuti consuetum morem, utrumque hic simul præstabimus, ideoque Logici simul et Metaphysici munere fungemur. Incipiendo ergo a substantia, circa eam tria quærimus. 1. Quid sit. 2. Quotuplex sit. 3. Quas habeat proprietates.

ARTICULUS PRIMUS

QUID SIT SUBSTANTIA

Substantia duobus modis sumitur. Primo pro *cujusque rei essentia;* et in hoc sensu divagatur per omnia prædicamenta,

omne enim prædicamentum est aliqua essentia. Secundo ut significat *specialem quendam essendi modum;* quo sensu constituit speciale prædicamentum; quod ut magis explicetur

Nota; duplicem esse modum essendi, in se scilicet, et in alio; Scilicet ut videmus in arboribus, quasdam habere satis roboris, ut se ipsas sustineant, ut Quercum, Pinum, Platanum, etc. quasdam vero debiliores esse, ideoque ut sustineantur egere fulciri ab aliis, ipsisque adhærere, ut sunt Hedera, Pisa, etc. Ita in entibus, quædam subsistunt in se ipsis, utpote perfectiora, neque indigent fulciri ab alio, et ideo dicuntur *Substantiæ*, ut Homo, Lapis, Angelus, etc. quædam vero, utpote debiliora, indigent fulciri ab aliis, ipsisque adhærere, et ideo dicuntur *Accidentia*, ut Sanitas, Virtus, Pulchritudo, Frigus, etc. si enim tollas subjectum in quo sunt, subsistere amplius non possunt; ut, pereunte homine, simul cum eo perit ejus pulchritudo, robur, calor, etc.

Ex his apparet, substantiam habere duplex munus: primo enim *subsistit in seipsa;* secundo *substat accidentibus* (1). Sicut corpus lucidum duo habet munera; Primo lucet in seipso; secundo illuminat alia: ut innotescat quid sit substantia, quæritur, *per quod ex istis duobus muneribus essentialiter constituatur.*

Quidam dicunt, substantiam essentialiter constitui per hoc, quod substet accidentibus. Alii per hoc, quod subsistat in se. Quidam demum tenent, in neutro essentialiter consistere, sed in negatione essendi in alio.

CONCLUSIO

Substantiæ constitutivum non est negatio essendi in alio, neque substare accidentibus, sed subsistere in se ipsa; ita S. Thomas 2. cont. Gent. c. 25.

Probatur prima pars. Negatio non constituit ens positivum,

---

(1) *Idest; prima, ac potior substantiæ vis in eo posita est, ut alterius auxilio non egeat ad consistendum: hinc substantia nihil est aliud nisi* Res, *seu illud,* quod per se constat *quod idem est ac* subsistere in seipsa. *Altera ejus vis est, ut* accidentia *sustineat. Nam quidquid est, aut* substantia *est, aut* accidens.

ut patet ex terminis; nam negatio non ponit aliquid, sed tollit; atqui substantia est ens positivum, ut de se evidens est: ergo non constituitur per negationem essendi in alio.

Dices. Esse in se est mera negatio essendi in alio: ergo negatio pertinet ad constitutivum substantiæ.

Resp. Nego antecedens. Nam si esse in alio est quid positivum, a fortiori esse in se; hoc enim perfectius est. Unde esse in se, connotat quidem negationem; sed per eam solam non constituitur (1).

Probatur simul secunda et tertia pars. Substantia constituitur per id, quod est in ea primum et radix aliorum; atqui subsistere in se est primum in substantia: substare vero accidentibus est quid secundarium ex eo priori consequens: ergo non istud, sed illud constituit substantiam. Major est propria notio constitutivi cujusque rei. Minor vero est evidens: ideo enim substantia substat accidentibus, quia subsistit in se, ut sol illuminat alia, quia in se lucet; et columna substentat tectum, quia in se firma stat.

Colligitur ex his, substantiam recte definiri: *Ens per se subsistens;* sicut contra Accidens, *Ens existens in alio;* quæ definitiones ita intelligendæ sunt, ut substantia sit ens, cui debetur esse in se; Accidens vero cui debetur esse in alio. Cæterum, quod actu substantia existat per se, etc. accidens existat in alio, non est de essentia utriusque, quia actualis existentia non est de essentia creaturæ: ita D. Thomas in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 1. ad 2. Descriptive autem substantia definitur id, *quod substat accidentibus*, quia substare accidentibus est quid secundarium in ea, consequens ex eo, quod subsistat in se.

---

(1) *Per negationem utique definivit Aristoteles (Categ. c. 5.) inquiens; substantia est* id, quod non est in alio tamquam in subjecto. *Quorum enim natura nobis ignota est, ut est substantia, nonnisi a nobis notis sumi potest explicatio. Facciolatus refert (Inst. p. 2. c. 2.) a quodam ejus sæculi sagaci philosopho* substantiam *sic definiri.* Subjectum quoddam nobis ignotum, in quo sunt affectiones, et proprietates nobis notæ. *Quæ juniorum definitio verbis quidem clarior est, re autem ab Aristotelica nihil differt. Sed aliud est,* rem *per negationem definire, aliud vero rem in* negatione *constituere.*

Objì. 1. Substantia dicitur quasi *sub aliis stans:* ergo substare aliis est constitutivum substantiæ.

Resp. Nego consequens. Non enim rei nomen semper sumitur ab essentiali constitutivo, sed ut plurimum a notioribus proprietatibus: ut, Lapis dicitur a *lædendo pedem:* Vinum a *viribus*, quas auget: Sol eo quod sit *solus* et *unicus*: Luna, quasi *luminum una*, eo quod uniat in se lucem superiorum syderum; et tamen patet, res ejusmodi non constitui essentialiter per id, a quo nomen habent. Quamquam etiam dici possit, substantiam a *substinendo* esse dictam.

Instabis. Humanitas Christi est substantia; sed Humanitas Christi non subsistit per se: ergo subsistere per se non constituit substantiam. Probatur minor. Humanitas Christi subsistit per suppositum Divinum: ergo non subsistit per se.

Resp. Distinguo minorem: Humanitas Christi non subsistit per se, prout *per se excludit suppositum; cujus sit*, concedo; ut excludit *subjectum*, *in quo sit*, nego. Non est autem contra rationem naturæ substantialis, ut sit in alio tanquam in supposito, seu persona habente ipsam; sed solum ut sit in alio, tamquam in subjecto fulciente. Suppositum autem vocamus id, quod habet naturam, seu cujus aliqua natura est; subjectum vero id, in quo accidens est, et a quo fulcitur. Patet autem, quod licet humana Christi natura non sit sui ipsius, vel proprii suppositi, sed Verbi Divini, et secundæ Personæ Trinitatis, a qua assumpta est per incarnationem; attamen non est in alio, tamquam in subjecto: unde dicitur subsistere per se eo modo, quo aliæ substantiales naturæ; id est, per exclusionem subjecti, cui inhæreat.

Dices. Ut Natura Christi diceretur per se subsistere, saltem deberet subsistere per propriam personalitatem: ergo non potest dici per se subsistens.

Resp. Nego majorem. Ut enim natura substantialis dicatur complete per se subsistens, sufficit, quod habeat personalitatem sibi propriam, vel appropriatam. Humanitas autem Christi habet personalitatem Divinam appropriatam, ut in omnibus gerat vices propriæ personalitatis; unde tam potest dici substantia per se subsistens, quam quælibet alia natura humana.

Obj. 2. Quantitas in Eucharistia non est in alio, tanquam in subjecto; et tamen propterea non dicitur substantia, sed accidens: ergo substantia non est id, quod per se subsistit, et non in subjecto.

Resp. Distinguo antecedens: Quantitas in Eucharistia non est in alio, tanquam in subjecto, *actu*, concedo; *aptitudinaliter* et *exigitive*, nego. Licet enim, remota substantia panis in Eucharistiæ Mysterio, quantitas non sit amplius actu in subjecto, sed a Deo miraculose conservetur sine subjecto; semper tamen exigit connaturaliter subjectum, ita ut nisi divinitus conservaretur, periret remota substantia panis; et ideo semper est accidens: quia accidens est quod exigit inhærere subjecto; substantia vero id, quod exigit esse in se ipso, et non in alio, ut dictum est ex D. Thoma.

ARTICULUS SECUNDUS

QUOTUPLEX SIT SUBSTANTIA

Aristoteles divisit substantiam in Primam (1) et Secundam (2). Primam substantiam vocat individua; ut Petrum, Paulum, Socra-

---

(1) *Substantiam primam definivit Aristoteles*, id, quod neque in subjecto est, nec de subjecto dicitur: *per primam conditionem distinguitur ab* Accidente; *per alteram a substantiis* universalibus, *idest a substantiis secundis. Clarius; substantia prima dicitur* non esse in subjecto, *quia hoc est proprium accidentis, ut alteri inhæreat. Petrus enim non est in alio ut subsistat, sed est* in seipso. *Deinde* nec de subjecto dicitur; *idest non potest esse* prædicatum *seu attributum alicujus subjecti, quia Petrus non dicitur nisi de Petro. Efformando enim propositionem dicendum esset;* Petrus est Petrus.

(2) *Substantia secunda definitur ab eodem Aristotele*, id, quod in subjecto non est, sed de subjecto dicitur. *Quapropter* Homo *puta, prout notat* speciem *humanam, ac proinde conceptum universalem, non est in Petro sub ratione universali sed sub ratione individuali, ut fuse probavit auctor contra Scotum cum de universalibus ageret.* Dicitur *tamen* de subjecto; *idest* prædicatur, *et* attribuitur *subjecto, formando propositionem, ex. gr.* Petrus *est* homo.

tem, etc. Secundas substantias vocat genera et species; ut hominem, animal, vivens, etc. unde idem est, ac si divideretur substantia in singularem et universalem; ideoque ita divisio non est totius actualis in membra realiter distincta, sed ejusdem rei in diversos status, diversasque considerationes. Dicit autem Aristoteles, secundas substantias prædicari de primis, tanquam de subjecto; pro cujus intelligentia

Nota; quod subjectum est duplex, scilicet subjectum *Physicum*, et subjectum *Logicum* (1). Subjectum Physicum est, cui inhæret aliquod accidens; ut, Homo respectu scientiæ est subjectum Physicum, quia scientia inhæret homini. Subjectum vero Logicum est, de quo aliquid prædicatur; ut Petrus est subjectum Logicum hominis; nam de Petro prædicatur homo. Contingit autem, quædam prædicari de subjecto, licet non inhæreant illi ut subjecto Physico; ut notat Aristoteles c. 2. de Prædicam. Unde in hoc sensu secundæ substantiæ dicuntur prædicari de prima, non quod ei inhæreant ut subjecto Physico, sed quia identificantur cum illa; ideoque prima substantia dicitur earum subjectum, non quidem Physicum, sed Logicum.

Quæres, cur Aristoteles vocat *individua primas substantias;* genera vero et species *solum secundas substantias?*

Resp. Ex eodem Aristotele: Quia individua sunt maximæ substantiæ: cum enim substantia duo dicat, subsistere in se, et substare accidentibus, utrumque principalius convenit individuis; nam individua primo et per se substant accidentibus; non enim homo in communi ægrotat, vel currit, vel studet, sed hic homo in singulari, et præterea individua per se principalius subsistunt; genera enim et species non subsistunt nisi in individuis, cum quibus identificantur, ut species humana in Socrate, vel Platone (2).

---

(1) *Subjectum Physicum in Schola appellari etiam solet subjectum* inhæsionis, *quia Physicum* accidens *inhærere non potest nisi physico* subjecto. *Subjectum Logicum dicitur etiam subjectum* prædicationis, *quia Logici proprium est considerare res per modum* subjecti *et* prædicati, *ut patet exemplis in textu relatis.*

(2) *Est et alia D. Thomæ ratio, ut puto, clarior. q. 7. de*

Circa divisionem substantiæ quæritur, *quæ res sint* in ejus prædicamento, et præcipue *an substantia Divina.* Hæc difficultas celebris est, quam ideo sequenti paragrapho diligentius discutiendam suscipimus.

§. UNICUS

Quæ Substantiæ sint sub hoc prædicamento; præcipue, an Deus ipse.

Quantum ad substantias creatas, in primis certum est, corporeas, ut elementa, lapides, plantas, bruta, et homines, poni sub prædicamento substantiæ. De corporibus cœlestibus quidam dubitant propter Aristotelem, qui dicit quid corruptibile et incorruptibile differre genere: Cum igitur cœli vulgo habeantur incorruptibiles, videntur ii non posse poni sub eodem genere cum substantiis corruptibilibus; sed intelligendus est, vel de genere Physico, id est materia, quæ in cœlis, et in substantiis sublunaribus est diversæ rationis, ut dicemus in 2. Parte Physicæ; vel de genere subalterno, non vero de genere supremo, ita ut sensus sit, corpora cœlestia esse alterius generis a sublunaribus, quamvis ista duo genera proxima contineantur sub aliquo superiore, scilicet substantiæ corporeæ in communi: sicut animal et planta differunt genere, et tamen continentur sub genere viventis in communi.

De Angelis plures dubitarunt, *sintne in prædicamento substantiæ:* cum enim sint entia simplicia, id est, non componantur ex materia et forma, sed sint formæ subsistentes sine ullo corporis commercio, non videntur componi ex genere et differentia, ut sentit Durandus. Genus enim sumitur a materia, et differentia a forma; unde ubi non est materia, non videtur hà-

---

pot. a. 9. Prima *inquit*, intellecta sunt res extra animam in quæ Intellectus intelligenda fertur. *Sed res extra animam sunt individua, idest primæ substantiæ. Secunda vero substantia ita dicta est, quia* secunda intellecta dicuntur intentiones consequentes modum intelligendi; hæc enim secundo Intellectus intelligit, in quantum reflectitur supra seipsum, intelligens se intelligere, et modum, quo intelligit.

here locum compositio generis et differentiæ. Sed jam fere apud omnes constat, illos proprie contineri sub prædicamento substantiæ; sunt enim veræ substantiæ, finitæ, completæ, accidentibus substantes; in quibus genus desumitur ab essentia secundum id, quod est in ea potentiale; et differentia a forma secundum id, quod est in ea actuale; non enim sunt actus puri, sed potentialitate permixti. Et licet sint perfectiores rebus corporeis, possunt tamen convenire univoce cum illis in ratione substantiæ; sicut homo, licet formicis et vermibus longe præcellat, convenit tamen cum illis univoce in ratione animalis: Tota igitur difficultas est circa Divinam substantiam.

CONCLUSIO

Deus non continetur sub prædicamento substantiæ.

Sic censet S. Thomas 1. p. q. 3. a. 5. et aliis in locis. Idem docent SS. Patres. S. Dionysius, cum dicit, *Deum esse potius supersubstantiam, quam substantiam.* Clemens Alexand. l. 5. Stromatum c. 5. *Deus*, inquit, *neque genus, neque species, neque individuum est.* Et Auctor libri de Cognitione veræ vitæ, inter opera S. Augustini, recensitis prædicamentis, *Ab his omnibus*, inquit, *proprietas summæ substantiæ evidenti ratione excluditur.* Et ipse S. Augustinus lib. 4. Confession. c. 16. dolet, quod ante conversionem putaret, Deum in prædicamentis contineri.

Probatur ratione. Quod non constat genere et differentia non est in prædicamento; sed Deus non constat genere et differentia: ergo non est in prædicamento. Major certa est apud omnes: Nam prædicamenta sunt suprema genera; ideoque quod non est sub genere, non est sub prædicamento. Minor probatur: Actus purissimus non constat genere et differentia; sed Deus est actus purissimus: ergo non constat genere et differentia. Minor certa est. Probatur major; Actus purissimus non constat natura potentiali et actuali; sed genus est natura potentialis, et differentia est natura actualis: ergo actus purissimus non constat genere et differentia. Minor patet ex dictis supra. Major constat ex ipsis terminis; nam in actu purissimo ne vestigium quidem po-

tentialitatis apparere potest; potentialitas enim est veluti umbra actus, unde sicut lux purissima est, quæ caret omni umbra, ita purissimus actus, qui caret omni potentialitate. Argumentum est ex D. Thoma 1. p. q. 3. art. 5. et Opusc. 42. cap. 3.

Respondebis, Deum non componi secundum rem ex genere et differentia, bene tamen secundum nostrum modum concipiendi.

Sed contra. Etiam ex modo concipiendi, Deus est actus purissimus: ergo etiam ex modo concipiendi non est compositus ex genere et differentia. Probatur antecedens: Siquidem concipimus Deum cum exclusione omnis potentialitatis: ergo concipimus ipsum, ut actum purissimum. Probatur antecedens: Potentialitas est imperfectio; sed concipimus Deum cum exclusione omnis imperfectionis: ergo etiam cum exclusione potentialitatis.

Dices, nos quidem concipere Deum cum exclusione potentialitatis Physicæ, non tamen cum exclusione potentialitatis Metaphysicæ.

Sed contra. Etiam potentialitas Metaphysica est imperfectio: ergo non possumus Deum concipere cum potentialitate Metaphysica. Probatur antecedens; Quid enim intelligunt adversarii per *potentiam Metaphysicam?* sine dubio illam, quæ tendit ad actum Metaphysicum, et per illum perficitur: Est autem actus Metaphysicus, qui perficit, non quidem per modum formæ determinantis materiam, sed per modum actualitatis complentis et terminantis essentiam; atqui tendere ad talem actum, et perfici per ipsum, denotat aliquam imperfectionem, scilicet non esse perfectum in ordine Metaphysico: ergo etiam potentialitas Metaphysica est aliqua imperfectio. Deinde Deus debet concipi a nobis ut actus purissimus etiam in ordine Metaphysico: ergo et sine potentialitate Metaphysica.

Repones, Potentialitatem Metaphysicam in eo solum consistere, quod distinguamus duos conceptus, quorum unus determinatur et perficitur per alium; ideoque dicitur esse in potentia Metaphysica ad illum.

Sed contra. Non possumus tales concéptus per alios perfectibiles attibuere Deo: ergo nulla responsio. Probatur antecedens: Ut enim docent Theologi, cum tribuimus aliquem conceptum Deo, v. g. conceptum substantiæ, debemus ipsum attri-

buere remotis imperfectionibus, et prout dicit ultimam actualitatem suæ lineæ; alias enim talis conceptus Deo tribui non posset; atqui conceptus potentialis et ulterius perfectibilis non dicit ultimam actualitatem suæ lineæ, ut de se patet: ergo Deo tribui non potest. Verum de his operosius Theologi.

Confirmatur 1. Quæ sunt in prædicamento substantiæ, debent univoce convenire in ratione substantiæ; sed Deus non convenit univoce in ratione substantiæ cum creaturis: ergo non est cum illis sub prædicamento substantiæ. Major certa est: Prædicamentum enim est genus, quod debet esse univocum. Minor probatur: Univoca sunt, quæ eodem modo participant rationem nomine aliquo significatam; atqui ratio substantiæ, seu subsistere per se, non eo modo convenit Deo, quo creaturis: ergo non convenit univoce cum illis in ratione substantiæ. Probatur Minor. Deus subsistit, quatenus essentialiter est ipsum *esse* plenissimum; creatura vero, non quatenus est ipsum *esse* essentialiter, sed quatenus est essentia, cui debetur esse in se, et tenuis quædam participatio ac velut umbra *esse* divini; unde in scriptura Deus dicitur ipsum *esse*, creatura vero *tanquam nihilum, et quasi non esset coram eo:* ergo non eodem modo subsistit, ac Deus. Ratio est S. Thomæ 1. p. q. 3. art. 5.

Respondebis, diversitatem non tollere univocationem; et ideo, quamvis substantia creata sit diversa a Divina, posse tamen convenire cum ea univoce.

Sed contra. Licet diversitas, quæ attenditur secundum differentias additas rationi genericæ, ut secundum rationalitatem et irrationalitatem respectu animalis, non tollat univocationem; bene tamen quæ provenit ex ipsa ratione communi; sed Deus et creatura differunt in ipsa ratione communi substantiæ, ut mox ostendimus: ergo non conveniunt univoce in ratione substantiæ.

Confirmatur 2. Ens infinitum non continetur sub prædicamento; atqui Deus est Ens infinitum: ergo non continetur sub prædicamento. Probatur major: Ens infinitum non continetur sub aliqua entis parte; sed prædicamenta se habent ad Ens in communi, ut partes ad totum, quod dividunt: ergo ens infinitum non continetur sub prædicamento. Major evidens est; nam Ens infinitum dicit totam entis plenitudinem: si ergo esset sub aliqua

entis parte: totum esset sub parte, quod implicat. Minor vero constat: quia prædicamenta dividunt ens in varios essendi modos, sub ente ut sic, ut partes sub toto, contentos.

Objicies. Illud ponitur sub prædicamento substantiæ, cui convenit definitio substantiæ; sed Deo convenit definitio substantiæ: ergo ponitur sub prædicamento substantiæ. Probatur minor: Substantia prædicamentalis definitur, *Ens per se subsistens;* sed Deus est ens per se subsistens: ergo definitio substantiæ convenit Deo.

Resp. Nego minorem. Ad probationem distinguo: Deus est ens per se subsistens; *modo a creaturis diverso*, concedo; *eodem ac creaturæ modo*, nego. In definitione enim substantiæ creatæ ens per se subsistens non significat id quod essentialiter in se existit; nam existentia non est de essentia creaturæ; sed solum significat essentiam, cui convenit esse in se, supposito quod sit; at Deus dicitur per se subsistere, quatenus est essentialiter ipsum esse; unde alio modo est ens per se subsistens, ac creatura; proindeque *per se subsistere* non convenit univoce Deo et creaturæ. Solutio est S. Thomæ 1. p. q. 3. a. 5. Quam alii aliter exprimentes dicunt, substantiam creatam existere solum aptitudinaliter; Deum vero existere actualiter: quia substantia creata est solum susceptiva existentiæ; sed substantia Divina est ipsa existentia et subsistentia.

Ex his colligitur, quod licet conceptus, nomen, et definitio substantiæ tribuantur Deo; attamen non ipsi tribuuntur, nisi ut emendata et depurata ab omni potentialitate, quam dicunt in creaturis. Conceptus enim substantiæ, ejusque definitio in creaturis significat aliquem specialem modum essendi, contrahibilem per differentias, a quibus perficitur et actuatur; at vero applicatus Deo, non sumitur pro aliquo speciali modo essendi, sed pro tota plenitudine entis, seu pro ipso *esse* purissimo et nullo modo perfectibili per differentias superadditas: quo modo non potest habere rationem gradus generici respectu Dei, uti habet respectu creaturarum.

Instabis. Non repugnat, Deum componi ex genere et differentia: ergo nec poni in prædicamento. Probatur antecedens. Compositio rationis non repugnat Deo; sed compositio ex genere

et differentia est tantum rationis: ergo compositio ex genere et differentia non repugnat Deo. Probatur major: Deus non est magis simplex, quam unus; sed distinctio rationis non repugnat ejus unitati; ergo nec compositio rationis ejus simplicitati.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem nego majorem. Ad ejus probationem nego paritatem: nam distinctio rationis fundatur in eminentia Divinæ naturæ, quæ licet unica sit, æquivalet tamen infinitis perfectionibus; unde merito per rationem distinguitur in varia attributa; at vero compositio rationis fundatur in permixtione potentialitatis, et proinde in imperfectione; siquidem genus est natura potentialis et imperfecta, per differentiam perfectibilis; unde compositio rationis Deo repugnat.

Urgebis. Compositio est distinctorum unio: ergo si detur in Deo distinctio rationis, dabitur et compositio.

Resp. Distinguo antecedens: Compositio est unio distinctorum, *sese mutuo excludentium*, concedo; *sese mutuo includentium*, nego. Compositio enim est ex partibus: est autem de ratione partis, ut compartem excludat. Porro quæ per mentem in Deo distinguuntur, se nihilominus includunt; non enim ratio ita in eo distinguit sapientiam a bonitate, quin in ipso sapientiæ conceptu *implicite*, ut ajunt, includatur; sed de his Theologi.

Dices. Genus includit differentias, ut animal rationalitatem, et tamen componit cum illis compositione rationis: ergo licet in Deo unus conceptus includat alium, poterit cum illo componere Metaphysice, et per rationem.

Resp. Distinguo antecedens: Genus includit differentias *in potentia*, concedo; *actu*, nego. Ut autem aliquid possit componere cum alio, sufficit, quod non includat illud actu; at vero in Deo unus conceptus includit etiam actu omnes alios, saltem implicite, quamvis illos non exprimat, ut conceptus essentiæ actu includit conceptum existentiæ; unde in Deo non potest dari compositio etiam Metaphysica per rationem; sed de his plusquam satis pro captu Logici.

Quantum vero pertinet ad Christum, licet Scotus videatur negasse poni in prædicamento, etiam ratione naturæ humanæ, alii tamen affirmant; Christus enim cum conveniat cum aliis ho-

minibus in specie humana, convenire itidem debet in supremo genere speciei humanæ, scilicet substantia: ergo quatenus homo ponitur in prædicamento substantiæ.

Dices. Christus est Deus; sed Deus non ponitur in prædicamento: ergo nec Christus.

Resp. 1. Argumentum non esse in forma: nam variatur suppositio; Christus enim in majore supponit pro eo, ut subsistit in natura divina; in conclusione vero ut subsistit in natura humana.

Resp. 2. Distinguo majorem: Christus est Deus; *ratione naturæ Divinæ*, concedo; *ratione naturæ humanæ*, nego; et concessa minore, distinguo consequens: ergo Christus non ponitur in prædicamento; ut Deus est, seu ratione *naturæ Divinæ* concedo; ratione *naturæ humanæ*, nego.

Instabis. Sola natura non ponitur in prædicamento, sed etiam ipsum suppositum; atqui suppositum Christi est secunda Persona Divina: ergo vel Christus nec quidem ut homo ponitur in prædicamento, vel etiam Persona Divina est in prædicamento, ac proinde Deus.

Resp. Naturam poni in prædicamento, ut tamen completam per suppositum; unde suppositum per se et ratione sui non ponitur in prædicamento, sed solum complet substantiam, ut possit poni in prædicamento. Solutio sumitur ex D. Thoma 3. p. q. 2. art. 3. ad 3.

Urgebis: Ergo suppositum Divinum saltem reductive ponitur in prædicamento. Probatur consequentia: Complementum ejus quod ponitur in prædicamento, reductive pertinet ad prædicamentum; sed suppositum Divinum est complementum substantiale naturæ, quæ ponitur in prædicamento, scilicet Humanitas Christi: ergo reductive pertinet ad prædicamentum.

Resp. Nego consequentiam. Ad probationem distinguo majorem: complementum naturæ, quæ ponitur in prædicamento, reductive pertinet ad prædicamentum; *complementum essentialiter ordinatum* ad talem naturam, concedo; complementum non ordinatum ad talem naturam, sed solum *supernaturaliter se extendens* ad illam perficiendam, nego. Suppositum autem Divinum non ordinatur ad naturam humanam, sed solum se exten-

dit supernaturaliter ad illam perficiendam; unde non debet propterea ad prædicamentum reduci cum ea, saltem eo modo, quo partes et modalitates reducuntur ad prædicamentum.

Dices. Suppositum Divinum facit omnia, quæ faceret suppositum creatum respectu naturæ humanæ in Christo; sed suppositum creatum reductive pertinet ad prædicamentum substantiæ: ergo et Divinum.

Resp. Distinguo majorem: Suppositum Divinum facit omnia, quæ faceret suppositum creatum; quantum ad ea, quæ non important imperfectionem, concedo; quantum ad ea, quæ important imperfectionem, nego. Reduci autem ad prædicamentum, importat imperfectionem. Ideo enim suppositum creatum reducitur ad prædicamentum substantiæ, quia est aliquid incompletum, et modus quidam substantialis: id vero non convenit supposito divino; unde suppositum divinum quantum ad hoc, quod est reduci ad prædicamentum, non supplet vices suppositi creati.

ARTICULUS TERTIUS

DE PROPRIETATIBUS SUBSTANTIÆ, ET COORDINATIONE HUJUS PRÆDICAMENTI

Sex proprietates substantiæ referuntur ab Aristotele, quæ ut breviter explicentur, notandum est, eas non esse proprietates physicas, sed solum attributales; id est, non esse aliquid realiter distinctum a substantia, sed solum esse quasdam notiones secundarias, quæ attribui solent substantiæ.

Prima proprietas substantiæ est *non inhærere subjecto*, siquidem in hoc differt ab accidente; et hæc proprietas convenit tam primis, quam secundis substantiis.

Secunda proprietas est *non habere contrarium rigorose sumptum:* nam contraria sunt, quæ ab eodem subjecto se expellunt; unde, sicut substantia non est in subjecto, ita nec potest aliam expellere a subjecto; attamen rationem contrariarum qualitatum nihil vetat substantias inter se pugnare, ut ignis pugnat cum aqua ratione frigoris et caloris, humiditatis et siccitatis.

Tertia proprietas est *non suscipere magis, aut minus:* li-

cet enim quædam substantiæ sint digniores aliis, ut Angeli hominibus, et homines brutis; eadem tamen substantia non est modo magis, modo minus substantia; sicut idem calor est modo major, modo minor.

Quarta proprietas, quæ videtur magis exacta, est *esse subjectum contrariorum;* siquidem cum substantia sit subjectum et basis accidentium, potest suscipere accidentia contraria; ut: Cœli suscipiunt diversos motus, Angeli diversas inclinationes, Elementa diversas qualitates, etc.

Quinta proprietas est *prædicari univoce de inferioribus:* et hæc convenit solum secundis substantiis, quæ prædicantur de primis.

Sexta demum proprietas est, *esse hoc aliquid;* id est, aliquid per se subsistens, et substantive expressum, ad differentiam accidentium, quæ solum significant *quale*, et exprimuntur adjective.

Porro prædicamentum substantiæ ita ordinari potest. Supremum genus est substantia creata in communi, quæ dividitur in spiritualem et corpoream. Substantia spiritualis, seu spiritus dividitur in varias species Angelorum: corpus vero dividitur in incorruptibile, ut sunt cœli; et corruptibile, ut sublunaria. Corpus incorruptibile dividitur in cœlos et astra; cœli in varias sphæras, et astra in planetas et stellas fixas subdividuntur. Corpus autem corruptibile dividitur in simplex et mixtum. Corpus simplex dividitur in quatuor elementa. Corpus vero mixtum in inanimatum, ut sunt lapides; et animatum, ut sunt plantæ. Corpus animatum, seu vivens, dividitur in insensibile, ut sunt arbores; et sensibile, ut est animal. Corpus sensibile, seu animal, dividitur in rationale, seu hominem; et irrationale, quod rursus dividitur in varias animantium species, de quibus in Physica. (1)

---

(1) *Hæc generum, ac specierum coordinatio, quam Auctor in textu exhibet, quædam explicatio, et subdivisio est* Arboris Porphyrianæ *a Porphyrio dictæ, quod ipse primus conflaverit ad arboris cujusdam similitudinem, et ad ostendenda et distinguenda* Prædicabilia, *seu quinque* Universalia, *ut ex subjecto schemate apparet.*

QUÆSTIO TERTIA

De Quantitate

Primum accidens, quod immediate afficit substantiam corpoream, est Quantitas, qua etiam mediante cætera suscipit accidentia; unde post substantiam de quantitate dicendum. 1. Quid sit. 2. An a substantia realiter distincta sit. 3. Quotuplex sit. 4. Quæ sint ejus proprietates.

ARTICULUS PRIMUS

QUID SIT QUANTITAS

In substantia quantitate affecta quinque observantur. *1. Extensio partium in ordine ad se*, id est, distributio in varias partes, quarum una est extra aliam. 2. *Extensio in ordine ad locum*, seu occupatio certi loci. *3. Impenetrabilitas*, quia scilicet

---

Incorporea —	Substantia	— *Corporea*
Non vivens —	Corpus	— *Vivens*
Non sentiens —	Vivens	— *Sentiens*
Irrationale —	Animal	— *Rationale*
	Homo	
	Petrus	

Quatuor superiora vocantur genera; homo *species*, Petrus *Individuum. Quæ latera tenent vocantur* differentiæ, *quæ exprimuntur per modum* adjectivi. *Atque inde patet, quid intersit inter* Prædicamentum, *et* Genus supremum. *Prædicamentum est ipsa series generum a supremo ad Individuum; Genus supremum est illud, quod primum locum in serie occupat. Individuum appellatur* substantia prima *ut infra patebit; genera vero, et species dicuntur* substantiæ secundæ, *ac proinde quo propinquiores hæ sunt Individuis, eo magis perfectionem substantiæ* primæ *attingunt.*

Notat D. Th. 1. p. q. 3. a. 5. in Arbore Porphyriana non sumi initium ab Ente *quia Ens, cum sub se non habeat differentias, non potest esse genus; quæ causa est cur apud Scholasticos recte dicatur, suprema illa genera* non posse exacte definiri. *Nihil enim habent supra se nisi* Ens.

substantia extensa ita sibi suum vindicat locum, ut aliam in eo admittere secum nequeat. *4. Divisibilitas in partes. 5. Mensurabilitas*, ut panni quantitatem palmis, viæ longitudinem passibus metimur. Hæc omnia sine dubio substantiæ conveniunt ratione quantitatis; nam substantiis quantitatis expertibus non competunt, ut Angelis, quos nemo dixerit extendi in partes, diffundi in loco, expellere ab eo corpora, etc. Itaque in eorum aliquo essentiam quantitatis consistere oportet: nunc quæritur, cui horum id muneris competat.

Variæ sunt sententiæ. Quidam censent, essentiam quantitatis constitui per extensionem localem. Alii per impenetrabilitatem. Alii per divisibilitatem in partes. Alii per mensurabilitatem.

CONCLUSIO

Essentia quantitatis consistit *in extensione partium:* cætera vero ejus *sunt attributa;* unde essentialiter definitur, *Accidens extensivum substantiæ in partes.*

Sic censet S. Thomas, qui præfatam definitionem tradit Opusc. 41. et 4. contra Gentiles c. 65. *Positio*, inquit, *quæ est ordo partium in toto, in ratione* (id est, essentia) *quantitatis includitur.*

Probatur ratione. Constitutivum rei, seu essentia ejus dicitur, quod est primum in re et radix eorum omnium, quæ illi conveniunt; atqui extensio in partes est primum in quantitate, et radix aliorum, quæ ei conveniunt: ergo est ejus constitutivum, seu ejus essentia. Declaratur minor: Nam prius est habere partes, quam eas in loco esse, alias a loco expellere, etc. idque radix est aliorum; ideo enim quantitas implet locum, quia partes habet, quibus illum occupet; ideo alias quantitates a loco expellit, quia cum suis partibus implet; ideo dividitur in partes, quia illis constat; ideo mensurabilis est, quia extenditur in partes: ergo extendi in partes prius est in quantitate, et aliorum radix.

Confirmatur. Essentia rei est, qua intellecta res statim intelligitur; atqui seclusis omnibus aliis, ubi primum in re intelligimus extensionem in partes, eam esse quantam clare percipi-

mus; ut numerum, motum, tempus esse quanta intelligimus, non quod locum proprie occupent, aut impenetrabilia sint proprie, sed quia extenduntur in partes: ergo extendi in partes est essentiale constitutivum quantitatis.

Adde tandem, corpus Christi in Eucharistia esse cum propria quantitate; et tamen in hoc sacramento non extenditur localiter, est enim totum in qualibet particula specierum: non potest actu dividi, non enim dividitur divisis speciebus: nec itidem mensurari, nam in minimo totum est: nec demum exercet ibi impenetrabilitatem, cum sit in eodem loco, ac quantitas panis: ergo non hæc omnia, sed sola extensio in partes constituit quantitatis essentiam.

Respondent Adversarii, Christi corpus hæc omnia habere in Eucharistia, non quidem in actu exercito, sed aptitudinaliter et radicaliter.

Verum hæc responsio ad nostram redit sententiam; nam hæc radix extensionis localis, impenetrabilitatis, divisibilitatis, quam radicem solam retinet Corpus Christi in Eucharistia, et ob quam etiam in ea dicitur suam habere quantitatem, licet actu cætera non habeat, alia non est, quam extensio in partes, quatenus scilicet etiam in Eucharistia caput est distinctum a pectore et a brachiis, licet in eodem loco existant.

Obji. 1. Varias D. Thomæ auctoritates, in quibus dicit quantitatem consistere in divisibilitate, aut in mensurabilitate.

Resp. D. Thomam iis in locis, vel solum describere quantitatem per suas proprietates; vel intelligendum esse de mensurabilitate et divisibilitate radicali, quæ nihil aliud est, quum ipsa extensio partium in se ipsis.

Obji. 2. Substantia sine quantitate habet partes integrantes: ergo extensum esse in partes non est essentiale constitutivum quantitatis.

Resp. Distinguo antecedens: Substantia sine quantitate habet partes *radicales* et *potentiales*, concedo; *actuales*, nego. Ostendemus enim in quarta parte Physicæ q. 2. substantiam sine quantitate esse indivisibilem, nec ullas habere partes, nisi radicaliter.

ARTICULUS SECUNDUS

AN QUANTITAS REALITER A SUBSTANTIA DISTINGUATUR

Negant Nominales. Epicurei etiam negasse videntur; nam in Atomis, quas ut primordiales substantias habent, nihil nisi extensionem et figuram agnoscunt. Cartesius expressius censet, extensionem esse corporeæ substantiæ essentiam.

CONCLUSIO

Quantitas a substantia realiter distinguitur. Sic censuit Aristoteles 7. Metaph. text. 8. *Longitudo*, inquit, *latitudo et profunditas quantitates quædam sunt, sed non substantia. Quantitas enim non est substantia.* Idem docet S. Thomas 3. p. q. 77. art. 2. et cum eo communiter Theologi ac Philosophi.

Probatur 1. ratione. Quantitas est accidens reale: ergo realiter a substantia distinguitur. Consequentia est evidens: nam accidens reale est res addita substantiæ, ipsique inhærens. Probatur antecedens; et in primis quod sit quid reale constat: non enim est negatio, non mera denominatio extrinseca, non ens rationis; sed aliquid positivum in re existens. Quod vero sit accidens, suadetur primo, quia inter novem prædicamenta accidentalia reponitur ab omnibus. Secundo etiam ratione: Accidens est, quod non dat *esse* simpliciter, sed solum *esse* secundum quid; sed quantitas non dat *esse* simpliciter, sed solum *esse* secundum quid: ergo est accidens. Probatur minor: Quantitas dat extendi in partes: atqui *extendi* est *esse* quoddam secundarium; nam *extendi* supponit, rem esse, quæ extendatur: ergo quantitas dat solum *esse* secundum quid.

Illustratur hæc ratio a pari. Extendi non magis est esse simpliciter, seu subsistere in se, quam moveri, calere, lucere; ut enim clare concipimus prius corpus esse debere in se, quam moveatur, aut luceat, aut caleat; ita pariter corpus prius esse aliquid in se subsistens, quam extendatur: ergo sicut moveri, calere, lucere, non sunt ipsa rei substantia, sed accidentia ab ea distincta, eique addita; ita et extendi. Unde sicut corpus non

censetur mutari essentialiter, cum magis, aut minus lucet, aut movetur; ita nec rarescendo magis, quam antea extenditur.

Confirmatur contra Cartesium. Quod clare intelligitur non intellecta substantia, non est essentia substantiæ, ut evidens est ex terminis; atqui Mathematicus clare intelligit, et ut rem per se notam supponit, fluxu puncti generari extensionem in longum, quam vocat *Lineam;* fluxu lineæ generari extensionem in longum et latum, quam vocat *Superficiem;* ac demum fluxu superficiei aliam generari extensionem in longum, latum et profundum, quam vocat *Solidum;* nec tamen hæc omnia ut res subsistentes clare apprehendit, sed ut meras dimensiones ab omni subjecto abstractas: ergo essentia substantiæ non est extensio. Et urgetur amplius: Si essentia substantiæ esset extensio; variæ species extensionum essent variæ species substantiarum, nam omnes essentialiter sunt extensiones; atque ita linea et superficies essent species substantiæ, quod nec ipse Cartesius admittit. Nec dicas, extensionem in longum et latum non sufficere ad constituendam substantiam, nisi tertia, nempe in profundum, illis accedat; nam extensio in profundum dicit tantum novum modum dimensionis, non vero aliquid magis per se subsistens, quam aliæ extensiones: ergo non constituit substantiam.

Probatur 2. Conclusio. Quæ separantur, distinguuntur realiter; sed in mysterio Eucharistiæ quantitas panis separatur ab ejus substantia; hæc enim non manet, illa remanet; ergo realiter distinguuntur.

Respondent Nominales, non manere quantitatem panis, sed solum quantitatem accidentium panis.

Sed contra. Non potest esse alia quantitas accidentium, et alia quantitas substantiæ; nam vel illa quantitas accidentium penetrari potest a quantitate substantiæ, vel non. Si non: ergo substantia panis non potuit esse in eodem loco cum suis accidentibus; quod tamen falsum est, nam panis ante consecrationem, et ejus accidentia in eodem loco erant. Si vero quantitas accidentium penetrari potest a quantitate substantiæ: ergo accidentia Eucharistica non impedient, quin aliqua substantia possit intra illa locari, quod tamen falsum convincit experientia.

Respondent Cartesiani, res philosophicas non debere proba-

ri ex mysterio fidei: quia quæ ratio nostra non capit, non potest in argumentum trahere.

Sed contra. Mysteria fidei et sunt et supponi debent verissima: ergo quidquid necessario ex illis deducitur, verissimum est censendum; ex vero enim nunquam sequitur falsum, immo ad nullam certiorem regulam nostra ratiocinia possumus conferre. Ut enim nautæ ancipites et incertos in mari cursus dirigunt inspiciendo certissimas syderum vias, atque ex illis errores suos deprehendunt et emendant; ita naturales discursus dirigere ac corrigere debemus, eos, quantum fas est, ad divinas fidei veritates conferendo: ut merito Pythagoras dixerit, *Divina oracula multum ad Philosophiam conducere.*

Obji. Intellecta trina dimensione, intelligitur corpus; immo corpus definitur, quod est extensum in *longum*, *latum*, et *profundum*: ergo extensio est essentia substantiæ corporeæ.

Resp. Distinguo antecedens: Intelligitur corpus, *Mathematicum*, concedo; *Physicum*, nego. Equidem Mathematici vocant *corpus*, quod trina dimensione constat; verum illud corpus non habent pro substantia, sed pro nuda quantitatis specie: unde dicunt, procreari ex fluxu superficiei. Porro fluxus ille non ingenerat nobis ideam substantiæ, sed solum dimensionis.

Instabis. Nec Physicus ipse aliud intelligit per corpus, nisi aliquid extensum in longum, latum et profundum; ergo hæc extensio est corpus Physicum.

Respondeo. Nego antecedens; nam Physicus per corpus intelligit substantiam exigentem quidem hanc trinam dimensionem, sed quæ sit aliud ab ea: corpus enim physicum est agendi, ac patiendi principium, atque aliis affectionibus præditum, quæ ad nudas ejus dimensiones referri nequeunt; unde Physicus intelligit, his dimensionibus subesse quædam substantialia principia, quæ substantiam corpoream constituant, atque sint actionum, passionum, affectionumque, quas in rebus naturalibus cernimus, principia, sicci, calidi, frigidi, humidi, motus, vegetationis, sensus, etc. Verum de his amplius in Physica.

ARTICULUS TERTIUS

QUOTUPLEX SIT QUANTITAS

Quantitas duobus modis vulgo sumi solet. *1. Proprie*, pro extensione dimensiva. 2. *Metaphorice*, pro præstantia virtutis. Prior solis rebus corporeis convenit, et hoc constituit Prædicamentum. Altera vero dicitur etiam de rebus Spiritualibus, de qua S. Augustinus lib. 6. De Trinit. c. 8. *In his*, inquit, *quæ non mole magna sunt, sed virtute, hoc est majus esse, quod melius esse.*

Hæc autem quantitas virtutis, seu perfectionis attenditur tripliciter. 1. Quantum ad præstantiam naturæ. 2. Quantum ad durationem *esse*. 3. Quantum ad virtutem agendi. Quos tres modos complexus est D. Augustinus cum ait lib. de Fide ad Petrum cap. 1. *Æqualitatem* (quæ est proprietas quantitatis) *intelligi de Personis Divinis, in quantum nulla ipsarum aut præcedit æternitate*, (idest, duratione) *aut excedit magnitudine*, (idest, præstantia naturæ) *aut superat potestate*, idest, agendi virtute.

Quantum vero ad quantitatem dimensivam, divisi sunt Auctores in assignandis ejus speciebus. Huic discordiæ locum fecit Aristoteles, qui plures species quantitatis enumerat in Logica, quas rejicit in Metaphysica, ubi tradit exactiorem quantitatis divisionem. Referemus hic species omnes, sive proprias, sive improprias: in sequentibus vero articulis discutiemus, quæ habendæ sint propriæ, et quæ impropriæ. Divisio autem quantitatis desumi debet ex ejus definitione, qua dicitur *Accidens extensivum substantiæ in partes, seu extensio partium in se ipsis;* ideoque juxta varios modos extensionis in partes erunt variæ species quantitatis.

Quantitas itaque in communi dividitur in *permanentem* et *successivam.*

Quantitas permanens est extensio in partes simul existentes: sic linea, superficies, extensæ sunt in partes, quæ simul sunt in toto. Quantitas successiva est extensio in partes successive fluentes: sic dies extenditur in horas, quæ non simul sunt, sed sibi succedunt.

Quantitas successiva dividitur in *Tempus* et *Orationem*. Tempus est successio continua motus, seu potius mensura hujus successionis. Oratio vero hic sumitur, non ut in Logica minore pro voce significativa, sed pro voce, aut sono quovis pluribus partibus, quarum aliæ aliis breviores, aut longiores sunt, sibi succedentibus composito: ut dum pronuntiamus *Dominus*, hic sonus tribus partibus brevibus constat; at *Mortalis* tribus longioribus morulis componitur. Itaque tempus est extensio successiva continua: Oratio vero est extensio successiva quidem, sed constans partibus ab invicem distinctis: ut Cantilena non uno sono continuo tractu prolato constat, sed pluribus sonis distinctis, ac sibi succedentibus, quorum alii breviores, alii protractiores sunt. Sub oratione continentur omnes soni, tum voce, tum sonoris instrumentis modulati, ut plectro, cythara, fistula, organis. Sic sumpta oratio definitur. *Vox aggregata ex pluribus distinctis sonis, eam mensurantibus et sibi succedentibus.*

Quantitas permanens dividitur in permanentem *continuam*, et permanentem *discretam*; seu in quantitatem *Molis*, et quantitatem *Multitudinis*. Quantitas permanens continua, seu *Molis*, est extensio in partes simul existentes, ac invicem unitas: ut lineæ partes simul sunt et uniuntur. Quantitas permanens discreta est extensio in partes simul existentes, sed ab invicem disjunctas: hæc dicitur *Numerus*, sub quo variæ species numerorum continentur.

Quantitas permanens continua dividitur in *Lineam*, *Superficiem* et *Solidum*, seu Corpus. Linea est extensio permanens continua *in longum tantum*. Superficies, extensio *in longum* et *latum*. Solidum, seu Corpus, extensio *in longum*, *latum* et *profundum*.

Ubi nota, quod etiam supra diximus, corpus duobus modis sumi. *1. Physice*, pro substantia, cui convenit extensio illa in longum, latum et profundum. *2. Mathematice*, pro illa ipsa nuda extensione in longum, latum, et profundum. Hic corpus sumitur hoc posteriore sensu; nam si sumeretur pro ipsa substantia, non posset annumerari inter species quantitatis, cum substantia sit alterius prædicamenti.

Dices, Divisio vitiosa est, cujus una pars aliam includit; sed

in hac divisione corpus includit extensionem in latum et longum, quæ est Superficies; hæc vero includit extensionem in longum, quæ est Linea: ergo vitiosa est.

Resp. Distinguo majorem. Divisio vitiosa est, cujus partes se includunt *formaliter* sumptæ, concedo; *materialiter* solum et *præsuppositive*, nego. Et ad minorem, Corpus includit Superficiem, et Superficies Lineam formaliter, nego; materialiter et præsuppositive, concedo; itaque vitiosa est quidem divisio, cum una pars formaliter, id est, secundum suam propriam differentiam, includit aliam, ut si quis divideret animal in rationale, irrationale, et brutum: irrationalitas enim est propria bruti ab homine differentia; at citra vitium divisio fit in membra, quorum plerumque unum includit aliquid alterius, non ut propriam differentiam, aut ut est differentia alterius; sed ut aliquid a propria differentia præsuppositum. Sic dividitur numerus in binarium, ternarium, quaternarium, etc. quorum posterior priores materialiter includit; sic figura in triangulum, et quadratum; sic vita in vegetativam, sensitivam, et rationalem. Hoc modo quantitas sine vitio dividitur in eam, quæ est tantum extensa in longum; et eam, quæ præter longitudinem habet latitudinem; et demum in eam, quæ duabus his dimensionibus tertiam adjicit; non enim constituitur formaliter secunda pars per idem, ac prima, licet illud materialiter habeat, sed per id, quod ei addit; et rursus prima non constituitur per id, quod est in secunda materialiter sumptum, sed formaliter ut negat differentiam secundæ; ut, Linea constituitur per longitudinem solam; Superficies per latitudinem longitudini adjectam, sed negantem profunditatem.

Superficies dividitur in Superficiem *simpliciter dictam*, et Superficiem *continentem*, quæ vocatur *Locus*. Superficierum enim quædam continet et ambit aliquod corpus, ut superficies dolii continet vinum; superficies aquæ continet piscem: et superficies aeris me ambientis continet corpus meum: quædam vero non continet aliud corpus intra se. Prima superficies dicitur *Locus*, qui solet definiri, *Superficies concava corporis ambientis*; Secunda vero dicitur *Superficies* simpliciter.

ARTICULUS QUARTUS

UTRUM LOCUS, TEMPUS, MOTUS, ET ORATIO SINT PROPRIÆ SPECIES QUANTITATIS

In superiore articulo divisimus quantitatem in omnes suas species sive proprias, sive improprias. Modo quærimus, utrum ista tria, *Oratio*, *Tempus* et *Locus*, sint reponenda inter species proprie dictas; quibus adjungimus *Motum*, quia licet Aristoteles nusquam eum reposuerit inter species quantitatis, quidam tamen illum cæteris annumerant.

PRIMA CONCLUSIO

Locus non est species quantitatis distincta a superficie. Conclusio est D. Thomæ, et Aristotelis, qui licet in Logica reposuisset locum inter species quantitatis, in Metaphysica tamen expresse dicit, non esse speciem diversam a Superficie.

Probatur ratione. Cum enim quantitatis essentia sita sit in extensione, juxta varios extensionis modos distinguendæ sunt quantitatis species; atqui Locus non addit novum modum extensionis supra Superficiem: ergo nec distinctam speciem quantitatis. Major patet. Probatur minor: Locus enim supra Superficiem dicit solum, continere aliquod corpus; nam locus definitur, Superficies ambiens et continens corpus; sed ambire corpus non est novus modus extensionis, ut patet: ergo Locus non addit novum modum extensionis.

SECUNDA CONCLUSIO

Motus non est species quantitatis; ita Aristoteles censet ubique; nam neque in Logica, neque in Metaphysica eum accenset speciebus quantitatis, immo rejicit inter Postprædicamenta.

Probatur. Species prædicamenti debet esse aliquid in suo genere completum; atqui motus proprie sumptus non est aliquid in suo genere completum; est enim fieri quoddam, tendens ad factum esse; ut, calefactio est fieri caloris, id est, ipse calor

imperfecte acquisitus et per modum tendentis ad perfectiorem statum: ergo non est species prædicamenti, sed aliquid imperfectum, quod reduci debet ad prædicamentum sui termini.

TERTIA CONCLUSIO

Tempus non est proprie dicta species quantitatis; ita censere videtur Aristoteles, atque cum eo S. Thomas 4. Metaph. lect. 15. ubi acrius expendens quantitatis species, *Tempus*, uti et *Motum* ab illis excludit.

Probatur ratione. Duratio non constituit speciem prædicamenti, sed reducitur ad speciem rei, cujus est duratio; sed Tempus ex genere suo est quædam species durationis; definitur enim, *Duratio rei variabilis*: ergo non constituit speciem prædicamenti. Et sane si Tempus sit species prædicamentalis, non video, cur Ævum et Æternitas, saltem participata, non constituant etiam speciem aliquam prædicamentalem: sunt enim perfectiores durationes, quam Tempus.

Confirmatur ratione Aristotelis, et S. Thomæ. 5. Metaph. lect. 15. Quod non est per se extensum, non est, saltem proprie, species quantitatis; atqui tempus non extenditur per se, sed ratione motus: ergo non est proprie species quantitatis. Major est evidens ex terminis. Minor declaratur. Duratio non est per se extensa, sed ratione rei, cujus est duratio: est enim de se permanentia rei in *esse;* quod *esse* si sit indivisibile, duratio erit indivisibilis; si vero sit *esse* divisibile et fluenter extensum, consequenter et ipsa duratio erit extensa; atqui Tempus est duratio motus: ergo non extenditur ratione sui, sed ratione motus, quatenus *esse* motus non totum simul existit, sed per partes successive fluit.

Nec tamen inde inferas contra 2. Conclusionem, Motum per se extendi, atque adeo esse proprie speciem quantitatis; nam rursus Motus extenditur ratione alterius, nempe ratione medii, quod est inter terminum, *a quo*, et terminum, *ad quem*: motus enim est quoddam *fieri*, seu progressus a termino, a quo, ad terminum, ad quem; unde si termini illi sint immediati, motus est instantaneus et indivisibilis, ut motus a vita ad mortem;

si vero inter terminos sit aliqua latitudo, motus est extensus successive, ut motus a parvo calore ad magnum; ab hoc loco ad alium dissitum; itaque nec motus, nec tempus per se extensa sunt, sed tempus propter motum, motus vero propter medium, in quo fit.

Dices contra primam et secundam conclusionem. Specialis modus extensionis in partes, est species quantitatis; sed tempus et motus important specialem modum extensionis in partes, nempe extensionem sucessivam: ergo et speciem quantitatis.

Resp. Distinguo majorem: Si illa extensio *sit per se extensio*, concedo; si solum sit extensio *ratione alterius*, et quasi per *accidens*, nego; vel, si illa extensio dicat ens completum et ad aliud non reductum, concedo; si dicat ens solum incompletum et ad aliud reductum, nego. Porro jam ostendimus, motum et tempus reduci ad alia entia; ac præterea non extendi ratione sui, sed ratione alterius; unde licet importent quendam specialem modum extensionis, is tamen non satis est, ut *species quantitatis* proprie dicatur, sed solum minus proprie; nam fatemur, extensionem successivam aliquo modo esse speciem quantitatis, sed minus exactam; unde quæstio fere est de solo nomine.

QUARTA CONCLUSIO

Oratio non est proprie species quantitatis ab aliis distincta. Conclusio est contra Complutentes et aliquos alios Thomistas; quam tamen tenet Cajetanus et Joannes a S. Thoma cum pluribus aliis; et desumitur ex Aristotele 5. Metaph. et D. Thoma ibidem lect. 1. ubi recensendo proprias species quantitatis, omittunt orationem.

Probatur ratione. Oratio non addit specialem modum extensionis: ergo non est proprie species quantitatis ab aliis distincta. Probatur antecedens: Oratio nihil aliud est, quam vox aggregata ex pluribus sonis distinctis et sibi succedentibus; sed talis vox non addit specialem extensionem. Probatur minor: Omnis extensio, quæ reperitur in voce ex pluribus syllabis successive prolatis constante, vel est extensio multitudinis, in quantum illæ syllabæ sunt multæ, ut dum dico *Dominus*, sunt tres syllabæ

hanc orationem componentes, et sic reducitur oratio ad *numerum*; vel illa extensio est durationis, in quantum una syllaba velocius et alia tardius profertur, et sic Oratio reducitur ad *tempus*: ergo oratio non dicit specialem extensionem.

Dices. Cur igitur Aristoteles in Logica, et D. Thomas Opusc. 48. enumerant Orationem, Tempus et Locum inter species quantitatis?

Resp. ex D. Thoma 5. Metaph. Quia Aristoteles in Logica non ita exacte quantitatis naturam discussit, sed solum eam consideravit in ratione mensuræ; unde secundum varios modos mensuræ distinxit varios modos quantitatis; at vero in Metaphysica, ubi eam exactius discussit divisionem in Logica factam, ad eas solum species reduxit, quæ proprie pertinent ad genus quantitatis, quapropter omisit Locum, Tempus, et Orationem.

ARTICULUS QUINTUS

AN NUMERUS SIT SPECIES QUANTITATIS

De Numero, cum nullo alio in loco ejus recurrat mentio, hic paullo fusius dicemus. Definitur, *Multitudo mensurata per unum*; nam ut notat S. Thomas Opusc. 48. sæpius replicata unitate mensuramus multitudinem, et quanta sit agnoscimus; ut unitas duodecies repetita multitudinem Apostolorum metitur; vel dicitur *Multitudo mensurata per unum*, quia ex accessu, aut recessu ab unitate, paucitas, aut magnitudo multitudinis agnoscitur; ut longitudo, vel brevitas lineæ ex accessu, aut recessu a puncto eam inchoante.

Sed notandum, Unitatem, seu Unum, duobus modis dici, *Transcendentaliter* et *Quantitative*. Unitas transcendentalis est ipsa rei entitas, ut indivisa in se, et divisa ab aliis; unde cum per propria principia res constituatur indivisa in se, et divisa ab aliis, unitas transcendentalis non est quid distinctum ab ente. Unitas quantitativa est unio partium quantitatis inter se, ac divisio ab aliis. Porro hæc unio, aut divisio partium non est ex ipsis principiis quantitatis, sed ipsi accidit; nam quantitas ex se di-

visibilis est, et ideo ex se non negat divisionem. Quod ergo sit una, aut ex una duplex fiat, hoc ei accidentale est; unde unitas quantitativa est accidens quoddam, ab ipsa re quanta distinctum ut docet S. Thomas 1. p. q. 12. art. 1.

Hinc multitudo duplex est, *Transcendentalis* et *Quantitativa*. Transcendentalis est, quæ constat unitatibus transcendentalibus. Quantitativa, quæ quantitativis. Transcendentalis multitudo non pertinet ad genus quantitatis, sed divagatur per omnia genera, ut multos Angelos dicimus, multas species substantiarum, qualitatum, relationum, etc. immo proprie non est numerus; nam numerus constare debet unitatibus ejusdem rationis, unde duæ lineæ et duæ superficies non faciunt unum numerum quaternarium, sed duos binarios. Porro multitudo aliarum rerum a quantitate non constat unitatibus ejusdem rationis: quia solius quantitatis proprietas est dividi in partes ejusdem rationis, ut una linea in duas lineas divisibilis est; at non unus Angelus in duos Angelos; itaque multitudo rerum quantitate carentium proprie numerum non facit, nec pertinet ad speciem quantitatis, licet improprie et metaphorice numerus quantitativus illi applicetur; ut cum dicimus, tres esse in Deo personas, quatuor esse virtutes Cardinales; nam familiare nobis est mensuras corporeas rebus incorporeis aptare, ut cum Angelorum durationem nostris annis mensuramus. Sola ergo multitudo unitatum ex divisione quantitatis provenientium *Numerus* proprie dicitur, et ad prædicamentum quantitatis pertinet: hæc enim est extensio in partes ejusdem rationis, quod quantitatis proprium est.

Porro Numerus quantitativus duobus modis spectari potest. 1. ut concretus rebus ipsis, et hic dicitur *Numerus numeratus*. 2. ut ab illis abstractus, nam mente abstrahimus varias numerorum rationes, quas cyphris exprimimus, ac quibus rerum multitudinem numeramus, unde *Numerus numerans* dicitur. Dum quæritur, an Numerus sit species quantitatis, quæstio procedit, non de numero concreto, qui ipsas res importat, et ideo non unam, sed multas essentias involvit; sed de numero abstracto, qui puram numeri essentiam dicit.

His ita explicatis, plerique negant, numerum esse speciem quantitatis. Affirmant vero Thomistæ, et Scotistæ, ac plerique alii.

CONCLUSIO

Numerus est vera, et proprie dicta quantitatis species; ita censet Aristoteles, et cum eo S. Thomas; nam in Metaphysica lib. 5. cap. 15. ubi exactius expendunt quantitatis species, illis Numerum accensent.

Probatur. Specialis modus extensionis in partes est specialis quantitas; sed Numerus dicit specialem modum extensionis in partes: ergo dicit specialem quantitatem. Major est certa: nam quantitas consistit in extensione partium; unde specialis extensio constituit specialem quantitatem. Minor vero probatur: Extensio multitudinis, et in partes discretas, est specialis modus extensionis; sed Numerus dicit talem extensionem: ergo dicit specialem modum extensionis. Major patet: nam extensio multitudinis, et in partes discretas, diversa est ab extensione molis; siquidem aliqua possunt esse parvæ molis, et tamen magnæ multitudinis, ut grana papaveris: et contra, quædam possunt esse magnæ molis, et parvæ multitudinis, ut duræ rupes. Minor vero certa est: ut enim quantitas continua dilatatur mole et in partes unitas, ita numerus extenditur multitudine, et in partes discretas, id est, in plures unitates.

Confirmatur: Numerus habet specialem modum augmenti et diminutionis, æqualitatis et inæqualitatis, mensurabilitatis, divisibilitatis, proportionis, etc. imo hæc omnia (præcipue ratio mensuræ) perfectius et prius reperiuntur in Numero, quam in quantitate continua, ut dicit D. Thomas Opusc. 36. cap. 1. unde quantitas continua mensuratur a nobis per Numerum; ut numerando passus, mensuramus viam; numerando ulnas, mensuramus pannum; sed ista omnia sunt proprietates quantitatis: ergo numerus habet specialem modum quantitatis.

Si dicas, etiam Tempus habere specialem modum augmenti et diminutionis, mensuræ, etc. et tamen propterea non constituere speciem propriam quantitatis: in promptu est disparitas; nam Tempus, ut diximus, non est extensum ratione sui; deinde est aliquid incompletum, et reducitur ad Motum, ut omnis duratio ad rem durantem; at vero Numerus est ens completum, et extensum ratione sui, et extensione speciali, scilicet multitudinis.

Respondent adversarii, Numerum non poni in prædicamento defectu conditionis prædicamentalis, quia scilicet non est unum per se, sed solum unum per accidens, in quantum est aggregatio plurium unitatum; sicut populus est aggregatio plurium hominum.

Sed impugnatur hæc responsio, et simul probatur secunda conclusio. Numerus est ens reale, finitum, completum, et unum per se: ergo habet omnes conditiones entis prædicamentalis. Probatur antecedens: et in primis quod sit realis, patet; idea enim Numeri non exprimit aliquid in nuda apprehensione consistens, sed in rebus ipsis existens. Quod etiam sit finitus, certum est, quia quælibet Numeri species est finita. Quod vero sit ens completum, negari non potest; non enim est pars alterius entis, nec est via et tendentia ad aliud, sicut motus, nec affectio entis incompleti, sicut tempus.

Quod vero Numerus sit ens per se unum, quod solum ei detrahunt adversarii, probatur ratione S. Thomæ 8. Metaph. lect. 3. Illud est per se unum, quod habet speciem ab uno; sed Numerus habet speciem ab uno: ergo est per se unum. Major fere nota est ex terminis; nam quod habet speciem ab uno, non habet nisi unam speciem, seu essentiam, sicque differt a composito per accidens, quod plures involvit essentias; unde quæ multis constant partibus ab aliquo uno determinatis sunt unum per se, sive illud unum sit una forma, ut mixtum, licet constet pluribus elementis, unum est, quia sub unica mixti forma conciliantur hæc elementa; sive sit una certa coaptatio partium inter se, ut domus unum quid censetur in genere artificiali, quia constat pluribus rebus sub una ratione artis invicem coaptatis; sive sit ordo ad unum, a quo complentur, ut in ordine morali una familia dicitur, quod constet personis sub unius patris familias regimine ordinatis.

Minor vero suadetur. Numerus habet speciem ab ultima unitate: ergo ab uno. Declaratur antecedens; nam ab eo habet speciem, a quo unitates, quibus constat, determinantur ad certam speciem Numeri, ut si sit septenaria, ad septenarium, si octonaria, ad octonarium, etc.

Confirmatur. Objectum scientiæ, est per se unum; sed Nu-

merus est objectum scientiæ, nempe Arithmeticæ: ergo est per se unum. Minor constat. Major probatur. Objectum scientiæ definiri debet una definitione, nam definitio objecti est primum scientiæ principium: ergo debet habere unicam essentiam: ergo esse per se unum; unde tritum illud Aristotelis; *Non datur scientia de ente per accidens.*

Respondent Adversarii, Numerum esse unum per se in mente nostra, non vero secundum rem.

Sed contra. Licet essentia Numeri, ejusque unitas clarius elucceat, cum mente præcisus est a rebus numeratis; hanc tamen unitatem mens non facit, sed in re existentem detegit; nam ejus non est fingere, sed inspicere naturas entium realium; atqui Numerus est ens reale: ergo mens eum non fingit, sed qualis reipsa est considerat. Deinde in tantum aliquid est unum, in quantum est ens: ergo si Numerus esset solum quid unum per rationem, esset formaliter ens rationis; sicque Arithmetica haberet pro objecto formali aliquod ens rationis: cum tamen omnes censeant Mathematicas, quarum præcipua est Arithmetica, inter scientias reales.

Obj. 1. Auctoritatem Aristotelis 8. Metaph. cap. 3. ubi dicit, *Numerum non esse unum, sed sicut cumulum:* ergo ex Aristotele est tantum unum per accidens.

Resp. Aristotelem non id dicere affirmative, sed solum per modum objectionis, quam postea solvens ait, numerum esse unum, quod ultima unitas det speciem cæteris.

Obj. 2. Quod constat pluribus entibus completis, non est unum per se; sed Numerus constat pluribus entibus completis: ergo non est unum per se. Probatur minor. Numerus constat pluribus quantitatibus continuis; sed plures quantitates continuæ sunt plura entia completa: ergo constat pluribus entibus completis.

Resp. Nego minorem. Ad probationem distinguo majorem: Numerus constat pluribus quantitatibus continuis; ut sunt *unitates*, concedo; ut sunt *quantitates*, nego. Et ad minorem: Quantitates continuæ sunt entia completa; si sumantur ut quantitates sunt, concedo; si sumantur ut unitates sunt, nego. Igitur in quantitate continua duo considerari debent, extensio et unitas:

extensio est aliquid completum; at vero unitas est aliquid incompletum, elementum scilicet et pars numeri.

Dices. Quantitas ut una est, et ut continua est, non distinguitur, siquidem unitas non est aliquid distinctum a quantitate: ergo si ut continua est, sit ens completum, erit etiam ens completum, ut una est augens numerum.

Resp. 1. Nego antecedens: Unitas enim in quantitate est quid realiter distinctum ab ipsa; resultat enim ex unione partium inter se, sicut figura resultat ex dispositione partium; ideoque tam distinguitur realiter a quantitate, quam figura. Ita docet S. Thom. 1. p. q. 12. art. 1. et q. 58. art. 3. Neque mirum est, unitatem quantitatis haberi ut distinctam ab illa, quamvis unitas aliorum entium non sit distincta realiter ab ipsis: cætera enim entia sunt unum per se ipsa; at vero quantitas est una per colligationem partium, quæ colligatio cum sit aliquid accidentale quantitati, unitas quoque ab illa proveniens est aliquid distinctum a quantitate.

Resp. 2. Transeat antecedens, et nego consequens. Siquidem eadem res comparata ad diversa, potest habere rationem completi et incompleti; ut figura lapidis in se est aliquid completum; comparata vero ad domum, cujus est pars, est aliquid incompletum; ita in Numero ternario linearum, quælibet linea in se considerata est aliquid completum in genere quantitatis continuæ; at vero comparata ad Numerum ternarium, est aliquid incompletum et pars Numeri ternarii.

Instabis. Partes Numeri non uniuntur: ergo non faciunt per se unum. Consequentia patet. Probatur antecedens: Partes separatæ non uniuntur; sed partes Numeri sunt separatæ et ab invicem discretæ: ergo non uniuntur. Major patet, quia separatio opponitur unitati. Minor vero certa est: Numerus enim constat partibus discretis, id est, ad invicem separatis.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo majorem: partes separatæ non sunt unitæ; unitate *continuitatis*, concedo; unitate *ordinis*, nego. Siquidem separatio non opponitur unitati ordinis: ea enim, quæ sunt ab invicem separata, possunt tamen ordinari, unitas autem Numeri non est unitas continuitatis, sed ordinis.

Urgebis. Partes Numeri non uniuntur etiam unitate ordinis: ergo nulla solutio. Probatur antecedens: Inter pares non est ordo; sed partes Numeri sunt inter se pares: ergo inter illas non est ordo.

Resp. 1. Nego subsumptum. Ad probationem, distinguo majorem: Inter partes non est ordo, *physicæ dependentiæ*, concedo; non est ordo *situationis*, *dispositionis*, et *extensionis*, nego. Sic inter partes lapidis, quamvis sint pares, datur ordo dispositionis, in quantum una est sursum, et alia deorsum; ex quo ordine resultat figura triangularis, aut quadrata; itaque licet unitates componentes Numerum sint inter se pares; attamen in illis esse potest ordo, in quantum cæteræ ordinantur sub ultima, a qua habent speciem numeri.

Resp. 2. Unitates Numeri non esse formaliter pares; nam in illis una habet rationem ultimæ, alia rationem mediæ, et alia rationem primæ; sicut in Numero quinario, quinta est ultima, et tertia est media.

Replicabis. Inter quinque unitates nulla est prima, aut secunda, aut ultima: ergo inter illas nullus est ordo.

Resp. Distinguo antecedens: Nulla est prima, aut ultima, *determinate*, concedo; nulla *indeterminate*, nego. Siquidem licet neque hæc, neque ista sit ultima; attamen in illis datur aliqua vere ultima, illa scilicet, quæ claudit et finit Numerum, quæcumque sit: ut, in Numero quinario quinta est ultima, eo quod finiat numerum et trahat alias quatuor ad speciem quinarii.

Dices. Illa ultima unitas, ut daret speciem aliis, deberet esse aliquid determinatum: ergo nulla solutio. Probatur subsumptum: Id quod determinat speciem, debet esse determinatum; sed ultima unitas determinat speciem numeri ex nobis: ergo debet esse determinata.

Resp. Nego subsumptum. Ad probationem distinguo majorem: Id, quod dat speciem, debet esse quid determinatum, *formaliter*, concedo; determinatum *materialiter*, nego; et concessa minore, distinguo consequentiam: ergo ultima unitas debet esse determinata; formaliter, concedo; quasi materialiter, nego.

Explicatur solutio. Ultima unitas duo dicit; *Unitatem* scilicet et *Ultimitatem*, ut ita loquar, quorum duorum unitas se habet

per modum materialis, ultimitas vero per modum formalis. Quantum ad unitatem, non est determinatum, quænam sit in particulari, quæ est ultima: imo neutra determinate est ultima, sed ratio ultimæ cadit indifferenter supra quamlibet; attamen quantum ad ultimitatem, in omni Numero est determinata, quia omnis numerus, cum sit finitus, debet claudi et determinari, ac proinde habere ultimam unitatem. Et hæc ultimitas in quolibet numero est determinatæ rationis, ut in quaternario ultima unitas est quarta, quæcumque sit; in quinario quinta, et sic de aliis; unde ultima unitas dicitur formaliter determinata, quia hoc determinatum est, v. g. in quaternario, quod finiatur in quarta unitate.

Rem explicat Joannes a S. Thoma exemplo aptissimo circuli, qui, cum sit finitus, debet habere finem, principium, et medium suæ extensionis; et tamen in circulo neutra pars determinate est medium, principium, vel finis; unde formalitas principii, medii, et finis reperitur determinate in circulo; attamen quantum ad materiale, seu quantum ad partem, supra quam cadit formalitas principii, medii, et finis, hoc non est determinatum, sed indifferenter cadit supra quamlibet partem. Idem dicimus de numero; nam quantum ad hoc, quod est claudi ultima unitate, quæ sit talis rationis, v. g. quarta, vel quinta, hoc determinatum est in uno numero: non enim numerus, v. g. quaternarius, finitur in qualibet unitate, v. g. in secunda, vel tertia, sed determinate in quarta; ratio tamen quartæ et ultimæ non cadit supra aliquam determinate, sed indifferenter supra quamlibet ad alias comparatam.

Obj. 3. Unitas ordinis non sufficit, ut numerus sit ens per se unum: ergo non est unum per se. Probatur antecedens: In exercitu et populo datur unitas ordinis; sed populus et exercitus non sunt unum per se: ergo unitas ordinis non sufficit, ut aliquid sit unum per se.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo majorem: In populo et exercitu non datur unitas ordinis, *physici*, concedo; *politici*, nego. Et ad minorem. Sed populus et exercitus non sunt unum per se; in *esse* physico, concedo; in *esse* politico, nego.

Explicatur solutio: Unitas ordinis sufficit, ut aliquid sit unum per se; unde eo modo aliqua sunt unum per se, quo habent unitatem ordinis. Cum igitur plures homines aggregati in uno exercitu non habeant inter se, nisi ordinem politicum, in quantum multitudo illa obedit uni duci, non faciunt unum per se, nisi moraliter et politice; cæterum in ordine physico sunt quid per accidens. At vero inter plures unitates componentes numerum reperitur ordo, non moralis et politicus, sed quantitativus et mathematicus; quatenus ultima cæteris præfigit modum extensionis, easque ad hanc numeri speciem determinat; unde constituunt unum per se quantitative et mathematice.

Obji. 4. Si numerus esset unum per se, deberet habere unicum subjectum; sed non habet unicum subjectum (siquidem numerus v. g. hominum non est in uno homine, sed in variis, iisque remotissimis ab invicem, quorum alii sunt in India, alii in Gallia:) ergo numerus non est unum per se.

Resp. Distinguo majorem: Si numerus esset unum per se, deberet habere unicum subjectum, *totale*, concedo; *partiale*, nego. Quilibet autem homo non est nisi subjectum partiale Numeri hominum; omnes vero homines sunt totale ejus subjectum. Neque refert, quod sint propinqui, vel remoti: quia unitas numeri est solum unitas ordinis, ad quam nihil facit distantia, vel propinquitas: unde ubicumque nascatur homo, statim atque est in rerum natura, incipit pertinere ad numerum hominum, ut subjectum ejus partiale.

Dices. Multitudo Angelorum habet omnia, quæ competunt multitudini rerum quantitativarum, et tamen non est ens per se unum, sed solum per accidens; ergo multitudo rerum quantitativarum est etiam ens per accidens. Probatur antecedens; Nam in Angelis aliquis est ultimus claudens multitudinem illorum; similiter talis multitudo est mensurabilis per unum sæpius replicatum, et est æqualis alteri simili multitudini etc.

Sed responsio facile habetur ex dictis. Nam numerus proprie dictus constare debet ex unitatibus ejusdem rationis, ac sola quantitatis divisione discretis, unde proprie locum non habet in Angelis, ac cæteris rebus quantitate carentibus, sed solum metaphorice. Itaque numeraliter non ordinantur, quia ille ordo

non est nisi inter unitates proprie numericas; nec mensurantur per unum sæpius repetitum, quia non sunt idem unum divisione multiplicatum, sed in quolibet est unitas ab unitate alterius diversa, proindeque non mensurabilis eadem mensura.

ARTICULUS SEXTUS

DE PROPRIETATIBUS QUANTITATIS, ET EJUS COORDINATIONE

Proprietates reales quantitatis videntur quatuor supra relatæ, scilicet extensio localis, impenetrabilitas, mensurabilitas, et divisibilitas. Sed præterea tres aliæ attributales, seu logicales referuntur ab Aristotele.

Prima est, *non habere contrarium proprie dictum*. Cum enim contraria proprie dicta sint, quæ mutuo se expellunt a subjecto, et inter se pugnant, quantitas non pugnat cum alia quantitate, nec eam expellit a subjecto; siquidem non est activa, et ideo una non agit in aliam, ut eam a suo subjecto expellat. Adde præterea, quod omnes quantitates, inter quas videretur esse posse contrarietas, v. g. omnes lineæ sunt ejusdem speciei: unde inter se non pugnant ut a subjecto se excludant.

Secunda proprietas est, *non suscipere magis et minus*. Licet enim quantitas crescere possit, vel minui, et ideo fieri major, vel minor, attamen propterea non fit magis quantitas: minima enim quantitas æque perfecte est quantitas, ac maxima.

Tertia proprietas quantitatis est, *quod secundum eam res dicantur æquales et inæquales*. Cum enim proprium sit quantitatis constituere subjectum mensurabile, reddit ipsum consequenter æquale, vel inæquale alteri: æqualia enim sunt, quæ conveniunt in mensura; inæqualia verò, quæ differunt secundum mensuram. Attamen quia, quæ proprie competunt quantitati, tribuuntur etiam per metaphoram rebus spiritualibus; dicimus enim, quod Deus est magnus, quod Angeli sunt in magno numero; ita quoque in aliis rebus æqualitas quædam metaphorica reperitur: sic dicimus Personas Divinas esse æquales; gratiam sanctissimæ Virginis non habere sibi æqualem in aliis Sanctis etc.

Quantum ad coordinationem specierum quantitatis, exclusis speciebus minus propriis, sic ordinatur ejus prædicamentum. In primis quantitas dimensiva in communi dividitur in quantitatem continuam, et discretam, quæ alio nomine dicitur *numerus*, seu in quantitatem molis et quantitatem multitudinis. Quantitas discreta, seu numerus dividitur in parem et imparem; hi in alias species. Quantitas vero continua dividitur in lineam, superficiem et corpus; quarum quælibet est species infima: nam omnis linea est ejusdem speciei, sicuti et omnis superficies, quamvis possit suscipere figuras diversæ speciei, v. g. figuram quadratam, circularem, triangularem, etc. Neque mirum est, quod prædicamentum quantitatis dividatur in tam paucas species; quia diversitas specifica est a forma: cum ergo quantitas sit admodum materialis, non dividitur multis divisionibus specificis, et formalibus. Cæterum si quis velit quantitatem dividere in omnes suas species sive proprias, sive improprias, divisio habetur supra artic. 3.

QÆSTIO QUARTA

De Relatione

Tertium prædicamentum est Relatio, cujus notitia summe necessaria est non modo Philosophis, sed Theologis quoque; cum nulla fere sit utriusque sapientiæ pars, in qua de aliquo ente relativo non disputetur. Sequuti autem consuetum ordinem circa Relationem tria quærimus. Primo, quid sit. Secundo, quotuplex sit. Tertio, quas habeat proprietates.

ARTICULUS PRIMUS

QUID SIT RELATIO

Hoc prædicamentum vocatur ab Aristotele TO PROSTI idest, *Ad aliquid:* Vulgo vero dicitur *Relatio*, item *Respectus*, *Ordo*, *Habitudo*. Dari relationes reales in divinis, Fide constat; at in creaturis nullam esse realem, Aureolus ac plerique Nominalium censuere, atque ante illos nonnulli Antiqui, ut Zeno et Stoici,

teste Ammonio et Simplicio. Verum Relationem esse aliquid reale in creaturis constat, tum communi Philosophorum ac Theologorum consensu, tum etiam his momentis.

1. Nemine cogitante homo pater est filii, quem genuit; duo alba similia sunt; duo ligna bipalmaria sunt æqualia: Sed paternitas, similitudo, æqualitas sunt meræ Relationes: ergo dantur in rebus Relationes.

2. Datur in rebus (ut arguit Sanctus Thomas quæst. 7. de Potent. art. 3.) id, in quo præcipue consistit bonum Universi; non enim situm est in eo, quod non est, aut a nobis fingitur: sed bonum Universi consistit in ordine rerum tum ad se invicem, tum ad Deum, quo sublato omnia confusa essent, unde Aristoteles *11. Metaph.* apte comparat Universum exercitui, cujus bonum consistit in ordine militum, tum inter se, tum ad ducem, quo per discordiam sublato ruit exercitus: Ergo datur ordo, seu relatio in rebus.

3. Ideo Pater æternus realiter refertur ad Filium, quia re ipsa illum genuit: atqui et pater creatus realiter gignit filium; ergo re ipsa ad eum refertur, unde Apostolus ad Ephes. 3. paternitatem creatam a divina derivat, ut realem ejus participationem. Itaque certum sit, dari relationes reales: at non omnes sunt prædicamentales. Prius ergo aliquid dicendum de Relatione in genere, ac ejus divisionibus; tum quid sit Relatio prædicamentalis dicemus.

Relatio in universum *est respectus, seu ordo unius rei ad aliam.* Porro duobus modis unum ad aliud ordinari potest; secundum rem, vel secundum rationem. Hinc Relatio duplex, realis et rationis. Relatio realis *est ordo, qui rebus ipsis inest,* sic effectus ordinatur ad causam, pars ad totum, potentia ad actum, actus ad objectum. Relatio rationis *est ordo per mentem inter aliqua excogitatus,* ut prædicati ad subjectum, speciei ad genus etc.

Relatio realis dividitur in *increatam et creatam.* Relatio increata *est ordo, seu respectus unius divinæ personæ ad aliam.* Quadruplex est. Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, spiratio passiva, de quibus Theologi. Relatio creata est *ordo naturalis unius rei creatæ ad aliam, vel ad Creatorem ipsum.*

Relatio creata dividitur in relationem secundum *esse*, et relationem secundum *dici*. Relatio secundum *esse* est *purus ordo, purusque respectus ad terminum;* ut paternitas, filiatio, æqualitas, nihil aliud exprimunt, præter respectum unius ad aliud. Relatio secundum *dici* non est aliquid pure relativum, *sed res quædam absoluta, quam consequitur habitudo ad aliam;* adeo ut exprimi non possit, quin et illa habitudo exprimatur: unde vocatur *secundum dici*, quia est res absoluta, dicens tamen habitudinem ad aliam: sic pars, etsi sit aliquid absolutum, includit tamen habitudinem ad totum, scientia ad objectum, movens ad motum etc. Ita explicat S. Thomas 1. par. quæst. 3. art. 6. ad 1.

Alio modo dividitur relatio in *transcendentalem et non transcendentalem*. Relatio trascendentalis est *ordo in essentia rei inclusus*, seu *ipsa rei absolutæ entitas ex sua essentia ad aliud destinata;* ut anima dicit transcendentalem ordinem ad corpus, scientia ad objectum, materia ad formam, accidens ab subjectum, etc. nam hæ res ad illa ex sua essentia ordinantur. Dicitur *transcendentalis*, quia transcendit omnia rerum genera; nihil enim fere est, quod ad aliud ex sua natura non ordinetur. Relatio non transcendentalis est, *quæ non includitur in essentia rei, sed ipsi advenit;* ut paternitas respectu hominis. Hæc divisio videtur cum prima coincidere: nam omnis relatio transcendentalis est Relatio secundum *dici;* non enim est purus respectus, sed entitas absoluta includens respectum. Et omnis relatio secundum *dici* videtur transcendentalis; est enim entitas absoluta includens respectum, sine quo intelligi non potest. Unde Aristoteles definit relata secundum *dici*, *Ea quæ id quod sunt, alterius sunt;* quæ definitio convenit relatis transcendentalibus.

His ita explicatis, evidens est, relationes transcendentales, seu secundum *dici*, non pertinere ad hoc prædicamentum: sunt enim entitates absolutæ ad alia prædicamenta spectantes. Itaque solæ relationes non transcendentales, seu secundum *esse*, hoc constituunt prædicamentum, unde *prædicamentales* vocantur. Quid sint proprie, dicendum.

CONCLUSIO

Relatio prædicamentalis recte definitur, *accidens reale, cujus totum esse est ad aliquid se habere, id est, in puro respectu consistit.*

Explicatur definitio, quæ est Aristotelis. c. 7. In primis relatio dicitur *accidens*, ut excludantur ab hoc prædicamento Divinæ relationes, quæ non sunt accidentia: nam in Deo nullum est accidens. Additur, *reale*, ut excludantur relationes rationis; solum enim ens reale ponitur in prædicamento. Aliæ vero particulæ excludunt relationes transcendentales, et secundum *dici*, quarum totum *esse* non est ad aliud se habere, sed est quædam entitas absoluta, in qua includitur ordo ad aliud, in quantum est alterius.

Dices. D. Thomas 1. par. qu. 28. art. 1. dicit, *quod solum in his, quæ sunt ad aliquid, inveniuntur aliqua, quæ sunt secundum rationem tantum:* ergo in prædicamento relationis ponuntur etiam relationes rationis.

Respondeo cum Ferrariensi 4. Contra Gentes cap. 14. D. Thomam solum velle, quod propria ratio relationis, scilicet *esse, ad aliquid*, propriè salvatur in relationibus rationis, quod non convenit aliis prædicamentis: non enim chimæra, aliaque ejusmodi figmenta proprie habent rationem substantiæ; aut alterius prædicamenti. At vero relationes rationis sunt propriè relationes; intellectus enim noster vere et proprie ordinat, et refert unum ad aliud. Non sunt tamen in prædicamento defectu realitatis; quia ut expresse dicit sanctus Doctor, qu. 7. de pot. art. 9. *in nullo prædicamento ponitur aliquid, nisi sit res extra animam existens*, id est, ens reale.

Quæres primo, *quæ sint conditiones requisitæ ad relationem prædicamentalem?*

Respondeo, ex D. Thoma Op. 42. quatuor præcipue assignari.

Prima est, *ut habeat subjectum reale:* accidens enim reale exigit etiam reale subjectum.

Secunda est, ut habeat rationem fundandi, seu *fundamentum reale:* fundamentum enim est veluti causa relationis: unde

cum effectus realis exigat causam realem, ut relatio sit realis, ejus fundamentum debet esse reale.

Tertia est, *ut habeat etiam terminum realem:* cum enim relatio consistat in ordine ad suum terminum, ut realis ordo realiter resultet, oportet, ut realiter ponatur terminus.

Quarta, ut extrema, id est, fundamentum et terminus *realiter distinguantur:* non enim datur ejusdem relatio ad se ipsum. Quæres secundo, *quid sit subjectum, quid fundamentum, quid terminus relationis* ?

Respondeo, subjectum relationis *esse id, in quo est relatio,* seu quod refertur. Fundamentum vero *est id, quod est ratio respiciendi, seu referendi.* Terminus demum *est id, quod respicitur:* sic in relatione paternitatis, homo, qui genuit filium, est subjectum; filius genitus est terminus, qui respicitur a patre; generatio vero est fundamentum; ratio enim, cur pater respicit filium, est quia genuit ipsum. Quia vero relatio est inter subjectum et terminum; ideo subjectum et terminus dicuntur *extrema relationis.*

ARTICULUS SECUNDUS

AN RELATIO PRÆDICAMENTALIS SIT REALITER DISTINCTA A SUO FUNDAMENTO

Relatio igitur prædicamentalis nihil aliud est, quam ordo, respectusque unius ad aliud; ordo, inquam, non ipsa rei entitate inclusus, sed adventitius. Nunc discutiendum, an ordo ille sit quid distinctum ab absolutis, quæ sunt in re, præcipue vero a fundamento; id est, ab illa entitate absoluta, quæ est ratio, cur unum aliud respiciat. Negant plures extranei; affirmat vero communiter utraque schola D. Thomæ et Scoti. Et plane quamvis prima opinio videatur expeditior, imaginationique conformior, eo quod imaginari non possimus, quæ tandem sit illa entitas relativa a fundamento seorsim sumpta: attamen secunda sententia verisimilior videtur, ac rationi rerum fibras solertius inspicienti maxime conveniens. Observamus enim, nos habere non in imaginatione, sed in mentis apice, ideam, seu notionem ordinis, et relationis; illamque ideam, nobis repræsen-

tare ordinem, non ut denominationem extrinsecam, aut ut negationem, sed ut aliquid positivum, et intrinsecum rebus ordinatis; unde si res ex sua propria essentia ordinetur ad aliquid, ordinem illum concipimus ut rei maxime intrinsecum et positivum, non tamen ab essentia realiter distinctum, quia hoc ipsum, quod est aliud respicere, est ex ratione talis essentiæ. Et ideo vocamus has relationes *transcendentales*, id est, identificatas cum essentia ejus, quod refertur. Sed si res ex sua essentia non ordinatur, imo si intellectis omnibus, quæ sunt in re, nullus in ea sit ordo ad aliquid, plane ut intelligatur relata, necesse est, ut intelligamus entitatem, quam nobis repræsentat idea ordinis, supervenisse illi rei tanquam aliquid addititium, proindeque distinctum, vel secundum rem, si reipsa de novo referatur, vel secundum rationem, si sola mente referatur. Sit itaque.

CONCLUSIO

Relatio prædicamentalis realiter distinguitur a fundamento, et ab omnibus absolutis, quæ sunt in re: estque entitas additilia, cujus munus est constituere rem ordinatam ad aliud.

Sic censere D. Thomam, etsi aliqui dubitent, ex tribus aperte intelligi potest.

Primo, quia ex Sancto Thoma in 1. Dist. 4. qu. 1. art. 1. *Nulla Relatio est substantia secundum rem in creaturis.* Quod idem tam frequenter repetit, ut Ferrariensis 4. Cont. Gent. c. 14. id habeat ut clarissimum in doctrina D. Thomæ. At certum est, plerasque relationes fundari in ipsa substantia immediate, ut relatio similitudinis inter Petrum et Paulum, animæ ad corpus, creaturæ ad creatorem in substantia fundatur; ergo distinguitur a fundamento.

Secundo, perpetuo docet relationes afferre novum, et proprium *esse* accidentale, dum adveniunt; quod falsum esset, si a fundamento præexistente non distinguerentur. En verba ejus 4. cont. Gent. cap. 14. *In nobis relationes habent proprium modum essendi secundum propriam rationem, sicut et in aliis accidentibus contingit.* Et in 1. Dist. 21. q. 1. art. 2. *In creaturis per paternitatem additur novum* esse, *quod est* esse *accidentale.*

Tertio demum idem intelligi potest ex eo, quod dicit idem Sanctus Doctor: *Relationem habere* esse *debilissimum, imperfectissimum et postremum omnium accidentium.* 4. Cont. Gent. cap. 14. et 12. Metaph. tex. 19. aliisque in locis. Item. *In creatis comparari relationem ad absolutum, sicut accidens ad subjectum.* 4. Cont. Gent. cap. 14. *et absolutum, esse aliam rem a relativo* 1. p. q. 28. art. 2. ad 2. quæ omnia et innumera alia apud D. Thomam frequentissima manifeste ostendunt realem distinctionem relationis ab absoluto; proindeque a fundamento, eamque speciale genus rei esse, ab aliis, quæ relativa non sunt, distinctum.

Probatur conclusio ratione. Illa realiter distinguuntur, quorum entitates reipsa non sunt idem. Atqui entitas fundamenti reipsa non est idem cum entitate relationis; ergo realiter distinguuntur. Major patet ex terminis. Minor suadetur: Entitas relationis est purus ordo, seu respectus, cujus totum *esse* est ad aliud se habere, ut patet tum ex definitione illius, tum ex notione, quam omnes habent de relatione proprie sumpta, id est prædicamentali: atqui entitas fundamenti, quocumque modo invertatur, non est purus ordo, purusque respectus, cujus totum *esse* sit ad aliud se habere, sed reipsa est diversissima ab hoc genere rei, cum sit quid absolutum in re; ergo entitas fundamenti non est reipsa idem cum entitate relationis.

Ex qua ratione colligo, vel funditus evertendam esse definitionem Aristotelis dicentis, *relationem totaliter consistere in respectu ad alterum:* vel dicendum, illam esse solum denominationem extrinsecam, aut ad summum ens rationis, quod tamen adversarii negant: vel nobiscum fatendum, non esse ipsum fundamentum, sed aliud genus rei, quod totum consistit in respiciendo, quodque superadditur fundamento. Intelligibile enim est, entitatem fundamenti totaliter consistere in respectu; ergo illa entitas, quæ tota consistit in respectu, non potest esse entitas fundamenti; sed alia alterius ordinis, quæ si sit realis, realiter quoque distinguetur ab illo.

Confirmatur. Relatio perit manente entitate fundamenti; ergo est aliquid distinctum. Consequentia patet: non enim est mu-

jus signum distinctionis, quam realis separatio. Antecedens vero constat: Nam mortuo filio perit respectus paternitatis, manente tamen entitate fundamenti; ergo relatio perit manente entitate fundamenti.

Respondent adversarii, entitatem fundamenti habere duplex munus, *absoluti* scilicet, et *respectivi:* porro pereunte termino perire quantum ad exercitium et munus relativi, manere vero quantum ad munus absoluti.

Sed contra. Hæc responsio tribuit creaturis, quod est soli Deo proprium. Theologi enim docent cum D. Thoma 1. p. q. 28. art. 2. Divinæ essentiæ proprium esse, ut propter sui eminentiam comprehendat in sua simplici entitate munus *relativi*, et *absoluti:* unde Pater æternus per eandem entitatem realem est Deus (quod est aliquid *absolutum*) et etiam Pater (quod est aliquid *relativum:*) Ergo illa duo munera non possunt ibi in creaturis in una, eademque re adunari. Quippe, ut fert Axioma: *Quæ sunt unita in superioribus, sunt divisa in inferioribus.* Et quæro ab adversariis, quid hac in parte tribuant specialiter Deo, si etiam in creaturis aliqua entitas possit simul duo ista munera, relativi scilicet et absoluti, comprehendere.

Contra 2. Munus respectivi, quod pereunte termino perit, vel est aliquid reale, vel non. Si est aliquid reale; ergo relatio est reipsa separabilis a fundamento, et proinde ab eo distincta. Si non sit aliquid reale; ergo relatio non consistit formaliter in aliquo intrinseco reali, cum desinere possit nulla realitate desinente; sed solum est ens rationis; vel denominatio extrinseca petita a termino. Et demum velint nolint adversarii, munera realia intrinseca, quorum unum manet alio pereunte, sunt etiam realiter distincta; unde relatio, sive dicatur munus, sive entitas, sive quidquid volueris, realiter distinguitur a fundamento, quo permanente perit.

Replicabis: munus respectivi consistere in entitate reali, ipsius scilicet fundamenti, non tamen præcise sumpta; sic enim est quid absolutum; sed ut connotat terminum, quo modo est aliquid relativum. Ut relatio similitudinis parietis albi ad album est ipsa entitas albedinis, non præcise sumpta, sed ut connotat aliam albedinem; sicut in Physica docent Thomistæ, unionem a-

nimæ cum corpore non esse aliquid distinctum ab anima, sed entitatem animæ, ut connotat corpus, ipsique applicatur: et tamen certum est, quod manente anima perit unio ejus cum corpore præcise per hoc, quod amplius non connotet corpus, seu non sit in corpore. Quod igitur Thomistæ dicunt de hac unione, proportione dici poterit de relatione prædicamentali.

Sed contra. Hæc responsio confundit relationes prædicamentales cum transcendentalibus, quas omnes distinguunt. Nam relatio transcendentalis est itidem absoluta entitas connotans aliud. Si ergo idem sit relatio prædicamentalis, quid discriminis relinquetur? Cur hæc novum rei genus constituat? Cur pereunte termino peribit, cum transcendentalis maneat? Ut oculus sublatis coloribus nihilominus ad eos transcendentalem dicit ordinem. Demum hæc responsio evertit receptam relationis notionem, et definitionem, *ut sit accidens, cujus totum esse sit ad aliud se habere:* non enim hoc erit, sed aliud, nempe entitas, plerumque substantialis, ut connotans terminum.

At frustra obtrudunt exemplum unionis. Nam unio non est anima connotans corpus (alias post mortem maneret unio, cum anima separata nihilominus connotet corpus) sed est anima per actionem agentis applicata corpori: unde tria dicit, animam, corpus, et actionem ea jungentem, quæ quandiu manent, manet unio: at si horum aliquod desinat, non mirum, si et ipsa desinat. At relatio unum quid simplex dicit, nempe purum respectum. Itaque si ille respectus sit fundamenti entitas, manente fundamento manebit relatio. Est et hic aliud observandum. Anima est per se essentialiter forma corporis, et ideo ut corpus informet, non eget alia forma, sed sola applicatione agentis; at vero entitas fundamenti non est per se essentialiter respectus ad terminum, sed quid absolutum: ut ergo respiciat, eget aliquo addito,

Atque hinc duci potest aliud argumentum. *Esse* reale adventitium fundamento, ab eo realiter distinguitur: sed relatio dicit *esse* reale, nempe *esse ad*, quod non est ipsum *esse* fundamenti, sed ei advenit posito termino; ergo realiter distinguitur a fundamento.

Respondent, relationem esse accidens logicum. Verum hæc

responsio fere labitur in sententiam nominalium, nempe relationem esse ens rationis formaliter: nam formaliter non est ipsa entitas fundamenti, sed id, quod ipsi advenire intelligitur. Si ergo nihil reale adveniat, nihil reale erit relatio, sed solum fundamentum quodam modo consideratum, nempe comparatum ad terminum; ergo erit formaliter ens rationis. Deinde accidens logicum non pertinet ad prædicamenta: sunt enim genera rerum, et non Logicalium conceptuum. Postremo si relatio sit accidens logicum, nihil reale addens suo subjecto, Deus citra sui mutationem poterit de novo intrinsecam relationem admittere, quod negant Theologi.

Obji. 1. D. Thomas Opusc. 48. Tract. de relatione dicit, *relationem similitudinis esse ipsam albedinem, ut se habet ad aliam albedinem.*

Resp. Opusculum istud esse dubium: quo potiora sunt alia S. Thomæ testimonia ex indubiis ejus operibus supra relata. Quanquam et ad illum locum dici forte posset, solum velle, relationem non distingui a fundamento, ut rem a re: unde, dicit *non esse aliam rem ab eo:* at non negat, distingui ut modum a re.

Instabis. Idem D. Tho. 3. Phys. lect. 3. dicit: *Nihil mihi advenit de novo per hoc, quod incipio fieri similis alteri.* Ergo similitudo non est entitas etiam modaliter a fundamento distincta.

Resp. Distinguo antecedens: Nihil mihi advenit de novo, per modum *physicæ mutationis*, de qua ibi loquitur D. Thomas, concedo; per *modum respectus*, nego. Ibi enim probat, ad relationem non dari motum proprie dictum, eo quod resultet nulla prævia mutatione ad solam termini positionem, nec proprie mutet subjectum.

Adjici præterea potest, D. Thomam loqui de eo, in quo jam præexistit relatio similitudinis, quem certum est sine ulla prorsus mutatione incipere referri ad novos terminos, ut jam diximus; ex quo recte infert, ad relationem non dari per se motum, quia hæc ipsa extensio ad novos terminos sine aliqua mutatione subjecti non fieret, sicut nec prima productio ejus, si relatio per se terminaret motum.

Obji. 2. Si relatio esset quid realiter a fundamento distin-

ctum, nascente musca mutaretur totus orbis: nulla enim pars orbis est, quæ non dicat aliquam relationem vel distantiæ, vel propinquitatis, vel similitudinis, vel dissimilitudinis ad illam muscam; ergo nascente illa musca pullularent infinitæ relationes in rebus.

Resp. Nego sequelam. Ad probationem distinguo: Omnis pars Orbis dicit aliquam relationem ad illam muscam, relationem *novam*, nego; Relationem *antea præexistentem*, concedo. Per eandem enim relationem respicitur illa nova musca, per quam et aliæ præexistentes muscæ respiciuntur: nam pro omnibus terrenis ejusdem rationis, v. g. pro omnibus filiis in patre, datur unica relatio ad omnes illos extensa, ut infra dicetur. Quidam tamen non reputant inconveniens mutari omnia relative ad productionem novæ rei, quod ea mutatio sit tenuissima: et sane si ad positionem alicujus corporis in aliquo loco totus aer vicinus mutatur, recipiendo species intentionales illius corporis, quid prohibebit, ad positionem novi entis alia novæ relationis adventu quodammodo mutari?

Obji. 3. Dum Petrus Romæ existens fit pater, nascente ei primum filio in Gallia, nihil reale de novo acquirit; ergo paternitas non est res a præexistente fundamento distincta. Probatur antecedens: Quod non mutatur de novo, non acquirit novam entitatem. Sed Petrus non mutatur de novo per nativitatem illius filii; ergo nullam acquirit entitatem.

Resp. Nego antecedens. Ad ejus probationem, distinguo majorem: Non mutatur *absolute*, concedo; *relative*, nego. Et ad consequentiam; ergo non acquirit novam entitatem absolutam, concedo; relativam, nego. Nam Petrus in hoc casu acquirit respectum patris, quem antea non habebat: unde mutatur relative. Hæc tamen mutatio relativa non censetur proprie mutatio, quia id dicitur proprie mutari, quod alio modo in se disponitur. Relatio autem superveniens non disponit alio modo rem in se ipsa, sed solum in ordine ad alia.

Instabis. Nulla est causa producens illam novam entitatem in Petro; ergo nullam acquirit.

Resp. Nego antecedens: nam causa, ex qua resultat relatio, est ipsum fundamentum, a quo dimanat posito termino. Ne-

que mitari debemus, ejusmodi ordines, licet sint reales entitates, ita facile ac fœcunde resultare ex suis fundamentis: videmus enim, entia longe perfectiora resultare ex aliis, simili, imo mirabiliori fœcunditate. Quis crederet, ex pulsato aere resultare sonum, qui etiam corpori allisus reciprocatur, nisi quotidie auribus id experiremur? Quis putaret, tantam lucis copiam ex modica candela tam late diffundi? ex grano pulveris prope infinitas imagines effundi, quibus totum impletur aer, quæque apposito speculo iterum reciprocantur, mirabili et prope infinita fœcunditate.

Urgebis. Posita causa ponitur effectus; sed posito fundamento non propterea ponitur relatio: ergo fundamentum non est causa relationis. Probatur minor: In Petro, nondum nato filio, existit fundamentum paternitatis, et tamen non est in eo paternitas; ergo posito fundamento non ponitur relatio.

Resp. Distinguo majorem: Posita causa ponitur effectus, *si sint aliæ conditiones*, ex quibus pendet effectus, concedo; *si desint*, nego. Fundamentum est quidem causa relationis, sed terminus est conditio, sine qua resultare non potest: nam *fieri* sequitur ad *esse*. Porro *esse* relationis totum consistit in respectu termini: Itaque produci nequit, nisi sit terminus, sicque ab eo in *fieri* prorsus pendet. Hanc rationem complexus est D. Thomas 4. contra Gent. cap. 14. his verbis: *Propria relationis ratio in eo consistit, quod est esse ad alterum: Unde* esse *ejus proprium quod substantiæ superaddit, non solum dependet ab* esse *substantiæ, sed etiam ab* esse *alicujus exterioris.*

Ne autem gratis dictum videatur, relationem in *fieri* dependere a termino, tanquam a conditione, qua posita statim resultat, præter rationem jam allatam, id declarari potest Theologico exemplo. Docent Theologi, species intelligibiles Angelorum, quamvis habeant vim repræsentandi omnia individua, attamen futura individua non repræsentare, donec illa a parte rei existant: unde talis repræsentatio dependet ab existentia individuorum, tanquam a conditione extrinseca, sine qua fieri nequit. Cur a pari non poterit relatio dependere a positione termini, ita ut sine illo nunquam causari possit a suo fundamento?

Obji. 4. Si relatio distingueretur a fundamento, daretur pro-

cessus in infinitum in relationibus. Probatur sequela: Duæ relationes, v. g. duæ paternitates, sunt similes inter se, ac proinde fundant duas relationes similitudinis; et rursus illæ duæ alias duas, et sic in infinitum; ergo, etc.

Resp. Nego sequelam. Ad probationem, nego, quod una relatio possit fundare aliam, v. g. una similitudo aliam similitudinem. Et ratio est: tum quia Relatio est debilioris entitatis, quam quæ causare possit aliam Relationem; tum præcipue quia, ut docet D. Th. *1. p. q. 42. art. 1. ad 4. q. 35. art. 3. ad 2. et q. 7. de pot. art. 9. ad 2.* Relatio est essentialiter respectus: unde non indiget aliquo addito ut referatur. Sed sicut actio, quantum factibilis est, fit per se ipsam, et non per aliam actionem: ita Relatio ad omnia, ad quæ referibilis est, refertur per se ipsam.

Instabis. Relatio similitudinis inter duas paternitates potest realiter separari ab illis: ergo realiter distinguitur ab illis. Consequentia videtur certa, cum ex hoc capite probaverimus supra, Relationem distingui a fundamento. Antecedens probatur: Paternitas Petri desinit esse similis; pereunte altera paternitate, cui erat similis: ergo perit Relatio similitudinis manente paternitate.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem, distinguo consequentiam: Ergo perit relatio similitudinis, quantum ad hoc, *quod est extendi ad terminum secundarium*, concedo; quantum *ad entitatem relativam*, nego. Explicatur solutio. Paternitas Petri est similis per se ipsam paternitati Pauli, non vero per Relationem distinctam: attamen pereunte paternitate Pauli desinit esse similis, non quod amittat relationem, per quam erat similis, sed præcise per hoc, quod non habeat terminum secundarium, ratione cujus denominabatur similis. Sicut dum video quinque homines, si unus recedat, visio mea propterea non perit, sed præcise desinit se extendere ad illum, qui abiit.

Obji. 3. Quocumque præciso, duo alba sunt similia: ergo Relatio similitudinis non distinguitur ab illis.

Resp. Distinguo antecedens: sunt similia *fundamentaliter*, concedo; *formaliter* et *relative*, nego. Unde si Deus destrueret respectum illum similitudinis, qui est inter duo alba, non es-

sent amplius formaliter, et relative similia, idest, ordinata invicem ordine similitudinis, quia carerent relatione similitudinis. Attamen casus videtur impossibilis. Sunt enim quidam modi, qui licet a subjecto distinguantur, ab illo tamen separari non possunt: ut, posita æquali distantia circumferentiæ a centro, impossibile est, ut non resultet figura circularis; et tamen adversarii fatentur, figuram esse accidens distinctum a quantitate: et addita quarta unitate tribus præexistentibus, impossibile est, ut non resultet numerus quaternarius, qui tamen est distinctus a rebus numeratis. Hanc solutionem tradit D. Thom. *Quodl. 7. art. 10. ad 4.*

ARTICULUS TERTIUS

QUOTUPLEX SIT RELATIO

Explicata quidditate Relationis, nunc variæ ejus divisiones referendæ sunt. Cum autem Relatio causetur a fundamento, juxta varia fundamentorum genera, solent assignari varia Relationum genera.

Porro tria sunt genera fundamentorum Relationis, scilicet *Unitas* et *Numerus*, seu convenientia et disconvenientia: *Actio* et *Passio*: *Mensura* et *Mensurabile*. Unde triplex quoque est genus Relationum, quorum primum fundatur in convenientia et disconvenientia; secundum in actione et passione; tertium in mensura et mensurabili.

Declaratur divisio ex D. Thoma 15. Metaph. lect. 7. Tot sunt fundamenta Relationum, quot sunt rationes, cur unum ordinetur ad aliud: atqui tres solum sunt rationes, propter quas unum respicit aliud: ergo sunt solum tria fundamenta Relationum. Major patet. Declaratur minor: omne, quod ordinatur ad aliud, vel ipsum respicit secundum *esse*, ut mensuram suæ perfectionis; vel secundum *operari*, ut causam, aut effectum; vel secundum unitatem, seu convenientiam, vel disconvenientiam. Si respiciat primo modo, ut Mensuram sui *esse* ac perfectionis, est fundamentum Mensuræ, et Mensurabilis: sic scientia respicit objectum ut mensuram suæ perfectionis: sic exemplar respicitur ab exemplato: sic creaturæ respiciunt Deum: et generaliter om-

ne specificatum respicit suum specificativum. Si vero respiciat secundo modo, ut causam, vel effectum, erit fundamentum Actionis et Passionis: sic filius respicit patrem, et generaliter omnis effectus causam. Si demum tertio modo in quantum convenit, vel disconvenit, erit Unitas, et Numerus, seu fundamentum convenientiæ et disconvenientiæ: sic paries albus respicit alium parietem album ut convenientem, et nigrum ut disconvenientem.

Omnis autem convenientia præcipue attenditur secundum tria prædicamenta, scilicet secundum Substantiam, Quantitatem et Qualitatem. Convenientia secundum Substantiam dicitur *entitas*, convenientia secundum Quantitatem dicitur *æqualitas*, convenientia secundum Qualitatem dicitur *similitudo:* sic Petrus et Paulus, quia in natura humana conveniunt, habent relationem identitatis: sic paries albus, quia convenit in qualitate cum alio albo, habet relationem similitudinis cum eo: duo vero quanta, dum conveniunt in eadem mensura, habent inter se relationem æqualitatis.

Dices. Id, quod transit, non potest fundare Relationem permanentem: sed actio transit: ergo non potest fundare Relationem permanentem.

Respondeo distinguo majorem: id, quod transit; *tam formaliter*, quam *virtualiter*, concedo; id quod transit, *formaliter*, remanet tamen *virtualiter*, nego. Et ad minorem: sed actio transit, *formaliter*, concedo; *virtualiter*, nego. Actio enim remanet virtualiter, tum in effectu relicto, tum in determinatione, quam relinquit in causa, seu in virtute productiva. Ex hoc enim, quod Petrus genuerit filium, remanet ejus vis productiva speciali modo determinata circa talem filium, nam antea respiciebat ipsum solum ut producibilem, postea vero respicit ut productum. Unde S. Thomas in 3. dist. 8. art. 5. *Tales*, inquit, *relationes non innascuntur ex actionibus secundum quod sunt in actu, sed magis secundum quod fuerunt, ideoque fundantur super id, quod in agente relinquitur ex actione, sive sit dispositio, sive habitus, sive jus, aut potestas.*

Dividitur præterea Relatio in *Mutuam*, et *non Mutuam*. Patet divisio: nam inter ea, quæ dicunt ordinem, aliquando reci-

procus est ex utraque parte ordo, ut inter patrem, et filium, et inter duos parietes albos, aliquando non reciprocatur, sed se tenet ex parte unius solum extremi, ut creatura ordinatur quidem ad Deum, sed Deus non ordinatur ad creaturas: similiter scientia ordinatur ad objectum, sed objectum non dicit ordinem ad scientiam. Cum Relatio utrimque reciproca est, dicitur *Mutua:* si vero ex parte unius solum sit extremi, dicitur *non Mutua.* Relationes autem mutuæ sunt ut plurimum, quæ fundantur in Convenientia et Disconvenientia: in Actione et Passione: quia communiter loquendo, in illis utrobique est ratio referendi: siquidem inter ea, quæ conveniunt, utrobique est convenientia. Et non solum effectus ordinatur ad suam causam, sed etiam ipsa causa, si sit creata, ordinatur ad suum effectum: ut enim late expendit D. Thomas qu. 7. de pot. ar. 10. *In creaturis semper aliquid bonum redundat ex effectu in causam. Unde causa ordinatur vicissim in effectum, ut in suum bonum.* Hinc locum in creatis habet illud vulgatum, *Quodlibet est propter suam operationem.* Relationes vero tertii generis, quæ fundantur in Mensura et Mensurabili, non sunt mutuæ, quia licet mensurabile ordinetur ad suam mensuram, attamen mensura non ordinatur semper ad mensuratum: ut scientia ordinatur quidem ad objectum, et potentia visiva ad colores: attamen nec objectum ordinatur ad scientiam, nec color ad oculum. Videri potest D. Thomas qu. 7. de pot. art. 10. ubi totum id elegantissime expendit.

Demum Relatio mutua subdividitur in relationem *Æquiparantiæ* et *Disquiparantiæ.*

Explicatur divisio. Relatio æquiparantiæ est, *quando in utroque extremo reperitur respectus ejusdem rationis et simili nomine expressus:* ut inter duo alba, relatio in utroque extremo ejusdem est rationis, et eodem nomine nuncupatur, nempe *similitudo.* Relatio vero disquiparantiæ est, *quando respectus in utroque extremo existens non est ejusdem speciei, nec eodem modo exprimitur.* Sic relatio patris ad filium est disquiparantiæ, quia est diversæ speciei, et diverso nomine exprimitur: una enim dicitur *paternitas*, et altera *filiatio.*

ARTICULUS QUARTUS

QUID SIT TERMINUS RELATIONIS, TAM MUTUÆ, QUAM NON MUTUÆ

Ad pleniorem Relationis *mutuæ* et *non mutuæ* intelligentiam quæri solet, quis sit utriusque terminus; an scilicet utraque respiciat aliquid absolutum sub ratione absoluti, an aliquid formaliter relativum. Complutenses tenent, omnes Relationes tam mutuas, quam non mutuas, terminari ad relativum. Contra Scotistæ, omnes Relationes tam mutuas, quam non mutuas, terminari ad aliquid absolutum sub ratione absoluti. Quidam vero media via incedunt: itaque sit.

PRIMA CONCLUSIO

Relatio mutua terminatur formaliter ad aliquid relativum, scilicet ad suum correlativum; ut pater terminatur ad filium, non quatenus homo est, sed quatenus filius est: unde quamvis entitas filii terminet respectum patris, attamen non terminat illum, ut entitas absoluta est, sed formaliter ut affecta filiatione, ac proinde ut est aliquid relativum.

Ita censere videtur S. Thomas 1. p. qu. 40. ar. 2. ad 4. ubi inquit: *Cum dicitur, quod relativi* esse *est ad aliud se habere, per ly (aliud) intelligitur correlativum, quod non est prius, sed simul natura.* Et Aristoteles hic dicit, quod servus respicit dominum, ut dominus est, et ideo præcisis omnibus aliis, quod sit doctus, quod sit bipes, musicus, etc. modo sit dominus, semper respicitur a servo.

Probatur ratione. Pater terminatur ad filium sub ratione formali filii: Sed ratio formalis filii est quid relativum: Ergo pater terminatur ad aliquid relativum; et idem dicendum de aliis relationibus mutuis. Minor patet. Probatur major; tum exemplo divinæ Paternitatis, *a qua* inquit Apostolus ad Ephes. 3. *derivatur omnis Paternitas:* hæc enim respicit Filium Æternum sub ratione formali filii: ergo et temporalis pater debet respicere filium sub ratione formali filii. Tum etiam ratione: nam sic se habet pater ad filium, sicut generans ad genitum: sed gene-

rans respicit genitum sub ratione formali geniti: ergo etiam pater respicit filium sub ratione formali filii.

Confirmatur: Relatio mutua dependet a suo correlativo, ut a termino formali: ergo terminatur ad aliquid relativum. Probatur antecedens: relatio mutua aliquomodo dependet a suo correlativo: sed non potest dependere nisi ut a termino: ergo dependet ab eo, ut a termino. Major videtur certa. Relatio enim mutua non potest intelligi sine suo correlativo: ergo necesse est, ut ab eo dependeat: res enim intelligi potest sine his, a quibus non dependet. Minor vero probatur. Relatio solum dependet a duobus, scilicet a fundamento, et a termino. Sed relatio mutua non potest dependere a suo correlativo, ut a fundamento, ut de se patet: ergo debet dependere ab illo, ut a termino.

Obji. 1. Relatio non terminatur formaliter ad id, quo sublato manet: sed in relationibus mutuis sublata relatione unius extremi remanere potest relatio in altero: ergo in mutuis relatio unius non terminatur formaliter ad relationem alterius, seu ad alterum, ut relativum est. Major patet: quia relatio stare nequit sine termino formali. Minor declaratur in maternitate Beatissimæ Virginis, quæ perfectissime stat respectu Christi, licet ei non respondeat in Christo realis relatio filii; eo quod, ut docet S. Thomas 3. p. q. 35. art. 5. filiationis relatio non est naturæ, sed personæ: Persona autem Christi, utpote Divina, est incapax relationis ad creaturam.

Resp. Distinguo majorem: Relatio non terminatur formaliter ad id, quo sublato remanet, *connaturaliter* et *plene terminata*, concedo; quo sublato remanet quidem, sed *modo extraordinario terminata*, nego. Et pariter ad minorem: in mutuis sublata relatione ab uno extremo, remanet relatio in altero, *plene et connaturaliter terminata*, nego; *modo extraordinario terminata*, concedo, et nego consequentiam. Atque ut solutio explicetur in exemplo argumenti, fatemur quidem, stare in B. Virgine relationem maternitatis, absque eo quod sit in Christo relatio realis filii, quæ est propria ejus terminatio, sed negamus esse modo sibi connaturali terminatam; nam secundum naturæ cursum petebat illa maternitas suppositum creatum a se dependens sub ratione geniti, proindeque ad se vicissim relatum; isque erat

connaturalis ejus terminus utique relativus. At loco illius suppositi creati, dependentis, et relati, divinitus substitutum est suppositum increatum et æternum, quod terminaret generationem illam purissimam et consequenter maternitatem in ea fundatam non ut realiter dependens et relatum, sed ut subrogatum loco ejus, quod debebat dependere, et referri; idest, non ut terminus connaturalis, sed miraculosus.

Quæres, si Christus, ut tenet D. Thomas, non dicit relationem realem filii ad B. Virginem, quomodo potest dici realiter Filius B. Virginis, præcipue cum filius sit aliquid relativum.

Respondeo ex S. Thoma 5. Metaph. lect. 17. aliquid dici relative, non solum quia refertur ad aliud, sed etiam quia aliud refertur ad ipsum: unde aliquis dicitur filius realiter, non solum quia refertur ad matrem, vel patrem; sed etiam quia mater, vel pater realiter refertur ad ipsum, ut ad eum, quem genuit. Cum igitur Christus, licet non dicat respectum realem ad Matrem, attamen vere et proprie terminet relationem Matris suæ, tanquam genitus ab ea, dicitur realiter et proprie filius ejus. Adde præterea, quod licet Persona divina Christi non referatur realiter ad B. Virginem, attamen subrogatur personæ humanæ, quæ exigeret ad illam realiter referri; ideoque vere et proprie est filius B. Virginis, sicut esset persona humana, cujus locum tenet, et vice fungitur. At de his uberius Theologi.

Obji. 2. Terminus præcedit relationem: ergo non est quid relativum. Probatur antecedens: Relatio etiam mutua non resultat, nisi posito prius termino: Ergo terminus præcedit relationem etiam mutuam.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo antecedens: Relatio non resultat nisi prius posito termino, *quoad entitatem*, concedo; quoad *rationem formalem terminandi*, nego. Et similiter ad consequentiam: Terminus præcedit relationem, quantum *ad entitatem*, concedo; quantum *ad formalitatem terminandi*, nego. In termino enim duo sunt distinguenda, entitas termini, et ratio formalis, sub qua terminat; v. g. in filio, entitas filii et ipsa filiatio, sub qua terminat relationem patris. Licet igitur entitas termini debeat prius natura poni, quam resul-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tet relatio; attamen ratio formalis, sub qua terminat, est simul natura cum ipsa relatione, ut filiatio cum paternitate.

Instabis. Specificativum præcedit specificatum: sed terminus, ut mox dicetur, est specificativum relationis: ergo terminus etiam formaliter sumptus præcedit relationem.

Resp. 1. Distinguo majorem: Specificativum *per modum causæ*, concedo; *specificativum per modum termini*, nego. Terminus autem non specificat relationem per modum causæ, sed per modum puri termini.

Resp. 2. Distinguo eandem majorem; Specificativum præcedit specificatum, in aliis rebus, concedo; in relativis mutuis, nego. Cum enim relativa mutua mutuo se specificent, non debent se præcedere, sed tantum simul esse; et hoc patet in divinis relationibus, in quibus Paternitas Divina nullo modo præcedit Filiationem, quæ est terminus ejus.

Urgebis. Si filius, formaliter ut filius, est terminus paternitatis, sequeretur, quod pater definiretur formaliter per filium, et filius per patrem: atqui hoc est inconveniens: ergo, etc. Major patet, nam relatio definitur per suum terminum. Minor vero probatur: quia alias daretur circulus vitiosus, dum pater definiretur, qui respicit filium, et filius, qui respicit patrem.

Resp. Nego minorem. Ad probationem, nego circulum in definitione relativorum esse vitiosum; imo est necessarius, ut dicit Porphyrius c. de Specie. Unde communiter dicitur, *Relativa mutua esse simul cognitione*, quia mutuo se notificant et definiunt; quamvis nec sit ibi omnino circulus, quia scilicet se definiunt sub diverso respectu: nam filius definitur per patrem, ut a se respectum; pater vero per filium, tanquam respiciens ipsum.

SECUNDA CONCLUSIO

Relatio non mutua non terminatur ad aliquid intrinsece et subjective relativum, sed solum relativum extrinsece et terminative.

Conclusio conciliat diversas Thomistarum sententias circa terminum relationis non mutuæ. Qui enim dicunt, eam terminari ad relativum, intelligendi sunt de relativo *extrinsece et termi-*

native. Qui vero dicunt, eam non terminari ad relativum, explicandi sunt de relativo *intrinsece et subjective*. Unde ut probetur et explicetur,

Adverte ex D. Thoma 5. Metaph. lect. 17. dupliciter aliquid posse dici relativum: primo *subjective* et *intrinsece*: secundo *terminative* et *extrinsece*. Relativum intrinsece et subjective est id, quod habet in se relationem. Relativum vero terminative est id, quod terminat relationem in alio existentem. Sicut aliquis potest dici dupliciter inimicus: primo intrinsece, quia odio habet aliquem: secundo terminative, quia odio habetur: sicut Christus dicebatur inimicus Judæorum, non quod eos odio haberet, sed quod ab eis odio haberetur. Hoc posito dicimus, quod in relationibus non mutuis terminus est quid relativum extrinsece et terminative, non intrinsece et subjective.

Probatur prima pars: illud non est intrinsece relativum, quod caret relatione: sed terminus relationis non mutuæ caret relatione; ergo non est quid relativum intrinsece. Major patet. Minor probatur: in hoc enim differt relatio non mutua a mutua, quod in ejus termino nullus sit reciprocus respectus.

Neque dicas, non esse quidem respectum realem, bene tamen respectum rationis.

Contra enim est: tum quia respectus ille rationis non potest esse ratio terminandi, siquidem relatio realis debet habere terminum realem: tum quia respectus rationis est solum aliquid secundarium, quod supponit relationem jam terminatam: unde terminus ille proprie sumptus non est quid relativum, etiam per rationem, nisi fundamentaliter.

Probatur etiam secunda pars: illud est relativum extrinsece et terminative, quod terminat relationem: atqui terminus relationis non mutuæ terminat relationem, ut de se patet: ergo est aliquid terminative et extrinsece relativum.

Objicies. Quod opponitur relative, est aliquid relativum: sed terminus relationis, etiam non mutuæ opponitur ipsi relative: ergo est aliquid relativum.

Resp. Distinguo majorem: quod opponitur relative est quid relativum, *intrinsece semper*, nego; *relativum extrinsece*, *et terminative*, concedo. Et concessa minore, distinguo similiter

consequentiam : terminus relationis est aliquid relativum, intrinsece semper, nego; terminative, concedo. Solutio patet ex dictis.

ARTICULUS QUINTUS

UNDE SUMATUR DISTINCTIO, TUM SPECIFICA, TUM NUMERICA RELATIONUM

Explicata divisione generica relationum, nunc explicanda est specifica et numerica eorum distinctio. Circa distinctionem specificam relationis triplex est sententia. Prima tenet, Relationes totaliter specificari a fundamento, sicque unitatem eorum specificam solum desumi ex unitate specifica fundamenti. Secunda tenet, eam desumi tantum a termino. Tertia et communior desumi ab utroque, ita ut relatio dicatur una specie, quæ habet unicum specie fundamentum et terminum.

PRIMA CONCLUSIO

Unitas specifica relationis desumitur a fundamento simul et termino, seu ex coaptatione fundamenti cum termino : diversitas vero specifica desumitur ex diversitate vel fundamenti, vel termini, ita ut variato alterutro varietur relatio.

Probatur prima pars ratione, quam tangit D. Thomas quodl. 9. art. 4. Ab eodem res desumit unitatem specificam, a quo desumit *esse* : sed relatio desumit suum *esse* a fundamento simul et a termino : ergo desumit unitatem specificam ab utroque. Major patet : siquidem ens et unum convertuntur : quælibet enim res est una per suam entitatem : unde ab eodem habet, ut una sit, a quo habet, ut sit. Minor vero declaratur. Relatio essentialiter est respectus ortus a fundamento ad terminum : ergo ab utroque desumit suum *esse*, a fundamento quidem, ut a causa, a termino vero, ut ab eo, quod connotatur ; seu, ut dicit B. Albertus Magnus, a fundamento, ut ab eo per quod est, a termino vèro, ut ab eo ad quod est.

Confirmatur, præcipue quod desumat a termino, ex generali principio a D. Thoma sæpius inculcato. Ea, quæ ordinantur ad aliud, specificantur per ordinem ad aliud : sed relatio ex

natura sua ordinatur ad terminum: ergo specificatur per ordinem ad terminum.

Probatur etiam secunda pars conclusionis, nempe ad varietatem seu termini seu fundamenti, variari speciem relationis: nam ex communi Philosophorum axiomate, *Bonum desumitur ex integra causa, malum vero ex quocumque defectu:* sed unitas specifica est quoddam bonum, divisio vero habet quasi rationem mali: ergo unitas specifica desumitur quidem ab unitate fundamenti et termini; diversitas vero ab alterutrius diversitate.

Confirmatur. Ut enim supra dictum est, relatio specificatur a fundamento et termino, et invicem commensurantur, seu ex coaptatione fundamenti cum termino: atqui commensuratio, seu coaptatio variatur variato alterutro extremo: ergo variato seu fundamento, seu termino, variatur relatio: ut verbi gratia, relatio dissimilitudinis, quam nix dicit ad corvum, et similitudinis, quam dicit ad cygnum, quamvis fundentur in eodem, scilicet in albedine, attamen sunt diversæ speciei propter variationem terminorum. Et similiter relatio patris ad filium, et similitudinis ad eumdem, sunt diversa propter diversitatem fundamentorum, quia paternitas fundatur supra generationem, similitudo vero supra convenientiam in figura.

Obji. 1. Unius non potest esse nisi unicum specificativum. sed relatio est unica et simplex: ergo non potest habere nisi unicum specificativum.

Resp. Fundamentum et terminum non habere rationem nisi unius specificativi: proprie enim specificant relationem, quatenus invicem coaptantur et commensurantur, ac proinde quatenus sunt quasi unum.

Obji. 2. Relatio non specificatur a suo opposito: sed terminus est oppositus relationi: ergo non specificatur ab ipso.

Resp. Distinguo majorem: Relatio non specificatur a suo opposito, *ut a causante speciem*, concedo; *ut a terminante*, nego. Adde præterea, quod speciale est in relativis, ut dependeant a suo opposito, ideoque possint ab illo specificari. Ut enim advertit D. Thomas qu. 7. de Pot. art. 8. ad 4. oppositio relativa est omnium minima, in qua unum oppositum non removet et de-

struit aliud, (sicut fit in aliis oppositionibus) sed potius ipsum respicit et exigit. Unde sola oppositio relativa locum habet etiam in divinis.

Obji. 3. Unica specie relatio respicit duos terminos specie distinctos; ergo non desumit suam unitatem a termino. Probatur antecedens: relatio filii terminatur ad patrem et matrem: sed relationes patris et matris videntur specie distingui: ergo, etc.

Resp. Distinguo antecedens: unica relatio respicit duos terminos, *inadæquatos*, concedo; *adæquatos*, nego. Nam pater et mater, sicut sunt unum totale principium productivum filii, ita constituunt unum totalem terminum filiationis.

SECUNDA CONCLUSIO

Unitas numerica relationum desumitur ex unitate numerica subjecti: unde in uno subjecto non potest esse duplex relatio solo numero distincta: ut in uno patre duplex paternitas. Ita Thomistæ omnes.

Probatur conclusio ratione generali D. Thomæ: omne accidens desumit suam unitatem numericam a subjecto: sed relatio est accidens: ergo desumit suam unitatem numericam a subjecto. Minor est certa: relatio enim annumeratur inter novem accidentia. Major vero probabitur in Metaphysica, ubi ostendemus, accidentia individuari a subjecto.

Obji. Unus pater potest habere plures paternitates solo numero distinctas; ergo unitas numerica relationis non desumitur ex unitate numerica subjecti. Probatur antecedens; ubi sunt plures termini, ibi sunt plures relationes: sed idem pater potest habere plures terminos paternitatis, scilicet plures filios; ergo et plures paternitates.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo majorem: ubi sunt plures termini, *formaliter distincti*, concedo; *materialiter solum distincti* nego. Pluralitas autem filiorum mere materialiter se habet respectu paternitatis; nam relatio patris præcise respicit filium sub ratione filii. Quod autem plures participent illam rationem filii, mere materialiter se habet: sicut absolutio sacramentalis solum respicit peccatum cum dolore confessum;

quod autem unicum, vel plura afferantur peccata, mere materialiter se habet respectu absolutionis. Unde sicut omnia peccata una absolutione remitti possunt, ita et omnes filii una relatione respici.

Instabis. Multiplicata causa multiplicatur effectus: sed producto novo filio multiplicatur fundamentum causans paternitatem, scilicet actio productiva: ergo multiplicatur paternitas.

Resp. Distinguo majorem: multiplicata causa multiplicatur effectus, *in subjecto capaci* illius novi effectus, concedo; *in subjecto incapaci*, nego. Porro qui jam habet paternitatem, incapax est novæ paternitatis similis. Unde quantumvis multiplicetur productio filiorum, non multiplicatur paternitas. Sicut quando ferrum est summe ignitum, quantumvis multiplicetur ignis, non multiplicatur in eo calor, quia jam ipsum habet.

Urgebis. Dum patri tres filios habenti moritur primogenitus, perit relatio ad ipsum: ergo distincta est a relationibus aliorum.

Resp. Distinguo antecedens: perit relatio ad ipsum, *ut relatio est*, nego; *ut ad ipsum est*, concedo; solum enim desinente primogenito, illa relatio, quæ tres antea respiciebat, desinit respicere primogenitum, quia *amplius non est*: cæterum integra manet in sua entitate, quia ad illam satis est, ut aliquis supersit.

ARTICULUS SEXTUS

DE PROPRIETATIBUS RELATIONUM ET COORDINATIONE HUJUS PRÆDICAMENTI

Proprietates relationum quinque numerantur ab Aristotele. Prima est *non habere contrarium*. Nam una relatio non pugnat contra aliam; et relationes diversissimæ in eodem subjecto se patiuntur. Unde non habent inter se contrarietatem, sed solum oppositionem relativam, per quam non se mutuo destruunt, sicut contraria; sed solum sese mutuo respiciunt.

Secunda proprietas est *non suscipere magis et minus per se*. Non enim relatio crescit, aut decrescit ratione sui, quia ad illam non datur motus, sed solum ratione sui fundamenti: ut

dum paries minus albus dealbatur, fit similior alteri maxime albo, ratione albedinis, quæ augetur.

Tertia proprietas est *invicem converti*. Nam unum relativum dicitur ad convertentiam cum alio: v. g. filius est patris filius, et pater est filii pater, dominus est servi Dominus, et servus est domini servus, etc.

Quarta proprietas est, *esse simul natura*, idest, simul existere. Relata enim ita invicem connectuntur, ut unum sine alio esse non possit: ut impossibile est, ut sit servus sine domino, et dominus sine servo.

Quinta proprietas est *esse simul cognitione*. Nam impossibile est cognoscere unum relativum sine alio; ut servum sine domino, et dominum sine servo: unde ut supra diximus, sese mutuo definiunt et notificant.

Attamen istæ tres ultimæ proprietates solis relativis mutuis videntur proprie convenire, ut expresse dicit D. Thomas de quarta proprietate, qu. 7. de Pot. ar. 8. ad 1. Quia tamen terminus relationis etiam non mutuæ aliquo modo dicitur relativus, extrinsece scilicet et terminative, in quantum respicitur a relatione, ideo quodammodo istæ tres proprietates possunt accommodari relativis etiam non mutuis, inquantum scilicet impossibile est, quod terminus actualiter terminet, nisi actualiter sit relatio; et ipsa relatio cognoscitur per suum terminum; ipseque terminus, quantum ad actualem functionem terminandi, cognoscitur per relationem.

Quantum ad coordinationem hujus Prædicamenti: in primis relatio prædicamentalis est supremum genus, quod dividitur in relationes *primi*, *secundi*, *et tertii generis*; idest fundatas in unitate et numero, seu convenientia et disconvenientia; actione et passione; mensura et mensurabili. Relatio primi generis dividitur in relationes *convenientiæ* et *disconvenientiæ*. Relatio convenientiæ subdividitur in relationes *identitatis*, *æqualitatis*, *et similitudinis*: Relatio vero disconvenientiæ, in relationes *diversitatis*, *inæqualitatis*, *et dissimilitudinis*. Relatio vero inæqualitatis, præcipue in numeris, subdividitur in varias species secundum varias proportiones, quæ attenduntur in numeris, ut in relationem *duplicis*, *quadruplicis*, etc. de quibus agunt A-

rithmetici. Relatio secundi generis dividitur in relationem fundatam in actione, et relationem fundatam in Passione. Relatio tertii generis dividitur in relationem ad mensuram, quæ est objectum, et ad mensuram, quæ est exemplar. Hæ vero species possunt rursus subdividi in alias, quas recensere non est necesse.

QUÆSTIO QUINTA

De Quarto Prædicamento, scilicet Qualitate

Qualitas tribus modis sumi potest. 1. Latissime, pro eo, quod prædicatur *in quale:* hoc sensu Aristoteles vocat differentias essentiales *Qualitates*, quod prædicentur in quale quid. 2. Paullo strictius, pro eo, quod prædicatur *in quale accidentaliter*, et sic omne accidens potest dici Qualitas. 3. Sumitur strictissime pro certo prædicamento accidentis, cujus proprium est accidentaliter qualificare, modificare, et disponere substantiam. Hoc modo sumitur hic Qualitas, de qua tria quærimus. 1. Quid sit. 2. Quotuplex sit. 3. Quæ sint ejus proprietates. Et hæc omnia paucis expediemus, quia licet Qualitas sit vastissimum omnium prædicamentorum, quæ tamen circa eam et ejus species difficilia sunt, pluribus aliis in locis discuti solent; agendo de habitibus, de virtutibus, et scientiis, de alteratione, etc.

ARTICULUS PRIMUS

QUID SIT QUALITAS

Qualitas definitur ab Aristotele, *Accidens, secundum quod dicimur quales.* Hanc definitionem, ut minus exactam, multi rejiciunt: nam *quale* non videtur notius qualitate. Sed considerandum cum D. Thoma Opusc. 44. quod suprema genera non possunt ita exacte definiri, præcipue Qualitas, quæ tam varias res tum spirituales, tum corporeas sub se continet, ut vix reperiri possit aliqua notio, quæ rebus adeo diversis aptari possit: unde Aristoteles quærens aliquid commune omnibus qualitatibus, id solum reperit, quod omnes afficiant substantiam per modum qua-

lificativi; ideoque definivit Qualitatem, *Accidens, secundum quod substantia dicitur qualis.* Nec mirum est, res universalissimas per aliquid sui definiri: nam in Metaphysica omnes definiunt *Ens*, id, quod habet *esse*, et tamen *esse* non videtur notius, quam *Ens*. Addit D. Thomas, quod concreta sunt nobis notiora, quam sint abstracta; siquidem cognitio sensibilis, a qua originatur cognitio intellectualis, non fertur nisi ad concreta, quæ proinde sunt nobis notiora: unde Aristoteles definit Qualitatem per suum concretum, tanquam per aliquid notius.

Verum qualitas exactius definiri potest cum D. Thoma 1. p. 2. q. 49. ar. 2. *Accidens modificativum, seu dispositivum substantiæ in se ipsa.*

Explicatur definitio. Per *Accidens* assignatur id, in quo Qualitas convenit cum aliis prædicamentis accidentalibus: cæteræ vero particulæ exprimunt id, in quo differt ab illis. Proprius enim character Qualitatis est accidentaliter determinare et modificare substantiam, cujus signum est, quod si mutemur secundum alia accidentia, ut secundum Quantitatem, dum augemur; aut secundum relationem, quam de novo acquirimus; aut secundum situationem, etc. non dicimur propterea *alterati* et *diversi;* bene tamen si mutemur secundum Qualitatem, ut si quis demutet colorem, vel figuram, vel mores, etc. dicitur *alter*. Unde sicut differentiæ essentiales determinant et modificant essentialiter genus, ideoque dicuntur aliquando *Qualitates substantiales;* ita quoque illud accidens, quod modificat, exornat, determinat, et disponit substantiam, dicitur *Qualitas accidentalis*, quæ proinde recte definitur, Accidens modificativum, seu determinativum substantiæ in se ipsa.

Dices. Etiam Quantitas modificat substantiam, inquantum illam extendit: ergo ista definitio non convenit soli Qualitati.

Resp. Nego, quod Quantitas proprie modificet substantiam: illam enim extendit præcise, in quantum tribuit ei partes diversimode modificatas. At vero Qualitas superveniens tali, vel tali modo disponit istas partes, eas figurando in modum trianguli, vel quadranguli: unde modificare substantiam, et partes ejus proprie convenit soli Qualitati.

ARTICULUS SECUNDUS

QUOTUPLEX SIT QUALITAS

Quatuor veluti paria specierum Qualitatis vulgo assignantur. Primum est *Habitus et Dispositio:* Secundum *Potentia et Impotentia:* Tertium *Passio et patibilis Qualitas:* Quartum *Forma et Figura.*

Probatur bonitas hujus divisionis ex D. Thoma 4. 2. q. 49. art. 2. Tot sunt species Qualitatis, quot modis substantia disponi potest in se ipsa: sed disponi potest quadrupliciter: ergo quatuor sunt species qualitatis. Major patet: nam Qualitas est *accidens dispositivum substantiæ.* Minor probatur: vel enim substantia disponitur, ut bene, aut male se habeat; et sic constituitur prima species qualitatis, scilicet *Habitus* et *Dispositio:* vel disponitur secundum *operari*, ut fortiter, aut languide agat, vel resistat, et sic est *Potentia* et *Impotentia:* vel disponitur secundum motum physicum, in quantum per illum novo modo se habet; et sic est tertia species, scilicet *Passio* et *Patibilis qualitas:* vel demum disponi potest secundum partes quantitativas, et sic est *Forma* et *Figura.* Sed ut ejusmodi species accuratius explicentur, de illis agemus singulis paragraphis.

§. I.

De Habitu et Dispositione

Definitur in genere hæc prima species, *Qualitas determinans subjectum ad bene, vel male se habendum in se, vel ad operationem.*

Explicatur. Plerumque subjectum est indifferens, ut bene, vel male se habeat, tum in *esse*, tum in operando: ut corpus indifferens est, ut sit sanum, vel ægrum; Anima, ut sit sancta per gratiam, aut maculata per peccatum; intellectus, ut sit sciens, vel errans; voluntas; ut sit prava, vel bona; Manus, ut sit perita ad pingendum, vel imperita: et ideo ejusmodi subjecta indigent qualitate determinante ad bene, vel male se ha-

bendum. Sic virtus determinat voluntatem, ut bene se habeat; vitium vero, ut male se habeat: sic scientia disponit intellectum ut bene se habeat circa veritatem; error autem, ut male: sic sanitas disponit corpus, ut bene se habeat; ægritudo, ut male: sic habilitas pingendi disponit manum, ut bene se habeat circa ejusmodi opus; imperitia vero, ut male. Sic gratia disponit animam, ut bene se habeat; charitas voluntatem, fides intellectum, et cætera hujusmodi constituunt hanc primam speciem.

Dividitur hæc prima species in *Habitum* et *Dispositionem:* Quo in loco *Habitus* sumitur, non pro veste, aut possessione, sed pro ea affectione, secundum quam res bene et male se habere dicitur, ut dum quæritur, quomodo aliquis se habeat, respondemus, bene, vel male se habere. Hoc posito.

Explicatur divisio. Qualitas determinans ad bene, aut male se habendum, vel firmiter adhæret subjecto, ac principiis immobilibus nititur; vel leviter afficit subjectum, ac minus firmis nititur principiis. Si primum, tum vocatur Habitus; si secundum, dicitur Dispositio.

Hoc totum declaratur inductione. Sic enim videmus, sanitatem et morbum habere instabilia principia, nempe concordiam humorum, quæ facile turbari potest. Sic etiam in spiritualibus, suspicio, dubium, opinio, et alia ejusmodi, levibus et facile mobilibus fundamentis innituntur; unde facile removeri possunt a subjecto. Hæ omnes qualitates sunt dispositiones; quod idem dicendum de habilitate, quæ est in manu ad pingendum, scribendum, pulsandam cytharam, et aliis corporalibus dispositionibus, quæ cum fundentur in corpore facile alterabili, facile quoque deperdi possunt. At vero Fides Divina, Scientia, Virtus, Gratia, et alia ejusmodi firmissimis principiis innituntur; ut fides nititur testimonio Dei; scientia principiis necessario veris: virtus bono honesto, quod est immutabile; Gratia Divino influxu, etc. Unde quantum est de se, istæ qualitates firmissimæ sunt, ideoque vocantur *Habitus.*

Hinc definitur Habitus, *Qualitas difficile mobilis, determinans ad bene, vel male se habendum.* Dispositio vero, *Qualitas facile mobilis, determinans ad bene, vel male se habendum.*

Porro cum substantia possit determinari ad bene, aut male

se habendum, tum ad *esse*, tum ad *operari;* hinc dividuntur Habitus (et idem dicendum de Dispositionibus) in *entitativos* et *operativos.*

Habitus entitativi sunt, qui determinant substantiam, ut bene, aut male sit: sic sanitas et ægritudo in corpore; pulchritudo et deformitas in vultu, gratia et peccatum in anima, determinant hujusmodi subjecta, ut bene, vel male se habeant. Habitus operativi sunt, qui determinant potentias ad bene, vel male operandum: sic scientia et error in intellectu; virtus et vitium in voluntate; habilitas, vel inhabilitas in membris corporeis, hæc subjecta determinant, ut bene, vel male se habeant ad operandum.

Quæres, an Habitus et Dispositio essentialiter differant? Resp. cum S. Th. 1. 2. q. 49. art. 2. ad 3. Habitum proprie dictum differre a dispositione proprie dicta, ut speciem a specie, proindeque essentialiter. Nam Habitus proprie dictus est, qui ex natura sua nititur principiis *difficile mobilibus:* contra Dispositio, quæ nititur ex natura sua principiis *facile mobilibus:* ergo ex essentia sua differunt.

Attamen fieri potest, ut Habitus ex essentialibus principiis difficile mobilis, per accidens, propter infirmitatem subjecti, sit ab eo facile mobilis; et contra sæpe fit, ut qualitas ex natura sua facile mobilis, quæ proinde essentialiter pertinet ad Dispositionem, ita firmetur in subjecto, ut difficile ab eo dimoveri possit. Unde Habitus nonnunquam induit statum Dispositionis, et Dispositio modum ac statum Habitus. Sic charitas, fides, spes, gratia, si principia, quibus nituntur, spectes, nempe Dei bonitatem, protectionem, atque veracitatem, et Spiritum sanctum, a quo infunduntur, firmissima sunt, et tamen ob humani arbitrii inconstantiam ac flexibilitatem modicæ tentationis statu nimium sæpe in nobis extinguuntur. Similiter scientia et virtus habent principia ex se immobilia, nempe veritatem et honestatem; et tamen utraque in tyrone instabilis est et facile mobilis: contra erroris, opinionis, vitii principia sunt ex se instabilia: et tamen longo usu, ac pertinacia ita firmari aliquando possunt, ut vix unquam dimoveri possint, ut videre est in hæreticis et peccatoribus induratis.

§. II.

De secunda specie Qualitatis, scilicet Potentia et Impotentia

Hæc secunda species qualitatis in genere definitur, *qualitas disponens substantiam ad agendum, vel resistendum:* seu, quod idem est, *Principium proprium agendi, vel resistendi.*

In primis dicitur *Qualitas disponens substantiam*, per quod convenit cum aliis speciebus: additur *ad agendum*, vel *resistendum*, per quod differt ab illis. Proprium enim potentiæ est simpliciter retribuere vim agendi, aut resistendi. Habitus vero operativi supervenientes non dant simpliciter vim agendi, sed determinant præexistentem potentiam agendi, ut bene, vel male se habeat: ut justitia non dat posse velle, sed potentiam volendi, quam supponit, rectificat circa bonum alienum, ut non deordinate feratur ad ipsum. Similiter Fides non dat intellectui facultatem cognoscendi, sed solum potentiam intellectivam elevat ad cognoscenda supernaturalia.

Dividitur vero in duo membra, scilicet Potentiam, et Impotentiam. Siquidem Qualitas disponens ad agendum vel resistendum, aut est fortis, aut est languida: si sit fortis, ut visus in juvene, durities in adamante, dicitur *potentia:* si vero sit languida, ut mollities in cera, fragilitas in vitro, visus in sene, dicitur *impotentia*, idest, debilis potentia. Ex quo patet hanc divisionem non esse proprie in diversas species, sed in diversos status; ut si quis divideret hominem in puerum et virum. Sicut enim puer evadit vir, ita Impotentia firmari potest, et fieri Potentia, aut contra. Sic facultas progressiva, quæ in puero est impotens propter mollitiem nervorum et musculorum, ex nimia cerebri humiditate provenientem, crescente puero, digesto abundantiore humido, roboratis nervis et musculis, fit Potentia: contra vero Potentia videndi fortis in juvene, vigore hebetato languescit in sene, fitque Impotentia.

§. III.

De tertia specie Qualitatis, scilicet Passione, et Patibili Qualitate

Nomen *Passionis* diversimode sumitur. 1. Pro proprietate essentiam consequente: sic dicimus, lucem esse passionem Solis, et duritiem Adamantis. 2. Pro receptione cujuslibet effectus; et sic constituit sextum prædicamentum, de quo infra. 3. Specialiter sumitur pro receptione alicujus afflictivi: sic Christus dicitur propter nos duram passionem substinuisse. 4. Sumitur pro motibus appetitivis, quibus animal fertur ad bonum, et fugit malum: sic amor, odium, ira etc. dicuntur *Passiones*. 5. Demum sumitur pro qualitate alterationem causante, vel consequente; et in hoc sensu modo eam sumimus. Unde hæc tertia species qualitatis definitur. *Qualitas alterationem sensibilem causans, vel ab alteratione sensibili causata.*

Explicatur definitio. Ut qualitas cum cæteris speciebus convenit, differt per alias particulas. Nam qualitatum hujus speciei proprium est, ut vel inducant, vel consequantur alterationem, quæ sensu percipitur, seu ut sensum afficiant et immutent: sic calidum et frigidum tactum immutant atque in rebus talem alterationem inducunt, quæ sensu facile deprehenditur: item sonus, odor, sapor, color, lux, siccitas, humiditas, etc. Itaque tota species ejusmodi sensibilium qualitatum sub hac specie continetur.

Porro hujusmodi qualitates si cito transeant, ut pallor ex metu, rubor ex verecundia causatus, dicuntur *Passiones*. At si permanenter insunt, ut pallor ex melancholica complexione causatus, rubor ex sanguinea, caliditas ex biliosa, dicuntur Patibiles qualitates.

Quod vero quæri posset, an Passio, et Patibilis qualitas sint species qualitatis essentialiter inter se diversæ?

Id facile solvitur. Nam constat, solum accidentaliter ab invicem differre, quatenus scilicet causæ a quibus in subjecto producuntur, illud magis, aut minus alterant. Unde idem numero pallor, qui a metu, aut morbo inductus, est passio transiens;

facile potest evadere in patibilem qualitatem, si metus, aut morbus ita ingravescat, ut complexioni durabilem quandam inferat alterationem.

Observandum hic, quod aliquando una qualitas videtur pertinere ad duas species, eo quod participet aliquid de ratione constitutiva utriusque speciei: ut calor est virtus activa ignis, sicque videtur pertinere ad secundam speciem, scilicet *Potentiam;* et præterea causat alterationem, sicque videtur pertinere ad tertiam speciem. Sed tunc considerandum, quid sit primarium et essentialius in tali qualitate; et secundum id debet ei assignari species: sic in calore videtur essentialius, quod sit qualitas alterativa, ideoque essentialiter pertinet ad tertiam speciem, licet etiam sit principium agendi in igne, et videatur inducre naturam Potentiæ: contra vero facultas nutritiva, licet causet alterationem in cibis, sicque videatur pertinere ad tertiam speciem qualitatis; attamen principaliter ordinatur ad agendum, ideoque pertinet essentialiter ad secundam speciem, scilicet Potentiam.

§. IV.

De quarta specie Qualitatis, scilicet Forma et Figura

Forma tripliciter sumitur. 1. Pro actu substantiali materiam primam informante, de quo initio Physicæ: sic anima dicitur forma viventis. 2. Pro quocumque actu sive accidentali, sive substantiali: sic albedo, virtus, scientia, dicuntur formæ accidentales. 3. Pro qualitate ex dispositione partium quantitatis resultante: sic dicitur forma vultus, forma manus, etc. In hoc tertio sensu modo sumitur. Similiter Figura aliquando sumitur pro imagine; sic Christus dicitur figura substantiæ Patris Æterni: aliquando vero prout idem fere est, ac forma, idest, pro qualitate ex partium dispositione resultante; ut dum dicimus, ceram habere figuram rotundam, triangularem, aut quadratam. Sic modo sumitur: unde

Definitur quarta species. *Qualitas resultans ex diversa dispositione partium quantitatis.* Partes enim quantitatis sunt de se indifferentes, ut diversimode disponantur, ut in modum py-

ramidis, vel trianguli : illa igitur qualitas, per quam tali, vel tali modo disponuntur et terminantur, dicitur *Forma*, vel *Figura*. Alio modo definiri potest Forma et Figura, *Terminus quantitatis :* nam ex terminatione quantitatis constituitur Figura. In rebus artificialibus ejusmodi dispositio, seu terminus partium quantitatis, dicitur *Forma*, ut forma domus, forma navis : in rebus vero naturalibus dicitur *Figura*, ut figura hominis, figura bovis, etc. quamvis sæpe in utroque sensu indifferenter usurpentur. Aristoteles utrumque nomen retulit, quia utroque modo solemus exprimere hanc qualitatem ex dispositione partium resultantem.

ARTICULUS TERTIUS

DE PROPRIETATIBUS QUALITATIS, ET EJUS COORDINATIONE

Tres qualitatis proprietates enumerat Aristoteles. Prima est, *quod Qualitas habeat contrarium :* proprium enim est qualitatum invicem pugnare, seque mutuo de subjecto deturbare : sic calor expellit frigus, vitium virtutem, morbus sanitatem. Attamen non omnes qualitates habent contrarium, ut patet de figuris, de luce, etc.

Secunda proprietas est *suscipere magis et minus :* siquidem qualitates possunt intendi et remitti, sicut modicus calor crescit, et fit major, et magnus calor minuitur. De hac intensione et remissione agetur in tertia parte Physicæ. Attamen non omnes qualitates capaces sunt illius vicissitudinis : nam figuræ, et potentiæ naturales non intenduntur.

Tertia proprietas est *fundare similitudinem et dissimilitudinem :* quæ enim conveniunt in qualitate, dicuntur *similia;* quæ vero disconveniunt, dicuntur *dissimilia.*

Quantum ad coordinationem hujus Prædicamenti ; Supremum genus est qualitas, quæ dividitur in quatuor species enumeratas, et explicatas. Prima species dividitur in *Habitum* et *Dispositionem.* Habitus alius est a Deo *infusus*, alius a nobis *acquisitus.*

Habitus a Deo infusus continet sub se *Gratiam*, *Fidem*,

Spem, *Charitatem*, *Dona Spiritus sancti*, *Lumen gloriæ*, *Lumen propheticum*, et alias supernaturales virtutes.

Habitus acquisitus alius est *intellectualis*, alius *moralis*, seu in appetitu residens. Habitus intellectualis dividitur in *intelligentiam*, *Sapientiam*, *Scientiam*, *Prudentiam et Artem*. Habitus moralis dividitur in *bonum et malum*: Bonus in varias virtutes, ut *Justitiam*, *Temperantiam*, *Fortitudinem*, et alias sub istis contentas: malus dividitur in varia vitia, si tamen vitia sint annumeranda inter habitus, proprie enim videntur esse solum dispositiones, eo quod instabilibus principiis nitantur, scilicet passionibus, et bonis fallacibus.

Dispositio autem dividitur in *corporalem et spiritualem*. Corporalis in *operativam*, et non *operativam*. Operativa continet sub se varias habilitates, ut *saltandi*, *pingendi*, *scribendi*, etc. Non operativa continet sub se *pulchritudinem*, *deformitatem*, *sanitatem*, *morbos*, etc. Dispositio spiritualis continet sub se *opinionem*, *fidem humanam*, *suspicionem*, et alias qualitates facile mobiles.

Secunda species, scilicet *Potentia et Impotentia*, dividitur in *Potentiam agendi et resistendi*. Potentia activa dividitur in *Immanentem*, idest, cujus opus manet intra principium, a quo producitur; et *Transeuntem*, idest, cujus opus transit ad extra. Potentia immanens dividitur in *Vegetativam*, *Cognoscitivam*, *et Appetitivam*. Vegetativa subdividitur in *Generativam*, *Nutritivam*, *et Augmentativam*. Cognoscitiva vero in *intellectum*, *et sensum*. Appetitiva tandem in *Voluntatem et Appetitum sensitivum*, etc. de quibus exactius agetur in libris de Anima. Potentia vero resistendi continet sub se *durum*, *molle*, *solidum*, *fragile*, etc. quidam reponunt species *intentionales* sub hac secunda specie: Melius tamen reducuntur ad primam, quia complent potentias cognoscitivas, ut eas determinent ad bene, vel male operandum, quod est proprium primæ speciei qualitatis.

Tertia species, scilicet *Passio et Patibilis qualitas*, dividi potest in quinque Sensibiles qualitates, scilicet *Colorem*, *Odorem*, *Sonum*, *Saporem*, *et Tangibiles qualitates*, ut sunt *frigus*, *calor*, etc. nam secundum alia quinque genera qualitatum fieri videtur *alteratio*, vel *physica* in corporibus, vel *intentio-*

nalis in sensibus nostris. Hæ vero qualitates subdividuntur in varias alias, ut in varios *Colores*, *Sapores*, etc.

Quarta species, scilicet Forma et Figura, dividitur in *Planam et Solidam.* Figura Plana dividitur in *Angularem et Circularem.* Circularis perfecta unius speciei est; imperfectæ variæ sunt species, *Ovalis*, *Lenticularis*, etc. Figura Angularis dividitur in *Triangularem*, seu *Trigonam*, *et Polygonam*, seu quæ pluribus quam tribus angulis constat, ut Quadrangularis, Quinquangularis, etc. Triangulus dividitur vel ratione *Laterum*, vel ratione *Angulorum:* ratione Laterum dividitur in *Isopleuron*, cujus tria latera æqualia sunt; *Isoscelem*, cujus duo tantum æqualia sunt; et *Scalenon*, cujus tria latera sunt inæqualia; ratione Angulorum dividitur in *Oxigonum*, cujus tres anguli acuti; *Rectangulum*, cujus unus Angulus rectus est; et *Ambligonum*, cujus unus Angulus obtusus est. Quadrangularis Figura dividitur in *quadratum*, cujus latera æqualia et anguli recti; *Rhombum*, cujus latera æqualia sunt, sed anguli inæquales; *Rhomboidem*, quæ neque æquilatera, neque æquiangula est, et alias plures Figurarum species. Figura solida dividitur in eam, quæ caret angulis, sub qua continentur *Sphærica*, *Ovalis*, *Cylindrica*, *Lenticularis*, et aliæ; et Angularem, sub qua continentur *Cubica*, *Pyramidalis*, et alia, de quibus Geometræ.

QUÆSTIO SEXTA.

De sex aliis Prædicamentis

Sex alia prædicamenta brevius perstringi solent, quod eorum pleraque vix ullius usus sint; alia vero, ut Actio, et Passio, in Physica uberius explicentur. Quæri posset in genere, in quo consistunt. Scotus et plerique alii censent, esse relationes: sed si relationes sint, cur distincta a relatione prædicamenta constituunt? Deinde non consistunt in *esse ad*, ut relatio, sed in aliquo alio, ut Actio in *esse ab*, Passio in *esse in*, Situs in partium dispositione, etc. Itaque relationes non sunt. Alii censent, esse denominationes extrinsecas; sed si essent, novum genus rei, proindeque nec prædicamentum, constituerent. Neque

enim denominationes *visi*, *amati*, *cogniti*, speciem prædicamenti constituunt, sed ad formarum, a quibus petuntur, prædicamenta reducuntur. Si ergo *Ubi*, *Quando*, etc. nihil sunt, quam denominationes ductæ a Loco et Tempore, ad idem prædicamentum pertinebunt, ad quod Locus et Tempus pertinent. Unde alii verosimilius putant, esse modos rebus ipsis intrinsecos, licet ab aliquo exteriori pendeant; ut *Ubi* est aliquis modus afficiens rem ex eo, quod sit in loco. Ita innuere videtur S. Thomas 1. 2. qu. 49. art. 1. Verum non sunt tanti, ut pro illis acrius contendamus. At quod utilius fuerit, eorum occasione primum aliquid in genere de Modis dicemus; tum singula ea prædicamenta paucis expediemus.

ARTICULUS PRIMUS

DE MODIS, ET EORUM DISTINCTIONE A REBUS MODIFICATIS

Modi nomen adeo vagum est, et varie sumitur, ut vix una definitione figi possit. Sumitur latissime pro omni eo, quod *rem determinat ad aliquam essendi rationem*. Hoc sensu non solum accidentia, sed et forma, ac differentia essentialis dici possunt *Modi*: determinant enim ad quandam essendi rationem. Sumitur specialius Modus pro *mediocritate*, seu *statu* inter extrema medio; quo sensu dixit S. Augustinus 4. super Genes. ad litteram c. 3. *Modus est, quem mensura præfigit*. Et Horatius præclare.

Est modus in rebus, certi sunt denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Verum neque tam lato, neque tam stricto sensu hic Modus sumitur; sed pro eo, quod non tam novam rem affert, quam rei novum quendam statum. Atque sic *Res* distinguitur a Modo, ut Res sit insignior quædam entitas, sive substantialis, ut forma et materia; sive accidentalis, ut calor, frigus, virtus, quantitas, etc. Modus vero sit aliquid minutius, quo res istæ aliter et aliter se habent, ut segnities et velocitas non sunt motus ipse, aut virtus movens; sed modus, secundum quem virtus illa et motus aliter et aliter se habent. Aliqui distinguunt Modos ab ac-

cidentibus, quod accidens a Deo conservari sine subjecto possit, non item Modus. At quis scit, num etiam Deus Modos seorsim a subjectis conservare possit? neque enim nostrum est terminos divinæ potentiæ præscribere. Alii dicunt, Modum esse, qui nihil affert subjecto præter se ipsum; ut curvitas ramo nihil tribuit, nisi esse curvum; at vero Accidens, aliquid aliud a se tribuit, nempe vim et energiam quandam, ut calor igni non solum tribuit esse calidum, sed etiam vim calefaciendi, dissolvendi, etc. Verum nec omnia forte accidentia præter se aliquid subjecto tribuunt; nec desunt ex modis, qui aliquid energiæ rebus afferant ut calor intensior plura potest, quam debilior. Alii contendunt, omnia accidentia esse Modos; sed hi fere de voce litigant. Nos enim nomine *Modi* non intelligimus insigniora accidentia, sed quiddam minus, cujus adventu res insigniores, atque inter alias ipsa accidentia, aliter et aliter se habent.

Hac posita Modi notione, nunc dicendum de ejus a re modificata distinctione. Quidam censent, nullum Modum a rebus distingui. Quidam fere Modos omnes a rebus realiter distinctos volunt. Inter hæc extrema distinguendum.

Modorum enim quidam sunt positivi, ut velocitas in motu, intensio in calore, quidam negativi, qui scilicet formaliter negationem potius important, ut finitudo et brevitas in linea important ejus quantitatem cum negatione ulterioris extensionis. Rursus Modorum positivorum alii sunt penitus extrinseci, qui nihil in re ponunt, sed aliquid circa rem, ut columna fit mihi dextra, vel sinistra sine sui mutatione, præcise quia ego ad illam situm mutavi. Alii vero sunt intrinseci, qui scilicet aliquid in re ipsa dicunt, ut Figura est in re figurata, Passio in re patiente, Ubicatio in re ubicata. Modorum intrinsecorum aliqui sunt absoluti, qui scilicet aliquid in re dicunt absque respectu ad aliam; ut duratio in re durante; alii sunt connotativi, qui aliquid in re ipsa dicunt, sed cum connotatione alicujus extrinseci, ut *comburere* in igne dicit virtutem, quæ in igne est, non præcise secundum se, sed ut connotat effectum in re combusta per eam productum. His positis.

Primo evidens est, modos negativos non importare in re ip-

sa aliquid ab ea distinctum, sed solum negationem alicujus a re distincti: sic calor, dum ex vehementi fit languidus, novo modo se habet, non quod illi aliquid sit additum, sed potius ab eo detractum.

Secundo constat, modos extrinsecos importare aliquid distinctum a re; non tamen in re, sed circa rem: ut paries ex non viso fit visus, oculo circa illum mutato.

Tertio constat, modos connotativos aliquid itidem importare a re distinctum, nempe connotatum: ut ignis calefaciens connotat aliquid ab igne distinctum, nempe calorem ab igne in ligno productum.

Itaque solum quæstio circa duo remanet. 1. An modi connotativi præter extrinsecum, quod important, aliquid dicant in re ab ea distinctum. 2. An modi absoluti intrinseci aliquid itidem distinctum rebus adjiciant.

PRIMA CONCLUSIO

Si res ex se ipsa aliam connotet, modus connotativus nihil in re ab ea distinctum ponit.

Conclusio est evidens. Nam quod ex se tale est, alio non eget, ut tale sit; ergo si res ex propria entitate sit connotativa alterius, connotativus modus non est aliquid in re ab ea distinctum. Sic respectus scientiæ ad objectum non est aliquid a scientia distinctum; nam ex sua natura scientia est ad objectum; et generaliter omnes relationes transcendentales sunt a rebus indistinctæ. Eo principio docebimus in Physica, modum unionis non distingui a materia et forma, quia per se forma est actus materiæ, ideoque ut illam actuet, in quo consistit unio, satis est, ut detur materiæ.

SECUNDA CONCLUSIO

Si modus connotativus in ipsa rei natura non includitur, est aliquid in re ab ea distinctum.

Probatur conclusio. Quod non est ex se tale, indiget aliquo, ut tale fiat; si ergo res aliqua ex sua natura non sit connotati-

va alterius, impossibile est, ut eam realiter connotet absque aliquo sibi addito. Ob hanc rationem prædicamentales relationes a rebus absolutis distinctas esse censemus, quod in earum essentia non includantur. Eadem de causa, si sex prædicamenta sint, ut videtur, rebus intrinseca, sunt modi iis additi: non enim res ex sua natura est in tali, Ubi, Situ, Quando, etc.

Fateor tamen, non facile discerni, qui modi respectivi sint intrinseci, et an res ex sua entitate aliam connotet. Hinc natæ sunt illæ quæstiones de distinctione relationum a fundamento, ac de sex reliquis prædicamentis, item de distinctione modi unionis ab extremis unitis; quas forte fusius persequi satis inutile est. Nos tamen, si quas usus celebres fecit, suis in locis non omittemus.

TERTIA CONCLUSIO

Modi positivi absoluti, qui esse et non esse possunt in re modificata, realiter ab ea distinguuntur, eique aliquid reale adjiciunt.

Conclusio adeo evidens est, ut mirum sit aliter quibusdam videri. Nam etsi de modis illis intimis, qui a re separari nequeunt, ut de existentia, dubium aliquod esse possit; at certe per se notum est, eos, qui rebus adventitii sunt, et eas in se ipsis realiter immutant, ab illis distingui, et aliquid ipsis addere. Et quidem quod distincti sint: non enim evidentius argumentum distinctionis est, quam quod unum sine alio esse posset; ergo modi, sine quibus res esse potest, non sunt ipsa res, sed aliquid ab ea distinctum. Quod vero rei afferant aliquid reale, ex eo constat, quod res iis affecta aliter in se ipsa se habeat: nam si rei nihil reale accidat, aliter re ipsa non se habet, ut per se notum est; ut si nihil omnino addatur colori, in se intensior non erit.

Respondent quidam, ad realem distinctionem satis non esse, ut res sine modo existere possit; sed exigi præterea, ut modus itidem sine re esse possit, saltem divinitus. Quod cum fieri nequeat, ut intensionem coloris esse sine calore, motum sine re mota, inde colligunt, hos et similes modos a rebus non distingui.

Sed hanc conditionem gratis apponunt. Nam præter quam

non satis constat, possint ne hi modi sine rebus a Deo conservari, ad distinctionem satis est, ut unum extremorum esse possit sine alio. Porro quod aliud vicissim non possit esse sine illo, arguit solum necessariam ab eo dependentiam: unde plura esse non possunt sine rebus, a quibus tamen distinguuntur; ut materia esse nequit sine aliqua forma, actus vitalis sine principio vitali, effectus sine aliqua causa; et tamen materia ab omni forma, actus vitalis a principio suo, effectus a suis causis distinguitur. Itaque, quod modus esse nequeat sine re modificata, non est, quod ab ea non distinguatur, sed quod ab ea necessario pendeat.

Respondent alii, modum realiter quidem distingui a re modificata, si ab ea separari possit; at non propterea afferre rei aliquam entitatem ab ea distinctam, sed solum dicere ipsam rei entitatem ut aliter se habentem, quam si modo illo careret.

Verum hi vel ludunt in verbis, vel sibi contradicunt; nam implicat, rem aliter se habere, si nihil ei accedat; ergo si modus nihil sit præter rem ipsam, non aliter se habebit adventu modi; immo nec adveniet rei, si nihil sit præter eam: nam quod nihil est, non advenit. At inquiunt: Modus non est nihil, nec entitas a re distincta; sed aliquid medium inter nihil et rem, nempe aliquid modale: sed si sit aliquid modale, aliquomodo est aliquid; ergo dum additur modus rei, aliquid ipsi additur. Quo vero nomine vocent illud aliquid, parum refert; quæstio solum erit de nomine. Nos entitatem, seu realitatem modalem vocamus, quod entitas et realitas sint nomina ita generalia, ut quidquid in rebus datur, sub his contineatur.

ARTICULUS SECUNDUS

DE ACTIONE ET PASSIONE

De his rursus agemus in Physica. Interim advertendum est, in effectu tria posse distingui. 1. Egressum ejus a causa efficiente. 2. Receptionem in subjecto. 3. *Fieri* effectus. Ut dum fit calor ab igne in ligno, hic calor oritur ab igne, recipitur in ligno, et per aliquod tempus est in *fieri*. Egressio effectus a cau-

sa dicitur *Actio.* Receptio in subjecto dicitur *Passio.* Fieri vero dicitur *Motus.* Primum constituit prædicamentum actionis. Secundum constituit prædicamentum Passionis. Motus vero, quia est aliquid viale, et incompletum, non pertinet ad speciem prædicamenti, sed reducitur ad prædicamentum sui termini; ut motus calefactionis ad prædicamentum, in quo calor constituitur. His ita positis.

Actio prædicamentalis recte definitur, *actus secundus potentiæ activæ;* seu, accidens, *quo causa constituitur actu causans.* Utraque definitio in idem redit, et patet ex dictis: nam sicut causa dicitur agere, inquantum profundit effectum; ita quoque actio dicitur id, per quod causa constituitur actu profundens effectum. Alia definitio tradi solet, qua actio dicitur, *formâ, secundum quam in id, quod subjicitur, agere dicimus.*

Passio vero *est actus secundus potentiæ passivæ*, seu, accidens, *per quod subjectum constituitur actu recipiens effectum ab agente:* si enim pati sit idem, ac recipere effectum; Passio erit id, per quod subjectum constituitur actu recipiens effectum ab agente.

Dividitur autem prædicamentum Actionis in actionem transeuntem, quæ *aliquid producit ad extra, ut urere, secare*, etc. et immanentem, quæ *nihil extra ponit, sed tota consummatur intra suum principium*, ut *intelligere, imaginari, velle* etc. nam actio immanens, cum sit vere ac proprie actio, pertinet ad hoc prædicamentum, etsi aliqui negent. Actio immanens dividitur in *Cognoscitivam et Appetitivam:* Cognoscitiva in *Sensitivam et Intellectivam:* Appetitiva in *Volitionem et Appetitionem Sensitivam et Naturalem:* Artificialis in varias species Artium, ut *pingere, saltare, canere*, etc. Naturalis dividitur in *Accidentalem et Substantialem*, (si tamen generatio substantialis sit vera actio distincta ab alteratione) utraque vero subdividitur in varias species. Passio autem dividitur juxta varias divisiones Actionis, siquidem Actioni productivæ effectus correspondet sua Passio.

ARTICULUS TERTIUS

DE PRÆDICAMENTIS, UBI ET SITU

Ubi in communi dividitur in *ubi* divinum, et in *ubi* creatum. Ubi, seu potius ubique divinum, est præsentia Dei in omni loco ratione immensitatis, qua implet omnia, quamquam peculiari quadam ratione dicatur esse in cœlo veluti throno, quod in eo, ut in nobiliori opere, insignius reluceat ejus majestas et potentia; vel etiam quod is locus sit, in quo a Beatis videtur. Unde in Scriptura dicit: *Cœlum mihi sedes est, et terra scabellum pedum meorum.*

Ubi creatum dividitur in ubi *definitivum*, et ubi *Sacramentale*. Ubi definitivum est, quo res ita est in uno loco, ut non sit in alio. Ubi Sacramentale, est præsentia unius substantiæ in naturali suo loco manentis sub accidentibus alterius, in quam conversa est, qualem fides docet, Corpus Christi habere in Eucharistia. Ubi definitivum, aliud est spirituale, quo scilicet substantia spiritualis sit ita præsens loco, ut sit tota in toto, et tota in qualibet ejus parte: aliud est quantitativum, seu circumscriptivum, quo corporea substantia ita est in loco, ut sit tota in toto, et pars in ejus parte. Illud videtur esse solum prædicamentale.

Unde prædicamentum Ubi definiri potest cum Gilberto, *circumscriptio corporis a circumscriptione loci;* vel, accidens, *quo res est in loco;* seu determinatur, ut sit in hoc potius, quam in alio loco. Nam corpus ex se indifferens est, ut in quovis sit loco: ut ergo in hoc potius, quam in alio sit loco eget aliqua determinatione sibi adventitia. Et hæc accidentalis determinatio nomine *Ubi* intelligitur.

Hinc infertur, ubi divinum non esse in hoc prædicamento: non enim est accidens, aut circumscriptio, immo nec proprie ubi, sed *Ubique*, seu potius immensitas non locata, sed loca omnia et res locatas continens et superexcedens. Ubi etiam Sacramentale non continetur in hoc prædicamento, quia est alterius omnino rationis a naturali: immo nec ubi spirituale, quia res spirituales non sunt in locis univoce, sed modo longe diverso a corporibus. Verum hæc accuratius Theologi.

Differentiæ Ubi sex assignantur ab Aristotele 3. Physic. textu 45. *Sursum*, *Deorsum*, *Ante*, *Retro*, *Dextrorsum*, *Sinistrorsum*; quæ quidem non quoad nos, sed quoad universum spectari debent, ut ipse innuit ibidem.

Situs est *dispositio partium in loco:* nam eadem res in eodem loco partium dispositionem variam subit, ut homo sedendo, stando, cubando, etc. Hæc igitur varia dispositio partium in loco dicitur *Situs*, qui dividitur in situm naturalem, cum scilicet partes rei sunt in propria dispositione, ut cum arbor habet radices deorsum, ramos sursum; et situm innaturalem, ut cum e contra radices arboris sunt sursum, et rami deorsum. Uterque subdividitur in varias species situum.

ARTICULUS QUARTUS

DE PRÆDICAMENTIS, QUANDO ET HABITU

Prædicamentum *Quando* est accidens resultans in rebus ex eo, quod sint in tempore, tanquam dependentes et mensuratæ ab illo. Est autem tempus, duratio motus primi mobilis, quod spatio viginti quatuor horarum perficit suam circulationem. Sicut ergo ex eo, quod res sit in loco, resultat prædicamentum *Ubi;* ita ex eo, quod duratio ejus dependeat a duratione primi motus, seu a tempore, resultat prædicamentum *Quando.*

Aliqui ponunt in hoc prædicamento *Quando* angelicum: nam Angeli habent suum tempus, quo mensurantur eorum operationes. Sed communiter rejicitur ab hoc prædicamento; tum quia tempus Angelicum non convenit univoce cum nostro, nec proinde *Quando* Angelicum cum *Quando* rerum corporalium; tum quia in Angelis non datur unum tempus commune, a quo necessario dependeant operationes Angelorum, sicut durationes rerum corruptibilium dependent a duratione motus primi mobilis.

Species hujus prædicamenti sunt, quibus solemus respondere ad interrogationem *Quando;* scilicet, *Heri*, *Cras*, *Hodie*, *Anno præterito*, etc.

Habitus definitur *accidens resultans in rebus ex circumpositione vestium, vel armorum:* ut enim notat D. Thomas 1. 2.

q. 49. art. 1. prædicamentum habitus non est ipsa vestis, aut ipsum corpus, sed aliquid medium resultans in corpore ex circumpositione vestium, quibus ornatur, vel armorum, quibus munitur. Ejus species sunt arma, et vestes. Arma dividuntur in offensiva, et defensiva; et utraque in varias species. Vestimenta dividuntur in vestimenta hominum, et vestimenta pecudum, et utraque in varias species.

Hæc de plebeiis istis prædicamentis sufficiant: nam ea fusius prosequi rei momentum non exigit. Satis est juxta vulgarem explicandi modum ea delineasse.

QUÆSTIO SEPTIMA

De Postprædicamentis

ARTICULUS UNICUS

De Postprædicamentis jam aliquid diximus in minori Logica. Sunt modi, qui ad res prædicamentales invicem comparatas consequuntur. Quinque recensentur ab Aristotele, *Oppositio, Prioritas et Posterioritas, Simultas, Motus et Habere.*

Oppositio alia est propositionum, de qua jam fuse diximus; alia rerum, quæ hic sola spectatur. Oppositio rerum est repugnantia determinata aliquorum inter se. Dicitur *Repugnantia determinata*, ut excludatur oppositio improprie dicta, quæ est inter res disparatas, ut inter diversas species rerum: Hæc enim non respicit determinatum extremum sibi correspondens, sed quælibet rei species aliis disparate opponitur, ut homo leoni, equo, arbori. At vero proprie dicta oppositio exigit determinatum extremum, cui repugnet aliud, ut frigus calori, cæcitas visioni, etc. Itaque oppositio duas exigit conditiones, nempe distinctionem extremorum, et aliquam inter ea repugnantiam.

Oppositio est quadruplex, *relativa, contraria, privativa et contradictoria.* Nam omnis repugnantia vel est inter ens et ens, vel inter ens et non ens. Si inter ens et ens, vel ea provenit ex mutuo respectu, et sic est *relativa;* vel eo, quod a subjecto se expellant, ut frigus et calor, et sic est *contraria.* Si sit inter

ens et non ens; vel non ens exprimitur per modum puræ negationis, ut homo et non homo, et sic est oppositio *contradictoria;* vel exprimitur per modum non entis in aliquo subjecto, ut visus et cæcitas, et sic est oppositio *privativa.*

Oppositio *relativa* est omnium minima; in ea enim unum extremum non destruit aliud, sed potius exigit. Unde in Deo locum habet, quia nullam essendi privationem secum affert, sed solum distinctionem cum respectu, ut notat Sanctus Thomas q. 7. de Potent. 8. ad 4. Sic Pater et Filius per oppositionem relativam in Divinis distinguuntur. Definitur hæc oppositio, *Repugnantia inter duo ex eo, quod se mutuo respiciant.*

Oppositio contraria est *Repugnantia inter duas formas, quæ sub eodem genere, maxime distant, et ab eodem subjecto sese expellunt;* ut calor et frigus, albedo et nigredo, vitium et virtus: sunt quædam contraria, quæ nullum medium admittunt, atque ob id immediata dicuntur; ut vitium et virtus, sanitas et ægritudo: nam alterutrum inesse oportet subjecto. At sunt aliqua, quæ medium admittunt, ut inter album et nigrum plures sunt colores medii, pallidus, fuscus, glaucus.

Oppositio privativa est *repugnantia inter formam et ejus privationem*, ut inter lucem et tenebras, visum et cæcitatem. Porro privatio est *carentia formæ in subjecto ad eam habendam apto:* nam si subjectum sit incapax formæ, ejus carentia non est *privatio*, sed *negatio*, ut carentia scientiæ in bruto, et auditus in lapide. Ob eam causam carentia visus in cane recens nato proprie privatio non est, quia naturæ ordine nondum aptus est ad visum.

Oppositio *contradictoria* est *repugnantia inter ens et non ens.* Omnium maxima est. Nam cum alia opposita, aut non se destruant, aut medium patiantur, aut subjectum commune habeant et genus, contradictoria se ita perimunt, ut nihil commune admittant. Unde, ut notat Sanctus Thomas, oppositio contradictoria est aliarum causa, atque in illis aliquatenus admiscetur.

Secundum postprædicamentum *prioritatem*, eique correlatam *posterioritatem* continet, cujus notio satis constabit explicata prioritate. Itaque prioritas *est modus, quo una res præcedit aliam.* Quintuplex recensetur ab Aristotele. Prima est prioritas

temporis, secundum quam unum præcedit aliud duratione, ut pater creatus suum filium. Secunda est prioritas *secundum subsistendi consequentiam*, ut vocat Aristoteles, quæ inter ea, quorum unum infert ex alio, sed non infert ipsum: quod enim infertur ex alio, et ad illud præsupponitur, dicitur prius ipso secundum essendi consequentiam. Sic animal est prius homine; nam infert ex homine, sed non infert hominem: valet enim consequentia, est homo; ergo est animal: sed non econtra. Est animal; ergo est homo. Tertia prioritas est *ordinis*, quando unum præcedit aliud ordine; ut exordium alias partes orationis, et logica cæteras scientias. Quarta est *prioritas dignitatis*, qua unum excellit præ alio; sic rex præcedit principes. Quinta et præcipua est *prioritas naturæ*, cum licet utrumque sit in eodem instanti reali, unum tamen dependet ab alio, ut a causa sui *esse:* sic Sol est prior sua luce, ignis suo calore, et generaliter omnis causa est prior effectu.

Hæc autem naturæ prioritas duplex est, scilicet Prioritas *in quo*, et prioritas *a quo*. Prioritas *in quo* est inter ea, quorum unum dat *esse* alteri, a quo non dependet in suo *esse:* sic Sol dat *esse* luci, a qua non dependet; posset enim absolute existere sine luce. Prioritas *a quo* est inter ea, quæ a se mutuo dependent in diverso genere causæ: sic forma dependet a materia, et rursus materia a forma.

D. Thomas sæpe meminit alterius modi prioritatis, quam vocat *Prioritatem generationis*, et opponit prioritati perfectionis. Ea dicuntur *Priora generatione*, quæ prius fiunt; ut puer viro prior est ordine generationis. Ea vero dicuntur *Priora ordine perfectionis*, quæ sunt nobiliora; ut vir puero est prior ordine perfectionis. Et quia communiter naturalis generatio procedit ab imperfecto ad perfectum; ideo perfectiora sunt ordine generationis posteriora.

Tertium Postprædicamentum est *simultas*, quæ totuplex assignari potest, quotuplex est prioritas. Unde prima est simultas *temporis*, et est inter ea, quæ simul in eodem instanti existunt; ut inter lumen et solem. Secunda est simultas *consequentiæ*, quæ est inter ea, quæ se mutuo inferunt; ut inter risibile et rationale: valet enim. Est risibile; ergo et rationale; et econ-

tra, est rationale; ergo risibile. Tertia est simultas *ordinis*, inter ea nempe, quæ sunt ejusdem ordinis; ut inter species, quæ sub eodem genere collocantur. Quarta simultas est *dignitas*, quæ est inter pares secundum dignitatem. Quinta est simultas *naturæ* inter ea, quæ licet non sint sibi invicem causæ, attamen se mutuo ponunt et destruunt: sic relativa dicuntur *esse simul natura:* nam posito uno ponitur aliud, sublato uno tollitur aliud; ut posito domino, necesse est ponere servum, et contra.

De Motu et Modis habendi nihil hic addendum habemus iis, quæ jam diximus in minori logica. Quamquam de motu rursus agendum in physica.

SECUNDA PARS
LOGICÆ MAJORIS

DE ENTE RATIONIS, SECUNDAM MENTIS OPERATIONEM SPECTANTE.

QUÆSTIO UNICA

De Propositione

Præcepta, propositionem ac judicium spectantia satis accurate expendimus in Logica Minore; supersunt quædam *quæstiones* discutiendæ, atque imprimis, cum propositio vocibus constet, 1. Quæritur, an voces naturaliter significent, vel ex solo hominum instituto. 2. Quid sit propositio mentalis. 3. An propositionum de futuro contingenti altera sit determinate vera, et altera falsa. Hic etiam agi posset de veritate, an in sola secunda mentis operatione inveniatur: sed ea de re dicemus commodius in metaphysica, cum de veritate in universum tractabimus.

ARTICULUS PRIMUS

AN VOCUM SIGNIFICATIO SIT A NATURA, VEL EX HOMINUM INSTITUTO (1) UBI ETIAM DE IDIOMATUM VARIETATE, AC DIVERSIS SCRIPTURÆ MODIS APUD NATIONES USITATIS

Stoici, ut refert S. Augustinus lib. de principiis Dialecticæ, censuere, voces non hominum arbitrio, sed naturali quadam

(1) *Claritatis gratia tria hic accurate distinguenda sunt.* 1° *An vocum significatio, prout voces sunt signa idearum, ac*

cum rebus affinitate significare. Nam *Mel* auribus ipsis dulciter sonat, *Voluptas* blande, *Crux* dure, *Asperitas* aspere; *murmur*, ut profertur, auditur; *Vepres* ipso sono auditum pungunt: *Hinnitus* equorum, *Balatus* ovium, *Tinnitus* campanarum, *Stridor* catenarum, *Sibilus* serpentum, *Grunnitus* porcorum quid significent, ipso sono indicant; *Robur* fortiter profertur, et *Vis*

---

proinde rerum sit a natura determinata. A natura inquam vel humana, vel vocis ipsius; ut haec vox homo, *quæ naturam humanam in abstracto significat. De hoc satis habet Auctor in præsenti articulo. 2° An loquendi facultas, ejusque exercitium sit homini a natura, præciso quovis particulari idiomate. 3° An haec ipsa facultas, solis naturæ viribus, ac sine ullo exteriori magisterio, nullaque societatis naturalis adjumento, ita ad actum deduci possit ut homo sibipsi et linguam, et idioma perfectum determinare valeat.*

Quo ad alterum spectat dignus est, qui legatur D. Th. 1, Perih. lect. 2. Homo, *inquit*, si esset naturaliter animal solitarium sibi sufficerent animæ passiones, quibus ipsis rebus conformaretur, ut earum notitiam in se haberet: sed quia homo est animal naturaliter politicum, et sociale, necesse fuit, quod conceptiones unius innotescerent aliis, quod fit per vocem; et ideo necesse fuit esse voces significativas ad hoc, quod homines invicem conviverent. *Aliis utique modis, nobisque imperviis, potuisset Divina auctrix Sapientia si voluisset, hanc manifestationem inter homines efficere: at voces articulatæ visæ sunt aptiores, humanæ naturæ faciliores, itidem et promptiores.*

Ad tertium quod attinet, Rationalistæ, ac Semirationalistæ hujus temporis, qui humanis viribus plus quam par est tribuunt, accerrime defendunt, Idiomatis cujusvis constitutionem, naturalem hominis potentiam non excedere. Et Rationalistæ quidem, objecta quavis Divini Magisterii necessitate, totam hominis perfectionem ab ipso homine repetunt per quamdam naturalium facultatum evolutionem, seu progressum, ut inquiunt; quo a primaevo belluino statu pedetentim ad hanc civilem, et cultam vitam pervenit. Hinc, Idioma, Societatis leges, Artes, ac Scientiæ. Semirationalistæ vero Scripturam Divinam venerantes, facta, quæ de Adam loquente cum Deo, et Eva, deque Babelica confusione linguarum ita admittunt, ut non negent etiam, hominem potuisse sua vi, ac ratione, secluso Divino interventu, linguam, ac Idioma sibi efformare. Sunt vero et viri doctissimi, qui sine Divino Magisterio, idipsum primitus fieri posse negant, et primigeniam linguæ, vel Idiomatis institutionem, humanam potentiam sibi relictam omnino superare. Brevi-

non sine vi quadam et conatu pronuntiatur. Ab his primigeniis vocibus naturali affinitate res significantibus omnia vocabula fluxisse contendebant Stoici, vel similitudine quadam; ut à *Cruce*, *crura*, quod sua longitudine, duritia, ac dispositione Crucis ligna imitentur; vel participatione, ut *a Vi*, *vinum*, quod vim augeat; item *Vita* et *vivere*, quod sit fons virium animalis, *Vincere* et *vincire*, quod utrumque per vim fiat: vel etiam contrarietate quadam, ut *Lucus* a *luce*, quod sit minime lucidus; *Mons* a *movendo*, quod non moveatur; *Bellum*, quod minime bellum sit. Hujc sententiæ ex parte favet Plato in Cratilo, ubi docet, voces partim a natura, partim ab arbitrio significare

Verum etsi homini naturale sit conceptus suos vocibus exprimere, attamen quod hæc vox hanc potius, quam aliam rem significet, non a natura, sed ab hominum arbitrio pendet (1).

---

ter, qui hanc quæstionem intimius perscrutari cupit hæc præ oculis habere debet. 1° Ad perfecti Idiomatis constitutionem non sufficere, meras vocum imitationes, ut psitaci faciunt, sed sequiri præterea determinata signa conceptionum mentalium, quorum determinatio non hominem rudem, ac fere belluinum, uti supponunt, sed perfecte intelligentem, et omni scientia cumulatum exposcit. 2° Quod duo, vel plures homines in unum convenerint, ut hæc signa determinarent, prout in Senatu vel Academiis fieri solet, absurdum omnino est: nullum enim idioma conficere poterant, nisi mediante alio Idiomate quo se intelligerent, et sibi conceptus manifestarent. 3° Evidentia facti convincimur, patriae, in qua nati sumus, linguam a parentibus, et nutricibus una cum lacte in filios traduci; nominum vero, ac verborum significationes non a parentibus primum, sed ab usu traditionali haberi. 4° Linguam maternam a pueris facillime, et mirabili quodam modo apprehendi; econtra, difficillime et pene impossibile adulta aetate, ob organorum inflessibilitatem. 5° Tandem linguam nationalem, et satis divulgatam, humana vi, atque industria obliterari non posse, nisi destructa penitus, vel mutata Natione; siquidem irritum fuit vel ipsis potentioribus Monarchis, linguam propriam ita diffundere, ut antiquam devictarum Nationum omnino delerent.

(1) *Non equidem ab hominum arbitrio ita pendere dicendum est, quasi privato cuivis liceat, vel nova vocabula instituere, vel usu recepta in significationem alterum usurpare; alioquin qui* Canem *pronuncians* Equum *designare contenderet, ridiculus ipse foret; sed cum necessitas, vel usus id apertissi-*

Nam quod homini est a natura inditum, ubique ac perpetuo uniforme est: atqui non eadem vox ubique ac perpetuo idem significat; nam idem sonus vocis apud diversos populos diversas res significat; immo apud eosdem vox eadem diversis rebus tribuitur, ut patet in æquivocis; ergo non naturali affinitate, sed arbitraria institutione voces significant. Et sane hæc vocabula, *Amor*, *Mens*, *Vox*, *Motus*, *Fuga*, innumeraque alia primaria, palam est, nullam ex natura cum rebus significatis affinitatem habere. Quod ergo quædam voces rebus affines ad easdem exprimendas potius, quam aliæ usurpentur, atque in universum omnis vocum significatio ab hominum instituto provenit, quorum primus Adam rebus nomina imposuit Genes. 2. Hinc fuit unica in mundo lingua, Hebræa, scilicet, usque ad fabricam turris Babel, cum Deus linguas confudit, cuilibet familiæ propriam quandam dialectum tribuendo: sicque factæ feruntur septuaginta duæ linguæ matrices; quarum præcipua vocabula sapiunt aliquid hebraeæ linguæ, a qua derivatæ sunt, ut fuse ostendit Asteldius de Græca et Latina in sua Encyclopedia. Ab his vero 72. per innumeras corruptiones, derivationes, pro-

---

me exposcit, dummodo quantum fieri poterit, primigenii Idiomatis indoles ac natura servetur. Nam etsi primitivam hominum linguam non humano, sed Divino interventu constitutam dixerimus, fieri tamen potest, ut ex primis linguæ radicalibus, varie collatis, inflexis, ac pronunciatis alia condantur vocabula vel ad animi passiones vividius exprimendas, vel ad objecta prius ignota, ac noviter designanda. Quibus, *ut ait Tullius* (de fin. 4. 3. c. 4.) etiam verba patienda sunt, imponendaque nova novis rebus nomina, quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans in omni arte, cujus usus vulgaris, communisque non fit, multam novitatem nominum esse, cum constituantur earum rerum vocabula, quæ in quaque arte versentur.

Fieri item potest, ut quædam vocabula obsolescant, propterea quod eorum objecta, vel illorum significatio extra usum, mores nostros posita sint. Econtra accidit, cum antiqua in morem revocantur, ut apposite cecinit Horatius.

Multa renascentur quæ jam cecidere, cadentque.
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus.
Quem penes arbitrium est, et jus, et norma loquendi.

nuntiationum variationes, novarum vocum admixtionem, ea fluxit idiomatum diversitas, quam in nationibus orbis Plinius merito admiratur lib. 1. histor. natur. cap. 1.

Nec solum quælibet natio, immo unaquæque pene provincia proprias voces habet, sed propriam etiam pronuntiandi formam; quæ non modo ex educatione, ac perenni a parentibus ad filios derivatione traducitur, sed etiam ex ipso Cœli, ac soli ingenio, varia organorum dispositione, aeris temperie, imaginationis ac complexionis diversitate oritur. Hebræi, Chaldæi, Arabes, et fere alii Orientales ex imo gutture vocem aspere trahunt, eo quod forte nimio calore dissipatus et effœtus spiritus non sponte ac libere erumpat, sed ex imo pectore sit eruendus, quod nobis etiam nimia contentione ac declamatione exhaustis solet contingere. Germani, Poloni, ac fere Septentrionales verba inter dentes frangunt, quasi externo harum regionum frigore spiritum includente, ut nobis etiam accidit nimio frigore trementibus. Galli vero lingua et labiis vocem expedite, ac venuste formant, quod spiritus nec nimio frigore interclusus, nec immodico calore dissipatus libere ac facile erumpens, solis organorum extremitatibus sine labore in voces figuretur. Hinc etiam fit, ut una gens ad alterius pronuntiationem obstupescat et hæreat; non solum ob oppositam consuetudinem novitati repugnantem, sed quod varia sit organorum dispositio in diversis populis, non minus quam vultus lineamentorum. Hispanorum gutturalis, quam a Mauris hereditasse videntur; et consertæ in unam syllabam tot consonantes Polonorum et Germanorum, Gallis asperrimæ videntur. At vero *u* Gallicum pene omnium aliarum nationum scopulus est, ut *Scibboleth* Ephratæorum, Judicum 12.

Et quidem si homo uteretur sola cognitione sensitiva, ut notat S. Thomas 1. Perhierm. lect. 1. cum ea versetur solum circa præsentia, sufficeret ei vox ad manifestandos aliis proprios conceptus. Verum quia homo pollet cognitione intellectiva, quæ latius se extendit ad futura et absentia, ut futuris et absentibus suas conceptiones manifestaret, necessarius fuit Scripturæ usus. Nam vox quidem est ut fluxa quædam et transiens scriptura in molli aere exarata: at scriptura est vox permanens ac fixa, ad absentes et posteros facile commeans. Hinc apud barba-

ras et rudes Americanorum nationes, quæ pene pecudibus similes præsentia solum curant, vix illius est scripturæ usus, quamquam minus barbari harum regionum populi, ut Peruviani, scripturæ loco rudes quasdam rerum, quas absentibus significare volunt, imagines delineant ad eos transmittendas.

Sed ut in pronuntiandi ratione, ita in scribendi modo apud varias nationes, etsi non tanta, magna tamen diversitas existit. Duplex autem in genere scribendi ratio observatur. Una per characteres symbolicos, quorum singuli singulas res repræsentant; altera per litteras sonos significantes, ex quibus junctis syllabæ, ac ex illis vocabula componuntur. Prima scribendi ratio in usu fuit apud antiquos Ægyptios, qui singulis rebus figuras symbolicas aptabant, Deum per figuram Solis exprimentes, ubertatem per cornucopiam, etc. Hanc scribendi rationem haustam ab Ægyptiis ex parte retinent Astronomi, qui constellationes, præcipue Zodiaci, etiamnum figuris animalium repræsentant, aut certe quibusdam animalium particulis, ut cornibus Tauri eo nomine dictum signum repræsentant, cauda Leonis signum Leonis, etc. Sinenses, ac contermini populi hac una scribendi forma utuntur: non enim habent Alphabetum certo litterarum numero contentum, ut cæteri populi, sed cuilibet rei proprium characterem attribuunt, quo fit, ut hi characteres ad octoginta fere millia pertingant, incredibili plane incommodo, non solum externorum, qui hanc linguam addiscunt, sed Sinensium ipsorum, quibus ætas fere omnis impendenda est in his addiscendis characteribus, quorum qui plures novit, eo doctior habetur. Cæteræ nationes utuntur secunda illa scribendi ratione ex 24. aut ad summum 28. litteris omnia vocabula formantes, minori labore, ac fructu uberiori.

Neque tamen conveniunt in modo exarandi has litteras. Orientales lineam ducunt e dextra ad sinistram, ut Hebræi, Chaldæi, Arabes, etc. Econtra Græci, Latini, ac fere alii a sinistra ad dexteram scribendo progrediuntur. Quinam potiori ratione, non satis in comperto est. Primis favet antiquitas, et sacræ linguæ usus; et quod prius sit perfectum, quam imperfectum; dextrum autem videtur perfectum, sinistrum imperfectum. Po-

steriοribus favet commoditas: nam motus a sinistra ad dextram facilior est; ac præterea naturæ ipsius ordo, qui procedit ab imperfecto ad perfectum. Sinenses neutra hac via scribunt, sed lineam ducunt a summo ad imum paginæ, forte quod ea ratione characteres, quibus utuntur, facilius pingantur. Sed de his hactenus.

ARTICULUS SECUNDUS

SITNE PROPOSITIO MENTALIS SIMPLEX QUALITAS

Constat, propositionem vocalem et scriptam, esse quid compositum: illa enim pluribus vocibus, hæc pluribus litteris solet exprimi. Certum est, propositionem mentalem plures ideas supponere, nempe ideam prædicati, et subjecti. Verum certum quoque est, non consistere in apprehensione illarum idearum; hæc enim spectat primam mentis operationem. Unde propositio mentalis consistit proprie in ea mentis actione, qua exprimimus habitudinem illam idearum ad invicem, sive affirmando, sive negando; seu potius, est expressio interius mente facta illius habitudinis, seu affirmativæ seu negativæ. Sunt, qui velint, hanc expressionem esse quid compositum.

CONCLUSIO

Propositio mentalis *est simplex qualitas, nempe conceptus simplex repraesentans habitudinem prædicati cum subjecto.* Sic innuit S. Thomas 1. cont. gent. c. 55. ubi de propositione mentali ait: *In ea prædicatum et subjectum intelligi secundum unam speciem totius.* Idem expressius affirmat 1. p. q. 58. ar. 2.

Probatur ratione. Conceptus formatus unico actu est unus et simplex: sed propositio mentalis formatur unico actu; ergo est unus et simplex conceptus. Minor constat: nam, propositis duabus ideis, uno actu judico, an una sit idem cum alia, necne; sicque propositionem mentalem efformo. Major quoque non est minus evidens: actio enim est *fieri* termini per eam producti, *fieri* autem commensuratur *esse* per illud producto; ergo terminus una simplici productus actione unus est et simplex. Deinde:

non potior ratio est, cur habitudo prædicati ad subjectum uno actu attingatur, quam ut uno conceptu exprimatur. Sicut ergo uno actu judico de illa habitudine, ita et uno conceptu meum exprimo judicium.

Declaratur amplius id totum. In propositione mentali tria sunt. 1. Actus, quo v. g. judico, Petrum esse doctum. 2. Ideæ, circa quas ille actus versatur, nempe, Petrus et doctus. 3. Expressio illius judicii, quæ proprie dicitur *propositio mentalis*, id est, conceptus expressus, seu formatus per illum actum judicii. Ut enim motio linguæ format quendam terminum, qui locutio externa dicitur; ita actio intellectus format quendam terminum interiorem, qui dicitur locutio mentalis: experimur enim, nos cogitando apud nosmetipsos interius loqui. Porro cum res simpliciter apprehendimus, terminus ille per hanc actionem productus dicitur *Idea*, atque etiam *Terminus mentalis*: at qui formatur per actum judicii, dicitur *Propositio mentalis*. His positis certum est, propositionem mentalem supponere plures ideas; constat itidem, mente de earum habitudine unico actu judicare. At inde inferimus, hoc judicium una simplici qualitate exprimi, quæ expressio est ipsa mentalis propositio; ut enim una linguæ motione unam externam vocem formamus, ita uno actu interiori unam dictionem internam.

Confirmatur. Objectum formale propositionis mentalis est quid simplex; ergo et ipsa propositio: desumit enim ab objecto unitatem. Declaratur antecedens. Licet propositio mentalis versetur circa duas ideas, prædicati nempe et subjecti; attamen id, quod formaliter respicit, est habitudo prædicati ad subjectum, quæ exprimitur *est*, aut *non est*: sed illa habitudo, licet versetur inter duo, est tamen unum quid et simplex; ergo objectum formale propositionis mentalis est quid unum et simplex.

Obji. 1. Propositio mentalis complectitur prædicatum et subjectum: atqui utrumque nequit uno conceptu contineri; ergo propositio mentalis non est unus simplex conceptus, sed ex tribus compositus, nempe ex ideis prædicati, subjecti, et copulæ.

Resp. Distinguo majorem: complectitur prædicatum et subjectum, *ut unita in una cognitione judicativa*, concedo; *ut plura sunt*, nego. Equidem prædicatum et subjectum seorsim sum-

pta plura sunt, atque duas apprehensiones terminant; at, dum respiciuntur a judicio, se habent ut unum, quatenus uniuntur in una habitudine. Cum ergo propositio mentalis propric exprimat illam habitudinem, quam mens judicat esse inter prædicatum et subjectum, respicit utrumque ut unum, seu ut unita in illa habitudine: unde est unus conceptus complectens prædicatum et subjectum per modum unius. Nec enim repugnat, plura unico actu percipi, ac uno conceptu repræsentari, quatenus sub una ratione uniuntur: sic una domus idea, res inter se diversas complectitur, quatenus sub unius artefacti ratione uniuntur: sic una species visiva complectitur colorem, figuram, distantiam, quatenus uniuntur in una ratione visibilis.

Instabis. Terminus actus compositivi est compositus: sed propositio mentalis est terminus actus compositivi: ergo est composita. Major videtur certa: nam intantum actus est compositivus, inquantum format aliquid compositum. Minor vero probatur: ut enim dicitur 1. p. q. 58. art. 4. Homo differt ab Angelo, quia Angelus simplici intuitu videt prædicatum in subjecto, ideoque non componit: at vero Homo prius concipit subjectum, deinde prædicatum, et postea utrumque conjungit; ideoque dicitur intelligere per actum compositivum.

Resp. Distinguo minorem: propositio mentalis est terminus actus compositivi, compositione *repræsentativa* et *objectiva*, concedo; compositione *quasi entitativa*, nego. Et ad consequentiam; ergo propositio mentalis est composita, *repræsentative* et *objective*, concedo; quasi, ut sic loquar, *entitative*, nego.

Explicatur solutio. Angelus unico intuitu comprehendit quidquid est in re, ut, videndo hominem, videt omnia prædicata, quæ ipsi conveniunt: unde hominem, ejusque attributa intelligendo non componit, aut dividit. At vero Homo, cum sit debilioris luminis intellectivi, non intelligit nisi per partes: unde prius distincto conceptu intelligit subjectum, et postea prædicatum, quæ deinde unit ad invicem per actum judicii, in quantum format unicum tertium conceptum repræsentativum unionis prædicati cum subjecto: seu potius judicii unionis utriusque, qui conceptus dicitur *Propositio mentalis;* ideoque propositio dicitur composita, non quidem entitative, quasi sit aggregata ex pluri-

bus conceptibus, sed repræsentative, quia repræsentat prædicatum et subjectum ut unita, quæ prius repræsentabantur separata: sicut, si pictor prius pingeret D. Petrum, et postea D. Paulum distinctis tabellis; et deinde formaret tabellam tertiam, utriusque Apostoli occursum repræsentantem, hæc tabella diceretur composita, non quidem entitative, (esset enim unica) sed repræsentative, quia duos repræsentaret.

Instabis. Atqui Angelus etiam componit repræsentative; ergo nulla disparitas esset inter Hominem et Angelum. Probatur antecedens: ille componit repræsentative, qui format conceptum repræsentantem diversa: sed etiam Angelus format conceptum, in quo diversa repræsentantur, scilicet subjectum cum suis prædicatis; ergo componit repræsentative.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem, distinguo majorem: ille componit repræsentative, qui format conceptum repræsentantem diversa, *prius divisim apprehensa*, concedo; diversa *non prius divisim apprehensa*, nego. Et ad minorem: Angelus format conceptum repræsentantem diversa, quæ prius *divisim apprehendat*, nego; quæ simul *unico actu* comprehendat, concedo. Etenim compositio supponit divisionem: unde ut quis componat repræsentative subjectum cum prædicato, debet prius utrumque distinctis conceptibus apprehendisse, et deinde unum tertium conceptum formare, qui utrumque uniat. Porro Angelus non apprehendit distinctis conceptibus prædicatum et subjectum, sed unico actu intelligit utrumque: unde nullo modo componit etiam repræsentative.

Dices. Propositio vocalis est composita etiam entitative: ergo idem dicendum de mentali.

Resp. Nego paritatem: nam propositio mentalis est sublimioris ordinis, quam sit vocalis; et ideo est minus composita: *Quæ enim sunt dispersa in inferioribus, sunt unita in superioribus.*

Obji. 2. Syllogismus non est simplex qualitas, sed aliquid compositum ex conceptu majoris, minoris, et consequentiæ; ergo nec propositio erit simplex qualitas, sed aliquid compositum ex conceptu prædicati et subjecti. Probatur paritas: nam etiam major, minor, et consequentia concipiuntur per modum unius totalis orationis.

Resp. Nego paritatem. Ad probationem distinguo: major et minor concipiuntur per modum unius totalis orationis, *pluribus actibus formatæ*, concedo; *uno actu formatæ et expressæ*, nego. Propositio enim mentalis ita est unica oratio, ut unico actu formetur et exprimatur; unde est simplex qualitas. At vero syllogismus formatur pluribus actibus, scilicet assensu majoris, minoris, et consequentiæ; unde non est una oratio unitate simplicitatis, sed solum unitate compositionis. Si tamen Syllogismus pro sola illatione sumeretur, esset quid simplex, perinde ac propositio, quia illatio illa fit unico actu.

ARTICULUS TERTIUS

AN PROPOSITIONUM CONTRADICTORIARUM DE FUTURO CONTINGENTI UNA SIT DETERMINATE VERA, ALTERA FALSA, ETIAM ANTE DECRETUM DEI

Constant, propositiones contradictorias in materia naturali esse ex tota æternitate veras, aut falsas, etiam abstrahendo ab omni Dei decreto. Ut illa est ab æterno et immutabiliter vera, *Bis tria sunt sex;* illa falsa; *Bis tria sunt octo;* certum est itidem, propositionem de contingenti præterito, aut præsenti, esse determinate veram, aut falsam; ut istarum, *Adamus peccavit*, *Adamus non peccavit*, prima vera est, altera falsa. Et si quis dicat, nunc pluit in India, nunc non pluit in India, altera determinate vera est, altera falsa, licet nesciamus, utra sit vera: eventus enim contingens, postquam præteritus est, aut præsens, non est amplius pendulus, sed determinatus ad alterutram contradictionis partem. Unde solum quæstio esse potest circa propositiones de futuro contingenti, cujusmodi hæ sunt, Petrus disputabit, Petrus non disputabit.

Quæ quidem quæstio, cum his temporibus adeo celebris sit, paullo accuratius tractanda nobis est. Atque ut id distinctius fiat, 1. Quæstionis statum proponemus. 2. Sententiam nostram stabiliemus. 3. Argumenta illi contraria solvemus.

Proponitur status Quæstionis

Celebris olim inter antiquos Dialecticos quæstio fuit, an propositionum contradictoriarum de futuro contingenti una pars esset determinate vera ex tota æternitate. Chrysippus et alii quidam, acuti magis, quam solidi affirmabant, ut refert Cicero lib. de Fato. Alii negabant, eaque contentio multis sæculis intra Dialecticorum scholas fere se continuit, donec moderni quidam Theologi illam traxere ad sacræ doctrinæ abstrusiora arcana explicanda: nam cum decreta Dei eventus liberos ab æterno prædefinientia negarent, quærendum illis erat medium, in quo Deus futura certo præsciret. Cum varia media fingerent, quæ ut minus apta facile refutabantur, tandem illud veteribus Theologis ignotum a Dialecticis mutuati sunt, Deum omnia præscire in veritate propositionum contradictoriarum. Quippe omnem propositionem esse determinate veram, aut falsam, etiam ex tota æternitate; proindeque Deum, quem nulla veritas latet, etiam ante quam quidquam decerneret, præscivisse in illa veritate, qui eventus futuri essent, aut qui non futuri. Hinc magno ingenii conatu defendere cœperunt hanc opinionem, ut qua omnis eorum de præscientia Dei doctrina fulciebatur (1). Qua in parte

---

(1) *Cum enim liberos hominum eventus in Divinis prædefinitionibus, seu decretis includi scirent, timebant ne libertatis humanæ, de qua, plusquam de divinis decretis sollicitiores erant, jura violarentur. Rem* materialiter, *et prout* verba sonant, *non ut in Scholis Catholicis exponebatur, accipiebant. Hinc problema dialecticum, simul, et theologicum* an Deus in suis decretis, vel potius in veritate unius ex propositionibus contradictoris futura libera cognosceret. *Alteram problematis partem novitii quidam theologi vindicandam susceperunt; idque totum, ut systema* Scientiæ Mediæ, *quod Ludovicus Molina in re theologica intruserat, vel purgarent, vel saltem emollirent. Sed perperam. Pone si placet, ex his duabus contradictoriis,* Carolum hæreticum evasurum, Carolum hæreticum non evasurum, *primam esse veram, non ex prædefinita permissione Divina, a cujus efficacia pendet existentia cujusque rei, sed vi propositionis contradictoriæ; quid inde sequatur nemo est, qui non videat. Sequitur enim inter subjectum, et prædicatum esse nexum necessarium, ac proinde necessarium eventum ita exposcere, ut,*

mirari satis nequeo horum hominum consilium, qui mysterium tanti momenti argutiæ Logicali commisere. Verum ista viderint Theologi: nos, quod instituti præsentis est, quæstionem intra Logicæ fines continebimus, Theologicis rationibus, atque objectionibus ad Theologos remissis. Ut tamen status quæstionis distinctius proponatur,

Notandum est, propositiones illas duobus modis spectari posse. Primo post decretum Dei, quo ab æterno constituit, quid sibi placeat in tempore evenire. Cum enim Deus sit supremus omnium rerum arbiter, atque seculorum Rex, omnia in tempore contingentia summa potestate disponens, omnes eventus futuros ab æterno prædefinivit, mala quidem decreto, ut vocant Theologi, *permissivo*, bona vero decreto etiam *effectivo* et *approbativo:* quibus positis decretis omnia suaviter quidem, infallibiliter tamen, ut ipse disposuit, eveniunt, juxta illud Isaiæ cap. 46. *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* Et ad Roman. 9. *Voluntati ejus quis resistit?* His decretis nituntur præscientia Dei et prædictio Prophetarum. Post ejusmodi decreta nemini Christiano dubium est, propositiones de futuro con-

---

aliquando Carolum hæreticum evasurum *sit ex necessitate naturæ. Sed neque Deus talem eventum impedire potest; quia independenter, ut ajunt, se habet ab ejus voluntate, cujus oppositum Dogma Catholicum docet. Actum est ergo de Providentia Divina, de libera rerum creatione, de Supremo ejus in res creatas dominio, sed illico se parat Stoicorum et Epicureorum putida, ac absoleta doctrina iterum rediviva. Et quod maxime mireris, actum est etiam de libertate humana, quam nedum integram illi servent, contra volum funditus evertunt, et ineluctabili fatalismo subjacent.*

Cæterum, qui non a vitiata Epicureorum scientia, sed a Christiana, eaque catholica sapientia problematis hujus solutionem petunt, habent ex D. Thoma tum 1. p. q. 19. a. 8. tum alibi passim plenius, quod desiderant. Cum Voluntas Divina *inquit* sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. *Vult autem Deus quædam fieri* necessario, *quædam* contingenter, *quædam* libere. *Errant ergo toto cœlo qui liberos hominum eventus ex Divinis decretis ita pendere putant, quasi violenter, et contra naturam libertatis Deus ageret.*

tingenti determinate veras esse, aut falsas; atque cum decreta illa sint æterna, ab æterno quoque esse veras, aut falsas.

At Propositiones illæ spectari secundo possunt abstrahendo ab omni decreto Dei, ut ab Aristotele et aliis antiquis considerabantur; vel, ut a modernis Theologis considerantur, in priori quodam rationis, seu, ut alii vocant, in signo antecedente decreta, non quidem prioritate temporis, sed considerationis; quatenus concipimus voluntatem Dei sine ullo adhuc circa eventus contingentes decreto. In hoc statu quærimus, an propositiones de futuro contingenti determinatam veritatem habeant, aut potius indifferentes sint ad utrumlibet, atque expectent determinationem Divinæ voluntatis, qua earum objecta ex mere possibilibus fiant futura, aut non futura.

Quamobrem falluntur, aut fallunt Adversarii, dum non distinguunt *ante et post decretum*, sed absolute contendunt, has propositiones esse determinate veras, aut falsas. Atque ad id suadendum frustra congerunt varias Scripturæ et Patrum auctoritates, ac plerasque rationes, quæ procedunt de illis propositionibus post decretum spectatis, in quo statu nullus Thomista negat, certo illas a Deo præsciri, atque determinate veras, aut falsas esse. Unde ne leviter quidem difficultatem attingunt, sed aranearum telas contexunt unico flatu dissipandas, dicendo scilicet, has auctoritates et rationes intelligi de propositionibus illis, non ante, sed post decretum spectatis. His ita constitutis sit

CONCLUSIO

Propositionum de futuro contingenti neutra est determinate vera, vel falsa ante decretum Dei, id est, pro eo statu, in quo Divina voluntas concipitur nihil adhuc determinasse circa eventus contingentes. Ita censent Thomistæ omnes, cæterique illi Theologi, qui tenent, Deum in suis decretis futura cognoscere.

Probatur. 1. Conclusio ex Aristotele Periherm. c. 8. ubi postquam statuit, ex Contradictoriis de præterito, et præsenti alteram esse determinate veram, alteram falsam; expresse negat, ita esse in propositionibus de futuro contingente: *In quibus*, inquit, *licet necesse sit, alteram esse veram vel falsam, non ta-*

men hanc vel illam distincte. Et rationem affert, quia propositiones se habent sicut res: itaque eum res contingens, antequam fiat, sit indifferens ad utrumlibet; propositio quoque de illa formata est indifferens ad veritatem, aut falsitatem. Subscribens Aristoteli Sanctus Thomas idem asserit his verbis ibidem: *Licet ex duabus illis propositionibus alterutra sit vera, non tamen hæc, vel illa determinate.*

Respondent Adversarii, Aristotelem solum voluisse has propositiones non esse directe veras, aut falsas *quoad nos;* licet sint determinate veræ, aut falsæ *quoad se.*

Sed facile confutatur hæc responsio: nam etiam pleræque propositiones de præsenti et præterito non sunt determinate veræ, aut falsæ quoad nos, ut istæ, astra sunt paria, Astra non sunt paria. Itaque si Aristoteles solum vellet, propositiones de futuro contingenti non esse determinate veras, aut falsas quoad nos, nihil illis tribueret, quod tribuendum non sit propositionibus de præsenti et præterito: atqui expresse docet, has quidem esse determinate veras, aut falsas, at non itidem illas; ergo non loquitur de propositionibus quoad nos, sed quoad se spectatis. Unde relicta illa expositione, quæ destruit textum,

Respondent ingenue alii, Aristotelem ita quidem censuisse, (adeo enim expressus est, ut nulla verosimili expositione possit ejus auctoritas eludi) at, inquiunt, in hoc erravit (1) fide destitutus. Sic Suarez 2. parte de gratia, Prolegomeno de Scientia Conditionata c. 7. n. 11.

Verum hæc responsio confutatione indigna est; observanda tamen, ut ex ea videas, quantum hac in parte recedant adversarii, non modo a S. Thoma, et primatibus Doctoribus, sed etiam ab Aristotele. Stat igitur pro nobis Aristoteles. Utrum erraverit, vel recte senserit, rationibus exponendum est.

Probatur itaque 2. Conclusio ratione Aristotelis et S. Thomæ; propositio de futuro non est determinate vera, quamdiu

(1) *Mirandum potius, quod Gentilis sine lumine fidei, ac inter suorum errores, moresque depravatos, id perspicacissime cognoverit, quam qui in doctrina Catholica edoctus, quod evidentissimum est videre noluit.*

ejus, objectum non est determinate futurum: atqui ante decretum Dei nihil est determinate futurum; ergo propositio de futuro non est determinate vera, aut falsa ante decretum Dei. Major certa est: ut enim dicit Aristoteles, immo ut naturali lumine constat, propositio desumit veritatem ab objecto: unde quamdiu objectum est mere indifferens ad fore, vel non fore, propositio quoque est indifferens ad veritatem, aut falsitatem. Minor, quam solam negare possunt adversarii, tribus momentis evincitur.

Primo auctoritate Sanctorum Patrum. Futura non sunt futura ante illud, quo fiunt futura: sed ex Sanctis Patribus Deus facit futura, ea decernendo; ergo ante decretum Dei non sunt futura. Major nota est ex terminis. Probatur minor dissertis verbis Sanctorum Patrum, S. Augustinus tract. 68. in Joan. *Deus facit futura, ea prædestinando.* Unde lib. 26. contra Faustum de futuris ait; *Ideo ea nescio, quia, quid habeat de his rebus voluntas Dei, me latet.* S. Ambrosius lib. 5. de Fide, cap. 7. *Fecit Deus, quæ futura sunt, quia futura sunt, quæ esse præcepit*, id est, decrevit. Idem innuit S. Hilarius lib. 6. de Trinit. Atque hanc suam doctrinam confirmant Patres ex illo Isaiæ 45. *Hæc dicit Dominus Sanctus Israel, plastes ejus, ventura interrogate me:* ubi sic legunt septuaginta Interpretes: *Sic dicit Dominus Deus Sanctus Israel, qui fecit ventura:* nempe, ut illi exponunt, ea decernendo. Non itaque erant futura, antequam Deus ea decerneret.

Secundo probatur eadem minor ratione S. Thomæ. Futurum est, quod habet in sua causa determinationem ad essendum: sed ante decretum res non habent in suis causis determinationem ad essendum; ergo non sunt futuræ. Major est S. Thomæ 1. p. q. 16. art. 7. ad 5. et præterea est evidens: nam futurum est, quod est determinatum ad essendum; hanc autem determinationem effectus contingens non habet ex se, sed ex sua causa; ergo tunc censetur futurus, cum causa determinata est ad illum producendum. Major vero constat: nam ante decretum, prima causa, Deus scilicet, non est determinata, cum se determinet per decretum: aliæ vero causæ non possunt esse determinatæ, tum quia nondum sunt, tum quia implicat, esse determinatas ante primam causam; ergo ante decretum res con-

tingentes non habent determinationem ad essendum in suis causis.

Sed præstat S. Thomam audire id totum suis verbis egregie explicantem 1. Periherm. Lect. 13. *Considerandum est*, inquit, *quod cum verum hoc significet, ut aliquid dicatur esse, quod est, hoc modo est aliquid verum, quo habet esse. Cum autem aliquid est in præsenti, habet esse in se ipso; et ideo vere potest dici de eo, quod est. Sed quamdiu aliquid est futurum, nondum est in se ipso, est autem aliqualiter in sua causa. Quod quidem contingit tripliciter: uno modo, ut sic sit in sua causa, ut ex necessitate eveniat ex ea: unde determinate potest dici de eo, quod erit. Alio modo aliquid est in sua causa, ut quæ habet inclinationem ad suum effectum, quæ tamen impediri potest: unde et hoc determinatum est in sua causa, sed mutabiliter; et sic de hoc dici potest quod erit, sed non per omnimodam certitudinem. Tertio aliquid est in sua causa pure in potentia, quæ non est magis determinata ad unum, quam ad aliud: unde relinquitur, quod nullo modo potest de aliquo eorum determinate dici, quod sit futurum.* Et brevius idem habet 1. p. q. 16. art. 7. *Illud*, inquit, *quod nunc est, ex eo fuit futurum, antequam esset, quia in causa sua erat, ut fieret: unde sublata causa non esset futurum illud fieri. Sola autem causa prima est æterna: unde non sequitur, quod ea, quæ sunt, semper fuerit verum esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura.*

Tertio probatur eadem minor argumento numquam soluto, aut solvendo. Si ante decretum Dei res essent determinate futuræ, vel hoc haberent a se ipsis, vel ab aliqua causa: atqui nec a se, nec ab aliqua causa possunt habere, quod sunt potius futuræ, quam non futuræ; ergo non sunt determinate futuræ. Major constat. Minor probatur, et quidem quod non sint futuræ a se ipsis: tum quia alias essent necessario futuræ. Tum quia, sicut res non potest sibi dare, ut sit; ita nec ut futura sit. Quod etiam non habeant determinatam illam futuritionem a suis causis, probatur: nam causæ omnes ante decretum sunt indifferentes et indeterminatæ; nondum enim se determinarunt:

ergo nequeunt dare suis effectibus, ut determinate sint futuri potius, quam non futuri.

Respondent quidam ex Adversariis, Res esse futuras ex suppositione, quod aliquando erunt.

Sed contra instauratur argumentum. Quod res supponatur futura potius, quam non futura ante decretum, vel hoc habet ex se ipsa, vel ex aliqua causa; atqui a se ipsa non habet, ut potius tunc supponatur futura, quam non futura, cum ex se sit indifferens ad utrumque; nec itidem ex aliqua causa, quia pariter causæ sunt indifferentes; ergo non potest potius supponi futura, quam non futura.

Reponunt, rem habere, ut sit futura ex ipso decreto, non quidem adhuc posito, sed ponendo in signo sequenti.

Sed contra. In illo signo, quo voluntas Dei nihil adhuc decrevit, decretum non est potius ponendum, quam non ponendum; ergo nulla responsio. Probatur antecedens. Decretum non est potius ponendum, quam non ponendum, cum voluntas Dei est omnino indifferens ad illud ponendum, vel non ponendum, ut est per se evidens: atqui voluntas Dei ante decretum est omnino indifferens ad illud ponendum, vel non ponendum, ut etiam certum est; nam se determinat per decretum; ergo tunc decretum non est potius ponendum, quam non ponendum.

Hanc rationem omnino peremptoriam ipse Aristoteles respexit, cum dixit, propositiones de futuro contingenti esse indifferentes ad veritatem et falsitatem, *quia*, inquit, *æquabilis est ad utramque partem eventus*, id est, non magis vergit ad hanc, quam ad oppositam partem. Nam cum propositionis veritas ab objecto pendeat, quamdiu objectum pendulum est inter fore et non fore, propositio quoque pendula est et indeterminata, donec aliquid accedat, quod æquilibrium istud inclinet in alterutram partem, nempe Divinæ voluntatis decretum, quo res ex se mere possibiles determinantur ad fore, vel non fore.

Atque id videre est in familiari exemplo. Sic enim ante judicum sententiam lis a nobis ad utramque partem anceps dicitur; quia illi, a quibus ejus pendet decisio, adhuc indifferentes sunt; unde si quis a nobis quærat; quis litigantium cadet causa? respondemus, hoc adhuc esse indeterminatum. At cum pri-

mum judices inclinant in alterutram partem, jam quid sit futurum intelligimus. Ita pariter, antequam supremus rerum arbiter Deus, ex cujus sententia eventus omnes pendent, quid sibi fieri placeat decreverit, nullus eventus est potius futurus, quam non futurus; sed cum ex se omnes indifferentes ad utrumque sint, ab eo exspectant, ut ad alterutram partem flectantur.

Respondent alii, ex ipsa contradictionis natura propositiones habere, ut una sit determinate vera, altera falsa.

Sed hæc responsio evidenter falsa est. Nam contradictio æqualiter respicit partem affirmantem et negantem; ergo ex vi contradictionis affimativa non est potius determinate vera, quam negativa. Et quæso, cum ex illis, *mortui resurgent*, *mortui non resurgent*, utraque perinde contradicat alteri, cur contradictio illam potius, quam alteram veram efficit? nam cum æquales sint in contradicendo, habent æquale jus ad contradictionis effectum: non itaque vi contradictionis una potius est vera, quam altera, sed aliunde.

Confirmatur conclusio. 1. Si ante decretum una contradictoriarum est determinate vera, vel Deus potest subsequenti decreto hanc determinationem irritare, oppositum decernendo, vel non: si non potest, ergo voluntas Dei ligatur hac fatali futuritione decreta sua antevertente, sicque datur gentilium illud fatum, quod ita Deorum voluntatem prævenire fingebatur, ut ab ea irritari non posset: sicut flenti Thetydi, ac pro avertenda filii sui Achiliis morte deprecanti, respondens inducitur Jupiter apud fabulosum Homerum. Si vero Deus suo decreto potest hanc determinatam futuritionem irritare; ergo futuritio illa nondum rata est, sed anceps; et qui hanc ante decretum determinatam ponunt, ita se gerunt, ut qui expensas in diversorio ante hospitis arbitrium computant, vulgo, *(conter sans i' hoste)* forte enim decretum subsequens hanc suppositiam futuritionem funditus evertet.

2. Implicat, effectum esse prius determinatum, quam causam: sed ante decretum omnipotentia divina, quæ est omnium eventuum prima causa, est indeterminata; determinatur enim per decretum, quod nihil est aliud, quam determinatio libera Dei ad aliquid producendum; ergo ante decretum omnes eventus sunt indeterminati.

3. Si eventus ante decretum essent determinate futuri, non essent in libera Dei dispositione; nam libera dispositio versatur solum circa res indifferentes et indeterminatas, ut dicitur Ethicor. 4. Atqui fide constat, Deum liberrima voluntate disponere de rebus omnibus; ergo antequam de illis decernat, sunt omnino indeterminatæ ad fore, vel non fore. Hoc argumentum insinuat Aristoteles 1. Periherm. c. 8. atque Sanctus Thomas ibidem, Lect. 14.

Respondebis, omnia, quæ geruntur a nobis, esse ab æterno prædefinita a Deo secundum Thomistas, et tamen de illis libere disponimus; ergo quamvis res sint determinate futuræ ante decretum, id minime obstabit, quo minus possit Deus de illis libere decernere.

Sed (præterquam ea responsione vides adversarios laqueo constringi, quem vulgo nectunt Thomistis ob prædefinitiones rerum liberarum ab iis assertas) latissimum discrimen est. Nam licet dispositio descendens a prima causa libertatis non adimat nobis jus disponendi de rebus nostris, ut suo dicetur loco; sicut influxus primæ causæ non impedit, sed perficit causam secundam; attamen determinatio præveniens omnem libertatem non itidem relinquit rem in potestate alicujus agentis liberi; atqui determinatio præveniens etiam decreta Dei, prævenit omnem libertatem; ergo non relinquit res in potestate alicujus agentis liberi.

Urgeri amplius potest hæc ratio. Si propositionum de futuro contingente una esset determinate vera ante decretum, esset necessario et naturaliter vera; ergo non esset objectum liberæ determinationis. Consequentia est evidens. Probatur antecedens. Illud est necessario et naturaliter verum, quod est verum ante exercitium cujusvis libertatis; non enim potest esse libere verum: atqui propositio vera ante decretum Dei, est vera ante exercitium cujusvis libertatis, cum decreta sint actus primæ et antiquissimæ libertatis; ergo est necessario et naturaliter vera.

Reponunt adversarii, propositiones de futuro non esse veras naturaliter, sed libere, quia sunt veræ ob decretum, nondum quidem positum, sed ponendum libere.

Sed contra. Si decretum est ponendum determinate, ante-

quam ponatur, hæc determinatio præveniet usum libertatis, proindeque libera non erit; nam quod prævenit omnem usum libertatis, non est liberum; ergo saltem illa propositio, quam volunt veram esse ante decretum, nempe: *Decretum est determinate ponendum*, erit necessario et non libere vera.

Argumentis jam factis adeo evidenter convincitur, eventus contingentes ante decreta Dei fuisse omnino indifferentes ad fore et non fore, proindeque propositiones de illis factas fuisse itidem indeterminatas ad veritatem et falsitatem, ut mirum sit, oppositam sententiam patronos invenisse. Verum hic subtiliter irrepens deceptio viros alioquin acris ingenti facile delusit, quam detegere operæ pretium est. Si, abstrahendo ab omni decreto et determinatione causarum, propositiones nude spectemus, ea est natura propositionis veræ de præsenti, ut veritatem suam in duas alias refundat, nempe anterius in propositionem de futuro, et posterius in propositionem de præterito: ut si supponamus verum esse, Petrum hodie disputare, exinde intelligimus tota duratione antecedenti verum fuisse, Petrum fore disputaturum; ac pariter tota duratione subsequenti verum fore, Petrum disputavisse. Hinc decepti illi antiqui Dialectici putarunt, propositiones illas de futuro fuisse reipsa determinate veras ex tota æternitate, sicut intelliguntur veræ post eventum. Atque ita imaginati sunt, æternam quandam et immobilem veritatem inesse illis propositionibus, quæ antevertat ipsum eventum. Mendose profecto: non enim erant veræ reipsa, sed quod longe aliud est, posterius, quasi ex post facto, ab ipso eventu verificatæ sunt: (nam earum veritas pendebat ab eventu) unde quandiu eventus fuit indeterminatus, erant et ipsæ incertæ et indeterminatæ. At ubi primum eventus determinatus est, vel in se, vel in suis causis, jam veræ intelliguntur, non quidem veritate, quam in se haberent ante eventum, (nota quæso et intellige); sed quæ in illas refunditur ab eventu. Sicut, ut loquuntur Jurisperiti, matrimonium subsequens, vi quadam retrocessiva legittimam efficit prolem antea natam. Illa proles ante matrimonium non erat legittima, sed tamen per secutum matrimonium ita fit legitima, ut secundum jura semper legitima fuisse intelligatur; nec habeatur ut quasi purgata ab infamia spurii partus, sed ut numquam ea

infamia notata. Ita se res habet quodammodo in propositionibus de futuro: non erant veræ, antequam eventus esset determinatus; at postquam eventus determinatus est, eas vi quadam retrocessiva ita denominat veras, ut intelligantur pro tota duratione antecedenti jam veræ; aut, si exactius loqui volumus, verificatæ.

At, inquiunt, si ita est, propositio de futuro nunquam fuit vera: nam cum Petrus disputat, verum non est, eum disputaturum, sed disputare: non itaque præsens disputatio propositionem de ea re futura veram efficit, sed ostendit, jam olim fuisse. At iterum hic falluntur, cum imaginantur, præsentem disputationem non efficere, sed ostendere propositionem de futuro fuisse veram: non enim verum est, Petrum disputare, quia disputaturus erat; sed verum erat, Petrum disputaturum, quia nunc verum est disputare. Itaque præsens disputatio non ostendit, sed efficit veram propositionem de futura disputatione. Attamen quia, antequam Petrus disputet, hæc ejus actio jam a tota æternitate determinata fuit in divinæ Providentiæ decretis, idcirco non solum cum disputat verificatur, cum fuisse disputaturum, sed etiam id ante verum fuit ob decreta divina, non tamen ante decreta: unde si nulla essent decreta, sed res mere fortuito acciderent, ut volebant Epicurei, nulla propositio de futuro contingenti vera esset ante eventum, sed solum ex eventu verificaretur modo jam ante explicato.

Solvuntur objectiones

Objiciunt 1. Adversarii Prophetias, quæ de futuris eventibus plurimæ exstant in Scriptura, et sunt determinate veræ. Addunt plures auctoritates Patrum, Theologorum, et veterum Philosophorum, dicentium, res esse determinate futuras, antequam eveniant; et propositiones, quæ de illis fiunt, esse determinate veras, vel falsas, et hoc præsciri a Deo, qui falli non potest. Sed hæc omnia responsione digna non sunt; nec enim superficie tenus attingunt difficultatem: quia et Prophetiæ fiunt, et Scriptura loquitur supposito decreto Divinæ providentiæ, quam

fide constat omnia futura disposuisse. In ejusmodi Decretis fundatur præscientia Dei et certitudo Prophetiarum; inquantum, ut inquit Scriptura, *Novit Dominus opus suum;* novit, inquam, per suum decretum, quod Prophetis revelat, ut illud annuntient ad ædificationem Ecclesiæ. Quam solutionem adhibebis aliis ejusmodi argumentis: unde missis iis objectionibus inutilibus.

Obji. 2. Futura semper habent certam determinationem ad essendum: ergo propositiones de illis formatæ sunt semper determinate veræ, aut falsæ. Probatur antecedens: nam, ut ait Augustinus lib. 26. contra Faustum cap. 4. *Tam non possunt futura non fieri, quam non fuisse facta præterita.* Et D. Anselmus libro de Concordia præscientiæ cum libertate: *Rem futuram necesse est esse futuram, quoniam futura esse nequit, et non futura.*

Resp. Ejusmodi auctoritates loqui de rebus *supposito Decreto,* quo fiunt futuræ, quo præordinantur, quo a Deo præsciuntur, ut patet ex textu utriusque Patris citati.

Dices. Plura futura sunt, quæ non decernuntur a Deo: ergo saltem ista non possunt reddi futura per decretum. Probatur antecedens: Deus non decernit mala: sed plura futura sunt mala: ergo plura futura sunt, quæ Deus non decernit. Minor constat. Major probatur: Deus ea non decernit, quæ non vult fieri; sed Deus non vult fieri mala: ergo illa non decernit.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo majorem: Deus non decernit mala, *decreto approbativo et effectivo*, concedo; *permissivo* nego: ut enim pictor plures umbras reliuquit in opere suo, ut ex earum oppositione magis fulgeant colores; ita Deus plura permittit mala, ut ex illis procuret multa bona. Et ut etiam illa umbrarum dispositio arti, ac voluntati pictoris subest, nec nisi secundum ejus regulas fit; ita et ipsa malorum permissio, ac dispositio a Divinæ Voluntatis ac Sapientiæ decretis ordinatur et temperatur; sed de his accuratius Metaphysicæ q. 4. art. 5.

Instabis. Deus non permittit ea, quæ prohibet; sed Deus prohibet omne malum, ut patet ex ejus legibus; ergo non permittit mala.

Resp. Distinguo majorem. Deus ea, quæ prohibet, non per-

mittit, *permissione legali*, concedo; *permissione causali*, nego. Permissio legalis est, dum aliquid subditorum mutui a legislatore relinquitur tanquam licitum: permissio vero causalis est, dum aliquid a causa, quæ posset impedire, non impeditur. Patet autem, quod Deus quidem, ut legislator sanctissimus, nullum permittit malum; attamen ut causa generalis plura mala non impedit, quæ posset impedire. Hoc sensu dicimus, Deum permittere mala permissione causali, non vero permissione legali.

Urgebis. Permissio causalis non sufficit ad reddendum aliquid determinate futurum, nisi ex se ipso jam sit futurum; permittere enim non est determinare, sed nativæ determinationi non obstare: ergo oportet, aliunde mala esse determinate futura, quam ex decreto permissivo.

Resp. In malo duo sunt, entitas et defectus. Entitas non potest reddi futura per solum decretum permissivum, sed pertinet ad decretum effectivum: at supposita futuritione entitatis, quæ determinatur per decretum positivum, et defectibilitate creaturæ, sufficit pro futuritione defectus decretum permissivum. Unde in forma distinguo; permissio causalis non sufficit ad determinandam futuritionem mali, *absolute* concedo; *supposito decreto, quo attingitur entitas, et supposita creaturæ defectibilitate*, nego. Sed res accuratius dicetur suo loco. Interim plusquam satis pro captu Logici.

Obji. 3. Lex Contradictoriarum est, ut una determinate sit vera, et altera falsa: sed istæ duæ etiam ante decretum sunt contradictoriæ, *Mortui resurgent*, *Mortui non resurgent*: ergo una est determinate vera, et altera falsa.

Resp. Distinguo majorem: Lex Contradictoriarum *de præsenti*, aut *præterita*, concedo, *de futuro*, nego: nam contradictorias de futuro expresse ab hac regula eximit Aristoteles. Et ratio est, quia contradictoriæ de præsenti et præterito habent objectum jam determinatum; at vero propositiones de futuro ante decretum habent objectum adhuc pendulum et indifferens ad fore, vel non fore, ut sæpe repetit Aristoteles et D. Thomas. Unde quia Propositio sequitur sortem sui objecti, quandiu objectum est indifferens ad fore, vel non fore, propositio est indeterminata ut verificetur, vel non verificetur.

Instabis. Ista disjunctiva, Antichristus vel *erit*, vel *non erit*, est determinate vera: ergo necesse est, alteram partem esse determinate veram. Probatur consequentia: nam propositio disjunctiva non est vera, nisi ratione alterutrius partis.

Resp. Nego consequentiam. Ad ejus probationem, distinguo: propositio disjunctiva non est vera, nisi ratione alterutrius partis sumptæ *indeterminate* concedo; *determinate*, nego. Ut enim hæc propositio, Antichristus vel *erit*, vel *non erit*, sit determinate vera, sufficit quod alterutrum sit futurum: sicut, ut ista propositio sit vera, oculus est necessarius ad videndum non est necesse, quod iste potius, quam ille sit necessarius; sed solum quod alteruter indeterminate,

Urgebis. Illa propositio de futuro est determinate vera, quæ enuntiat rem, sicut erit; sed ex istis, Antichristus *erit*, Antichristus *non erit*, una enuntiat rem sicuti erit: ergo una est determinate vera.

Resp. Distinguo majorem: propositio de futuro est determinate vera, quæ enuntiat rem, sicuti erit, *pro illo statu*, *in quo determinatum est*, quo res erit potius, quam non erit, concedo; *pro illo statu*, *in quo non est determinatum*, quod res erit potius, quam non erit, nego. Nam ut diximus ex Aristotele, propositio sequitur objectum, ut mensuram suæ veritatis: unde quamdiu objectum est indifferens ad fore, vel non fore, propositio est etiam indifferens, ut verificetur, vel non verificetur.

Dices. Propositio de futuro vera est, quæ habitura est suam de præsente veram: sed ex istis duabus, Antichristus *erit*, Antichristus *non erit*, una determinate habitura est suam de præsente veram: ergo, etc. Major patet; quia propositiones de futuro regulantur per suas de præsente. Minor vero probatur: nam ex istis duabus, Antichristus est, Antichristus non est, alterutra erit determinate vera.

Resp. Transeat major, (posset enim distingui eodem modo, ac præcedens argumentum) et distinguo minorem: una ex istis, Antichristus *erit*, Antichristus *non erit*, est habitura suam de præsente veram, una determinate determinatione, *quæ fiat per ipsum decretum*, concedo; *quæ decretum antegrediatur*, nego; et nego consequentiam. Licet enim ex istis duabus, Antichristus

erit, Antichristus *non erit*, una sit habitura suam de præsente veram, etiam determinate; attamen illa determinatio non præcedit decretum, sed fit per decretum, quo Deus decernit, quid ex istis duobus sibi placeat evenire: unde ante decretum non est talis determinatio. Utramque solutionem insinuat, et utrumque argumentum, quod præcipuum est Adversariorum telum, egregie evertit D. Thomas 1. Periher. lib. 13. ubi ait; *Falsum esse quod omne, quod est verum esse, semper verum fuerit dicere, determinate esse futurum.* Et rationem reddit, quam nos supra fuse retulimus prob. 2.

Repones. Cum res est, propositio illam affirmans fuisse, determinate vera erit pro tota æternitate sequenti præcise quia res est; ergo pari jure propositio illam affirmans fore, vera fuit pro æternitate antecedenti, præcise quia res modo est.

Resp. Nego paritatem, qua maxime nitebantur illi antiqui Dialectici, quamque urget Cicero lib. de Fato. Nam etsi veritas propositionis, tum de futuro, tum de præterito sumatur a veritate propositionis de præsenti, non tamen æqualiter; propositio enim de præterito supponit eventum: at propositio de futuro eum exspectat. Porro eventus, postquam fuit jam determinatus est, unde determinat propositionem de præterito ad veritatem. At eventus contingens antequam sit, aut certe ab aliqua causa determinetur, mere possibilis est, nec ex se magis ad *esse*, quam ad non *esse* inclinat: unde propositionem de futuro determinate veram nequit denominare, nisi cum reipsa ponitur, aut a sua causa determinatur,

Obji. 4. et simul instabis: Inter duas contradictorias non datur medium, ut dicitur 1. Post. c. 2. Sed ex tota æternitate propositiones, de quibus est quæstio, fuere contradictoriæ: ergo non fuit aliquis inter eas medius status, sed necessario alterutra fuit determinate vera.

Resp. Distinguo majorem: Inter duas contradictorias non datur medium per *modum propositionis inter utramque partem mediantis*, concedo; *per modum suspensionis et indeterminationis utriusque extremi*, nego. Explicatur. Differunt propositiones contrariæ a contradictoriis, quia inter duas contrarias potest media propositio dari, quæ sit vera, ut inter istas, omnis ho-

mo est malus, nullus homo est malus; datur ista media, quidam homo est malus: sed inter contradictorias nulla datur propositio media, quæ verificetur, ut inter istas, Petrus curret, Petrus non curret, nulla est media. Dari tamen potest inter illas medius status, nempe suspensionis et indeterminationis: nam sicut affirmatio et negatio, licet versentur inter contradictoria, nempe inter *esse* et non *esse*, attamen patiuntur medium, nempe suspensionem judicii: sic propositiones de futuro, licet sint de contradictoriis, possunt medium statum inter veritatem, et falsitatem admittere, nempe indifferentiam ad utramque. Quod adeo clare percipitur, ut mirum sit, ab adversariis non videri.

Instabis. Inter *esse* et non *esse* nihil mediat, etiam per modum suspensionis utriusque extremi: ergo neque inter *fore* et non *fore*.

Resp. Nego consequentiam et paritatem: nam objectum præsens, aut præteritum est determinatum, cum sit extra causam: sed objectum futurum non est determinatum, cum claudatur in potestate causæ, quæ adhuc indifferens est ad alterutrum. Et sane si omnes Philosophi admittant causas indifferentes ad agendum, vel non agendum, ita ut non magis propendeant in unum, quam in alterum, cur non admittant objecta indifferentia ad *fore*, vel non *fore*? Ejusmodi sunt, quæ sunt libere futura, quamdiu eorum indifferentia non est exclusa per determinationem causarum liberarum, unde in talibus futuris, inter *fore*, et non *fore*, datur medium, scilicet indifferentia et indeterminatio ad utrumque.

Obji. 5. Propositio: Antichristus est determinate futurus, falsa est ante decretum: ergo datur propositio de futuro contingente determinate falsa ante decretum.

Resp. Nego consequentiam. Nam ista propositio non est de futuro contingente, sed de præsente impossibili: facit enim hunc sensum; jam determinata est futuritio Antichristi. Porro ante decretum impossibile est, aliquid contingens esse determinatum.

Dices. Ergo dantur duæ contradictoriæ simul falsæ, scilicet, Antichristus est determinate futurus, Antichristus est determinate non futurus: utraque enim ante decretum erat falsa.

Resp. Istas propositiones non esse contradictorias: sunt e-

nim ambæ affirmativæ, quamvis una sit de prædicato infinito, idest, particula negativa affecto.

Instabis. Licet inter *fore* et non *fore* detur status medius, scilicet indifferentia ad utrumque, attamen inter esse nunc futurum, et non esse nunc futurum, nihil omnino mediare videtur: ergo necesse est ante decretum, ut Antichristus sit futurus, aut certe non futurus.

Resp. *Non esse futurum* posse sumi dupliciter. Primo quasi negative, pro eo, quod nondum habet determinationem ad essendum pro tempore sequente. Secundo *quasi privative*, pro eo, quod jam a suis causis privatum est omni spe essendi, determinatumque ad nunquam fore. Inter futurum et non futurum primo modo non est medium, unde hoc modo omnia sunt non futura ante decretum: sed inter futurum et non futurum secundo modo datur medium; scilicet nondum futurum, sed indifferens, ut determinetur a suis causis ad *fore*, vel non *fore*.

Urgebis, Ergo illa propositio, Antichristus est futurus, erat falsa ante decretum. Probatur consequentia: propositio est falsa, quæ dicit aliquid futurum, quod nondum est futurum: sed illa propositio dicebat aliquid futurum, quod nondum erat futurum: ergo erat falsa.

Resp. Hanc propositionem posse facere duplicem sensum et resolvi dupliciter. Primo ad unam de præsente, ut sensus sit; jam datur futuritio Antichristi. Secundo potest resolvi in aliam pure de futuro, dicendo, determinabitur futuritio Antichristi. In primo sensu propositio est manifeste falsa ante decretum: nam falsum est, antequam Deus determinet producere Antichristum, quod talis productio sit determinate futura; sed in hoc sensu propositio non est pure de futuro, sed virtualiter et implicite de præsente. In secundo vero sensu illa propositio neque est vera, neque falsa ante decretum, sed adhuc expectatur determinatio Divini decreti.

Obji. 6. Deus ante decretum cognoscit omnes eventus futuros: ergo sunt determinate futuri. Probatur antecedens: hic, qui perfecte comprehendit causas, cognoscit omnes earum effectus: sed Deus etiam ante decretum perfecte cognoscit omnes causas eventuum futurorum: ergo cognoscit eventus futuros.

Resp. Nego antecedens. Ad probationem distinguo majorem: qui comprehendit causas, cognoscit earum effectus, *eo modo, quo sunt in causis*, concedo; *alio modo*, nego. Effectus autem non sunt determinati in suis causis ante decretum, ut patet ex dictis, et ideo Deus ante decretum non cognoscit eos, ut determinate futuros, sed tantum ut possibiles.

Obji. ultimo. Determinatæ essentiæ debent competere determinatæ proprietates: sed veritas et falsitas sunt proprietates propositionis: ergo propositioni determinatæ debet competere determinata veritas, vel falsitas: cum igitur etiam ante decretum propositiones habeant determinate naturam propositionis, debent quoque habere determinatam veritatem, aut falsitatem.

Resp. 1. Veritatem et falsitatem esse solum proprietates respectivas ab objecto dependentes, unde non debent competere determinate propositioni, quamdiu objectum est indeterminatum.

Resp. 2. Distinguo minorem: veritas et falsitas sunt proprietates propositionis, veritas et falsitas *aptitudinalis*, concedo; *actualis*, nego; id est, capacitas suscipiendi verum, vel falsum est proprietas propositionis; non vero quod actu sit vera, vel falsa, saltem determinate.

Colliges ex dictis, quid censendum sit de quibusdam futuris, quæ *Conditionata* dicuntur; ut sunt, si Petrus tentetur, peccabit; si Petrus tentetur, non peccabit: si Evangelium Mauris prædicetur, convertentur; si Evangelium prædicetur Mauris, non convertentur. Cum enim, etiam positis illis conditionibus, eventus adhuc contingens sit et ad utramque partem indifferens, non est determinate futurus, nec proinde propositio determinate vera, aut falsa, antequam Deus, in cujus potestate sunt hi eventus, aliquid circa illos decreverit.

Dices. Saltem hoc futurum conditionatum (si Deus præcipiat Christo mortem subire pro salute hominum, morietur) fuit determinate verum ante omne decretum: ergo datur aliquod futurum conditionatum determinate verum ante decreta Dei.

Resp. In eo futuro conditionato involvi decretum in ipsa conditione: cum enim Christus sit impeccabilis, implicat, ut Deus ei mortem præcipiat, quin simul decernat, mortem illam

infallibiliter futuram. Itaque in forma: hoc futurum conditionatum fuit determinate verum ante decretum positum, non tamen suppositum: illud enim involvit in sua conditione. Sed de his ad Theologos, ac de tota quæstione illa forte plus, quam satis.

TERTIA PARS
LOGICÆ

DE ENTE RATIONIS DIRECTIVO TERTIÆ MENTIS OPERATIONIS, SEU DE ARGUMENTATIONE.

Præter ea, quæ satis accurate diximus in Logica minore circa Argumentationem, pauca quædam hic discutienda occurrunt circa Demonstrationem, quæ est potior ejus species. De qua quidem tria totidem articulis breviter discutiemus. 1. Quid sit. 2. Quotuplex sit. 3. Quæ sint ejus proprietates. Porro cum Demonstratio producat scientiam, hic etiam de Scientia agi solet. Verum ejus cognitio magis spectat ad Metaphysicam, cujus est agere de habitibus spiritualibus: itaque tractationem Scientiæ huic Philosophiæ Parti reservabimus.

QUÆSTIO UNICA

De Syllogismo Demonstrativo

ARTICULUS PRIMUS

QUID EST DEMONSTRATIO?

Syllogismus, ut diximus in Minore Logica, dividitur ratione materiæ, seu propositionum, quibus constat, in *Demonstrativum*, *Probabilem* et *Sophisticum*. Nam cum ex duabus præmissis probetur in Syllogismo conclusio, vel illæ præmissæ apparent veræ, cum tamen falsæ sint: atque tum *Syllogismus Sophisticus* dicitur: vel probabiliter veræ sunt, id tamen neque nobis satis

evidens est, neque forte reipsa omnino certum; atque tum dicitur *Syllogismus Probabilis*, seu, *Logicus:* vel demum præmissæ illæ certo et evidenter veræ sunt, tumque *Demonstrativus Syllogismus* dicitur. Hinc jam elucescit, quæ sit Demonstrationis natura; ut tamen exactius innotescat, duplex ejus definitio ex Aristotele tradi potest.

Prima. Demonstratio est Syllogismus *pariens scientiam, seu faciens scire.*

Hæc definitio bona quidem est: nam explicat, quid commune habeat Demonstratio cum aliis Syllogismis, quidve sibi proprium. Convenit enim cum aliis in genere Syllogismi; at id proprium habet, ut pariat scientiam, id est, certam et evidentem conclusionis cognitionem: Syllogismus enim Sophisticus errorem, Probabilis opinionem parit, solus et omnis Demonstrativus scientiam. Verum est solum descriptiva; non enim ex ipsa rei essentia, sed ex proprio ejus effectu petitur.

Secunda. Demonstratio *est Syllogismus constans ex propositionibus necessario, ac evidenter veris.*

Hæc definitio essentialis est: nam in eo sita est Demonstrationis essentia, ut præmissis necessariis, ac evidenter veris constet, atque adeo conclusionem evidenter et necessario inferat.

Porro præmissæ illæ duobus modis nobis innotescunt evidenter veræ. Primo ex ipsis terminis. Secundo per priorem discursum, quatenus evidenter deductæ sunt ex aliis jam notis. Cum propositio ex ipsis terminis evidenter innotescit, dicitur *Propositio per se nota,* cujus scilicet, si terminos attente percipias, statim percipies prædicatum convenire evidenter subjecto. Sic ille qui percipit, quid sit circulus, in ipsa ejus idea clare videt, omnes ejus radios, seu lineas a centro ad circumferentiam ductas esse æquales: unde propositio per se nota est; *circuli radii sunt æquales.* Sed de propositione per se nota jam diximus 2. p. Logicæ Min. art. 4. Hic solum circa eam duo sunt addenda.

Primo, propositionem per se notam vulgo dici, cujus prædicatum per se convenit subjecto in primo modo *perseitatis*: nam, ut hic notat Aristoteles, quatuor modis aliquid *per se* dicitur. 1. Id per se dicitur de aliquo, quod est de ejus *essentia*: sic

Rationale per se dicitur de Homine. 2. Per se dicitur de aliquo, quod *est ejus proprietas:* ut de Homine dicitur per se, quod sit Risivus. 3. Per se dicitur, quod *per se existit;* ut Homo dicitur Ens per se, Albedo vero Ens in alio. 4. Per se dicitur de aliquo, quod *est ejus propria operatio;* ut Musicus per se cantat. Itaque propositio per se nota est, cujus prædicatum primo modo dicitur de subjecto, id est, ut inclusus in ejus essentia.

Secundo notandum, Propositionem per se notam duplicem vulgo distingui; nempe per se notam *quo ad se*, et per se notam etiam *quo ad nos.* Propositio per se nota quo ad se dicitur, quæcumque prædicato constat, quod sit de essentia subjecti. Verum si essentia subjecti non sit nobis satis nota, hæc non dicetur nota quoad nos. Unde propositio per se nota, etiam quoad nos, ea dicitur, cujus subjectum ita nobis clare notum est, ut in eo prædicatum evidenter detegere possimus: sic ea propositio, *Deus est*, per se quidem nota est, quia existentia est de essentia Dei, non tamen per se nota est, etiam quoad nos, quia non ita clare essentiam Dei cognitam habemus, ut in ea statim existendi necessitatem evidenter detegamus. At hæc propositio, *Totum est majus parte*, etiam quoad nos per se nota est; quia in idea, quam habemus de toto, evidenter relucet, illud suam partem excedere.

ARTICULUS SECUNDUS

DE DIVISIONE DEMONSTRATIONIS

Dividitur primo Demonstratio in Demonstrationem *propter quid*, et demonstrationem *quia.*

Demonstratio *propter quid* ea est, *quæ propriam et immediatam rei causam affert, ut eam probet.* Unde dicitur demonstrare *propter quid*, quod assignet idipsum, propter quid prædicatum conclusionis convenit subjecto.

Demonstratio *quia* illa est, *quæ evidenter quidem probat, prædicatum conclusionis convenire subjecto, non tamen causam propriam hujus affert; sed* vel *aliquam causam remotiorem*, vel *incommodum et absurdum, quod sequeretur, si ei non conveni-*

vel. Harum Demonstrationum satis frequens usus est, quod nobis sæpe propriæ causæ sint ignotæ. Ipsi Geometræ non raro illis Demonstrationibus utuntur, cum ex negatione propositæ quæstionis aliquid evidenter falsum et impossibile deducentes, unde convincunt, partem affirmativam esse veram, vel contra.

Exemplum utriusque Demonstrationis sit. Si quis Deum esse æternum probet, quod sit immutabilis, eo argumento: omne immutabile est æternum: Deus est immutabilis: ergo est æternus: erit Demonstratio *propter quid.* At si probemus Deum esse æternum, vel quod causatus non sit, eo modo: omne, quod causatum non est, æternum est: Deus non est causatus: ergo est æternus. Vel ab inconvenienti: si Deus æternus non esset, aliquando non fuerit: ergo æternus est: hujusmodi sunt demonstrationes *quia.* Probant enim evidenter, rem esse, sed propriam rationem, cur sit, non adducunt.

Demonstratio *propter quid* est perfectior Demonstratione *quia;* non enim solum convincit, sed etiam quietat intellectum. Nam cum solum novimus, rem esse, intellectus non in ea notitia plene quiescit; sed rursus cupit causam ipsam, cur sit, nosse. Unde illi soli proprie convenit exquisita illa definitio Aristotelis, *Demonstratio est Syllogismus constans ex veris, primis, immediatis, notioribus, causisque conclusionis.*

Dividitur 2. Demonstratio in Demonstrationem *a priori*, et Demonstrationem *a posteriori.*

Demonstratio *a priori* est, quæ *probat effectum per causam:* ut si quis probet animalia esse mortalia, quod constent ex contrariis principiis sese paullatim consumentibus, aut, quod obnoxia sint actioni agentium materiam paullatim immutantium. In eo Demonstrationis genere adhiberi possunt omnia causarum genera, materialis, formalis, exemplaris, efficiens, finalis: omnis enim causa proprium demonstrat effectum.

Demonstratio *a posteriori* est, quæ *contra causam probat ex effectu.* Sæpe enim effectus sunt nobis notiores causis: unde ex illis in earum cognitionem venimus. Sic existentiam Dei cognoscimus ex effectibus naturalibus, ex quibus etiam pleraque attributa ejus demonstramus.

Dices. Demonstratio omnis debet esse per causas; nam parit

scientiam, quæ est cognitio rei per causam: ergo nulla datur Demonstratio a *posteriori*, et per effectus.

Resp. Distinguo antecedens: Demonstratio est per causas vel *essendi*, vel *cognoscendi*, concedo; per causas *essendi*, nego esse semper. Itaque effectus, cum est notior nobis, quam causa, potest nos in ejus cognitionem ducere; et sic est causa cognitionis suæ causæ, seu causa ejus in cognoscendo.

ARTICULUS TERTIUS

DE PROPRIETATIBUS DEMONSTRATIONIS

Duplex assignari potest proprietas, aut quasi proprietas Demonstrationis. 1. Quod generet scientiam. 2. Quod necessitet intellectum ad assensum conclusionis. De utraque tantisper dicendum.

§. I.

Quomodo Demonstratio generet scientiam

Certum est, Demonstrationem parere scientiam: nam evidenter, ac certo infert conclusionem, proindeque certam et evidentem ejus cognitionem producit, quæ est ipsa scientia. Solum dubitatur, an eam producat in ratione causæ efficientis.

CONCLUSIO

In Demonstratione *assensus præmissarum efficienter producit assensum conclusionis.* Ita docet S. Thomas. 1. Post. Lect. 3. *Præmissæ*, inquit, *habent rationem causæ efficientis et activæ respectu conclusionis:*

Probatur conclusio: actus, quo causa efficiens se movet ad alium actum, censetur ad illum effective concurrere. Atqui intellectus per assensum præmissarum se movet ad assentiendum conclusioni: ergo assensus præmissarum effective concurrit ad assensum conclusionis. Minor est certa: nam Demonstratio est quidam discursus: porro in eo discursus consistit, ut ex una

cognitione ad aliam intellectus deducatur. Major etiam constat: nam hoc ipso, quod actus movet ad alium, ille posterior est veluti ejus propagatio et proles, sicque effective ab eo procedit. Sic motus cordis dicitur effective concurrere ad alios motus vitales, quia animal istos non elicit, nisi dependenter ab illo, cujus proinde sunt veluti propagines.

Dices. Quod non est, non causat: sed assensus præmissarum non est in eo instanti, quo assentimur conclusioni; non enim duo assensus possunt esse in eodem instanti in eodem intellectu: ergo non causat assensum conclusionis.

Resp. 1. Ut motus alium causare possit, sufficere, ut immediate præcesserit. Sic globus allidens alteri globo æquali quiescenti, per suum motum ipsum movet, quamquam sæpe in eo instanti, quo iste movetur, ille moveri desinat.

Resp. 2. Assensum præmissarum, *etsi non sit in se ipso*, dum assentimur conclusioni, *esse tamen in sua virtute*, nempe in determinatione et illuminatione, qua impellit intellectum ad assentiendum conclusioni, eamque illi manifestam efficit.

Adde tandem, non repugnare, ut duæ cognitiones, quarum una oritur ex alia, sint simul in intellectu. Cum itaque assensus conclusionis oriatur ex assensu præmissarum, non videtur repugnare, ut eodem instanti, quo intellectus præmissis propter se assentitur, conclusioni quoque propter illas assentiatur. Immo assensus conclusionis implicite continetur in assensu præmissarum, ut infra dicemus.

Quæres, *quid requiratur, ut Demonstratio generet scientiam.*

Respondeo, ex Aristotele ante assensum conclusionis, qui est proprie scientia, tria debere esse præcognita: nempe *Subjectum conclusionis, Prædicatum ejus, et præmissas.*

De Subjecto conclusionis debemus nosse, *an sit;* non enim scientia est de eo, quod nihil est: et præterea *quid sit*, aut saltem quid nomine ejus intelligamus; quod idem de Prædicato conclusionis prænosse oportet: nam nisi quæstionis terminos percipianus, nihil de ea certo statui poterit. At de prædicato conclusionis non debemus præscire ipsum esse: quippe hoc ipsum Demonstratio ostendit. De præmissis prænosse debemus, eas es-

se necessario veras: neque enim certo assentiri possumus conclusioni propter præmissas, nisi nobis certo prius constet, eas esse veras; immo, cum conclusionis notitia oriatur ex præmissis, eæ certiores et notiores esse nobis debent, quam ipsa conclusio. Nam ut inquit Aristoteles, *Propter quod unumquodque tale, et illud magis;* quod tamen axioma solum locum habet, cum duo ita aliquid participant, ut ab uno ad aliud diffundatur. Unde licet homo ebrius sit propter vinum, et fatigatus propter pondus; dici tamen nequit, vinum esse magis ebrium, et pondus magis fatigatum, quia nec vinum capax est ebrietatis, nec pondus defatigationis, licet eam causet. At cum forma utrique communis est, eaque suscipit magis et minus, tum vere dicitur magis ei inesse, a quo in aliud redundat: sic Sol planetis lucidior est, quia illi ab eo illuminantur; cor cæteris membris calidius est et vivacius, quia ab eo in illa calor et vita redundant; atque eo sensu præmissæ debent nobis esse notiores conclusione, quia hæc propter illas nobis innotescit.

§. II.

An Demonstratio necessitet intellectum

CONCLUSIO

Posito assensu præmissarum demonstrativarum, intellectus ita necessitatur ad assensum conclusionis, ut ab eo nullo modo abstinere possit. Ita S. Thomas 1. p. q. 82. art. 2. *Naturaliter*, inquit, *et ex necessitate inhæret intellectus principiis et conclusionibus habentibus necessariam connexionem cum illis.*

Probatur. Intellectus non potest non assentiri vero sibi manifeste et evidenter proposito: atqui posito assensu præmissarum, conclusio sponte sua ex iis sequens se exhibet intellectui ut evidenter et manifeste veram: ergo intellectus non potest ei non assentiri. Minor constat. Nam conclusio necessario, evidenterque sequitur ex præmissis: itaque illæ non possunt censeri veræ, quin et illa continuo evidenter vera sit. Major ex eo suadetur, quod intellectus sit potentia naturalis, quæ positis omni-

bus requisitis naturaliter tendit in objectum sibi propositum. Unde, ut oculus, posito quod palpebræ sint apertæ, nequit non videre objectum suum debite applicatum et illuminatum, ita intellectus nequit non assentiri vero evidenti sibi proposito.

Confirmatur. Conclusio virtualiter continetur in præmissis, ipseque assensus minoris involvit assensum conclusionis: nam si concesseris, omnem virtutem esse utilem; concedas itidem, justitiam esse virtutem, hoc ipso concedis, eam esse utilem: non enim omnis virtus erit utilis, si justitia sit virtus, nec tamen utilis: ergo fieri nequit, ut qui præmissis demonstrationis assentitur, assensum conclusionis cohibeat; imo, qui assentitur præmissis, eo ipso conclusioni assentitur.

Dices. Ergo voluntas non libere applicat intellectum ad assensum conclusionis.

Resp. Distinguo: non applicat libere, *absolute*, nego; *ex suppositione quod applicaverit ad assensum præmissarum*, concedo. Nam sicut voluntas libere utitur oculo ad evidendum, quia ab ea pendet aperire, aut claudere palpebras; ex suppositione tamen, quod eas aperuerit, jam cohibere nequit oculum, ne videat propositum objectum: ita libere utitur intellectu, cum ab ea pendeat, ut ille cogitet, aut non cogitet de præmissis; attamen si intellectum applicet ad earum assensum, vi connexionis ita impellitur ad assensum conclusionis, ut jam eum impedire non possit.

Sed de prima Philosophiæ parte jam satis. Cæterum si vis expeditiorem Logicam, quæ te certius ac facilius ad veritatem ducat, ama Deum, qui veritas est; contemne creaturam, quæ vanitas est; suspira ad cœlum, ubi lucis, ac veritatis patria est; et innocentis vitæ conatu ad beatam æternitatem contende, ubi nihil poteris ignorare.

FINIS LOGICÆ

INDEX

Auctoris Biographia XVII
Auctor studioso Lectori XIX

PRÆFATIO

Quæ sit operis ratio, et œconomia . . . . . Pag. *1*

DISSERTATIO PRIMA PRÆLIMINARIS

DE COMMENDATIONE PHILOSOPHIÆ *3*

§. *I. Philosophia homini, ut homo est, ad ejus mentem perficiendam est necessaria* *4*

§. *II. Philosophia necessaria est homini, ut est Reipublicæ membrum, politica societate aliis hominibus conjunctum.* *7*

§. *III. Philosophia necessaria est homini, ut est fidelis, ad ipsius fidei ac religionis præsidium* *11*

DISSERTATIO SECUNDA PRÆLIMINARIS

DE COMMENDATIONE DOCTRINÆ S. THOMÆ . . . *20*

§. *I. Commendatur D. Thomæ Doctrina ex Oraculo Christi, Elogiis Pontificum, Conciliorum exemplo, et Ecclesiæ Oratione* *21*

§. *II. Commendatur Doctrina D. Thomæ auctoritate et exemplo Universitatum, Ordinum Religiosorum, et Primatum Theologorum* *25*

§. *III. Commendatur Doctrina D. Thomæ variis rationibus.* *27*

DISPUTATIO PRÆAMBULA

DE PHILOSOPHIA IN UNIVERSUM

QUÆSTIO I.

DE NATURA PHILOSOPHIÆ

Art. I. Quid sit Philosophia *34*
Art. II. An sit Philosophia *37*
Art. III. Quæ sit Philosophiæ partitio *42*
Art. IV. Qualis sit Philosophia *44*

QUÆSTIO II.

DE CAUSIS PHILOSOPHIÆ

Art. I. De Causa finali Philosophiæ 46
Art. II. De Causa efficienti Philosophiæ 48
Art. III. De Causa formali et materiali Philosophiæ . . 51
Art. IV. De variis Philosophorum Sectis 52

PRIMA PARS PHILOSOPIÆ

Quæ Logica, seu Dialectica, nuncupatur. 57

LOGICA MINOR

Præcepta, et modum mentis in cognitionem veritatis dirigendæ complectens 58

PRIMA PARS

DE APPREHENSIONE ET TERMINIS 60

QUÆSTIO I.

DE TERMINO

Art. I. Quid sit Terminus 60
§. *I. Quid et quotuplex sit signum* 61
§. *II. Quid sit Terminus mentalis* 62
§. *III. De Termino vocali et scripto* 63
Art. II. De divisione Terminorum 64
Art. III. De proprietatibus Terminorum 67
§. *I. De Suppositione* 68
§. *II. Regulæ quinque utiles ad discernendas suppositiones.* 70
§. *III. De reliquis proprietatibus Terminorum, Ampliatione, Restrictione, Alienatione, et Appellatione* . . . 72
Art. IV. De Universalitate Terminorum 74
Art. V. De Terminis prædicamentalibus 76

QUÆSTIO II.

DE RECTA TERMINORUM PERCEPTIONE

Art. I. De defectibus, qui vitiant Terminorum perceptionem, ac de eorum remediis 80

Art. II. De modis sciendi, quibus adjuvatur Terminorum perceptio, ac primum de definitione 83
§. *I. De Modo sciendi in genere* . . . . . ibid.
§. *II. De Definitione Nominis* 86
§. *III. De Definitione rei, quid et quotuplex sit, quæ ejus leges.* 88
Art. III. De Divisione 91
Art. IV. De Abstractione 93

SECUNDA PARS

LOGICÆ MINORIS

De Judicio et Propositionibus 95
Art. I. Quid sit Propositio; ubi de Oratione, Nomine, et Verbo . . . . . ibid.
Art. II. De variis propositionum Divisionibus. 97
§. *I. De Divisione propositionis secundum se spectatæ.* . 98
§. *II. De Divisione propositionum ratione alicujus adjuncti, ac primo de propositione simplici et composita* . 99
§. *III. De propositione exponibili, et exponente* 101
§. *IV. De propositione absoluta et modali* 102
Art. III. De proprietatibus propositionis 103
§. *I. De Oppositione* . . . . . ibid.
§. *II. De Æquipollentia* 105
§. *III. De propositionis conversione.* 106
Art. IV. De recto propositionum Judicio 108
§. *I. In quo sita sit rectitudo Judicii* 109
§. *II. De causis defectuum Judicii* 110
§. *III. Sex Regulæ ad rectum propositionum Judicium observandæ* 112

TERTIA PARS

LOGICÆ MINORIS

De Discursu et Argumentatione 122

Art. I. Quid et quotuplex sit Argumentátio in genere, et quæ ejus regulæ 123
Art. II. De natura Syllogismi, ejusque divisionibus in genere. 126
§. Unicus. De Divisione Syllogismi in genere 128
Art. III. De variis Figuris et Modis Syllogismorum . . 131
Tabula Modorum 139
Art. IV. De Probatione, et Reductione Syllogismorum . . 145
Art. V. De Inventione Medii 148
§. I. Qua via quærendum sit Medium. . . . . . ibid.
§. II. De Locis, ex quibus eruuntur media Syllogismorum 152
Art. VI. De Syllogismo sophistico 155
Appendix de Methodo 159
Quatuor Regulæ Methodi in genere 160
Regulæ tres Methodi Analyticæ 161
Quinque Regulæ Methodi compositivæ 163

LOGICA MAJOR

Quæstiones, quæ de rebus Logicis agitari solent, complectens 165

QUÆSTIO PRÆAMBULA

DE IPSA LOGICA

Art. I. Quid sit objectum Logicæ. 166
Art. II. An Logica sit scientia 176
Art. III. Quomodo dividatur Logica in docentem et utentem. 180
Art. IV. An Logica sit scientia speculativa 185
Art. V. An Logica sit necessaria ad alias scientias . . . 192
Art. VI. An Logica conficiat demonstrationes aliarum scientiarum 196

PRIMA PARS

LOGICÆ MAJORIS

De Ente rationis primam Mentis Operationem spectante . 201

DISPUTATIO I.

DE UNIVERSALIBUS

QUÆSTIO I.

DE UNIVERSALIBUS IN COMMUNI

Art. I. An naturæ sint universales 202

Art. II. An natura sit formaliter universalis a parte rei . 207
Art. III. Qua mentis operatione natura universalis efficiatur 215
Art. IV. De divisione Universalium 221
Art. V. An Universale sit genus ad quinque universalia . 223

QUÆSTIO II.

DE UNIVERSALIBUS IN PARTICULARI

Art. I. De Genere 225
§. *I. Utrum definitio Generis a Porphyrio tradita, sit bona.* ibid.
§. *II. Utrum Genus prædicetur de specie ut totum, vel ut pars* 229
Art. II. De Differentia 232
Art. III. Unde sumantur Genus et Differentia 235
Art. IV. De Specie 239
Art. V. Utrum Genus possit salvari in unica specie, et species in unico individuo 243
Art. VI. An species, habens unicum tantum individuum, possit fieri universalis 245
Art. VII. De Proprio et Accidente 248

QUÆSTIO III.

DE PROPRIETATIBUS UNIVERSALIUM 261
Art. I. An et quomodo Universalia sint perpetua 262
Art. II. De Prædicabilitate universalium 266

DISPUTATIO II.

DE PRÆDICAMENTIS 270

QUÆSTIO I.

DE ANTEPRÆDICAMENTIS

Art. I. De primo Anteprædicamento, scilicet de Univocis, Æquivocis, Analogis, et Denominativis. 271
Art. II. De reliquis Anteprædicamentis, ubi etiam de conditionibus requisitis, ut aliquid sit in prædicamento . 275

QUÆSTIO II.

DE PRÆDICAMENTO SUBSTANTIÆ

Art. I. Quid sit Substantia 278
Art. II. Quotuplex sit Substantia 282
§. *Unicus. Quæ Substantiæ sint sub prædicamento, præcipue an Deus ipse* 284

Art. III. De proprietatibus Substantiæ, et coordinatione hujus prædicamenti 291

QUÆSTIO III.

DE QUANTITATE

Art. I. Quid sit Quantitas 293
Art. II. An Quantitas realiter a substantia distinguatur . 296
Art. III. Quotuplex sit Quantitas 299
Art. IV. Utrum Locus, Tempus, Motus, et Oratio sint propriæ species Quantitatis 302
Art. V. An numerus sit species Quantitatis 305
Art. VI. De proprietatibus Quantitatis, et ejus coordinatione 314

QUÆSTIO IV.

DE RELATIONE

Art. I. Quid sit Relatio 315
Art. II. An Relatio prædicamentalis sit realiter distincta a suo fundamento 319
Art. III. Quotuplex sit Relatio 328
Art. IV. Quid sit terminus Relationis tam mutuæ, quam non mutuæ 331
Art. V. Unde sumatur distinctio, tum specifica, tum numerica Relationum 336
Art. VI. De Proprietatibus Relationum, et coordinatione hujus prædicamenti 339

QUÆSTIO V.

DE QUARTO PRÆDICAMENTO, SCILICET QUALITATE

Art. I. Quid sit Qualitas 341
Art. II. Quotuplex sit Qualitas 343
§. *I. De Habitu, et Dispositione* . . . . . ibid.
§. *II. De secunda specie Qualitatis, scilicet Potentia, et Impotentia* 346
§. *III. De tertia specie Qualitatis, scilicet Passione, et patibili Qualitate* 347
§. *IV. De quarta specie Qualitatis, scilicet Forma, et Figura* 348
Art. III. De proprietatibus Qualitatis, et ejus coordinatione 349

QUÆSTIO IV.

DE RELIQUIS PRÆDICAMENTIS 351
Art. I. De Modis, et eorum distinctione a rebus modificatis 352

Art. II. De Actione, et Passione 356
Art. III. De Prædicamentis, Ubi, et Situ 358
Art. IV. De Prædicamentis, Quando, et Habitu 359

QUÆSTIO VII.

DE POSTPRÆDICAMENTIS 360

SECUNDA PARS

LOGICÆ MAJORIS

De Ente Rationis, secundam Mentis Operationem spectante. 364

QUÆSTIO UNICA

DE PROPOSITIONE

Art. I. An vocum significatio sit a natura, vel ex hominum instituto: ubi etiam de idiomatum varietate, ac diversis scripturæ modis apud nationes usitatis . . . . ibid.
Art. II. Sitne Propositio mentalis simplex qualitas . . . 370
Art. III. An Propositionum contradictoriarum de futuro contingenti una sit determinate vera, altera falsa, etiam ante Decretum Dei 374

TERTIA PARS

LOGICÆ

De Ente rationis directive tertiæ mentis Operationis, seu de Argumentatione 394

QUÆSTIO UNICA

DE SYLLOGISMO DEMONSTRATIVO

Art. I. Quid sit demonstratio . . . . . ibid.
Art. II. De divisione demonstrationis 396
Art. III. De proprietatibus demonstrationis 398
§. *I. Quomodo demonstratio generet scientiam* . . . . ibid.
§. *II. An demonstratio necessitet intellectum* 400

IMPRIMATUR

Stephanus Can. Nicoletti Vic. Gen.

Visto per la Stampa

Il Delegato Apost. g. b. cerruti

Prop. Modules p. 102

8521

100
G68
v.1

Philosophia Thomistica
/ A. Goudin

DATE

8521

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY